P. VERGILIVS MARO

AENEIS

RECENSVIT
ATQVE APPARATV CRITICO INSTRVXIT

GIAN BIAGIO CONTE

EDITIO ALTERA

DE GRUYTER

ISBN 978-3-11-064737-2
e-ISBN (PDF) 978-3-11-064903-1
ISSN 1864-399X

Library of Congress Control Number: 2019936563

Bibliographic information published by the Deutsche Nationalbibliothek
The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie; detailed bibliographic data are available on the Internet at http://dnb.dnb.de.

Printing: Hubert & Co. GmbH & Co. KG, Göttingen

www.degruyter.com

FRIDERICI KLINGNER

MAGISTRI MONACENSIS

DIS MANIBVS

SACRVM

HOC VOLVMINE CONTINENTVR

AD LECTOREM (MMXIX)

Libenter fateor me deae Fortunae plurimum debere, cui placuit ut ego, iam aetate prouectus, textum *Aeneidos* renouarem. Gratiae etiam agendae sunt Bibliothecae Teubnerianae curatoribus, qui me ad hoc incitauerunt uerbis amicissimis: primo repugnaueram, deinde, multum ac diu haesitato, laetus nouo muneri obsecutus sum. Nam conscius eram a Vergilio numquam me secessisse, immo uero, cotidie meditatum, quaestiones adhuc dubias ac res nondum expeditas uolutasse animo sollicito. Etenim fere decem per annos plura adnotamenta paraueram uariaque collegeram hypomnemata quibus desultorio more argumentabar quae lectiones defendendae uiderentur, quae reiciendae; nec mihi δεύτεραι φροντίδες defuerant quae ut aliquot locos retractarem suaderent: ex Ciceronis sententia optimus est portus paenitenti mutatio consili. Quid multa? Postquam *Aeneida* edideram, mecum assidue recogitaueram de locis qui non solum nuper sed etiam ante tempora nostra criticorum ingenia uexassent: itaque ad proelium redintegrandum paene paratus mihi uidebar.

Christianus G. Heyne in ipso exordio praestantissimi sui commentari monebat: «Difficile est Virgilium et sine interprete recte legere, et cum interprete. Sunt enim multa in doctissimo poeta, quae [...] uiros satis acutos exercitatosque, etiam in repetita lectione, tenere, aut quae, cum non sine multarum rerum scientia nec sine subtiliore et subacto iudicio cognosci possint, legentis oculum fugere soleant, quamuis sint summa cum arte posita, pulcerrime a poeta dicta et ad sensum iucundissima». Vergili enim textum curare res multae est operae ac diligentiae: nam, seu callidis iuncturis seu exquisitis uerborum figuris usus, maximus poetarum ille ad maximam elegantiam peruenit. Timeo tamen ne quando Vergiliana sollertia propter criticorum inconsiderantiam hebetetur: sunt enim qui, cum hanc nouam dicendi rationem non poeticae libertati tribuerent sed uerborum corruptelae, ingeniosas locutiones ad

usitatum sermonem exaequauerint[1]; et hoc aliquot argumentis infra comprobabo.

Quae ratio in curandis Vergili operibus sit sequenda satis superque illustraui priore praefatione, nec consilia mea mutaui: nam fundamenta ibi iacta firma adhuc opinor constare. Iamdiu didicimus editorum rationes multum posse inter se discrepare: quid est tam dissimile quam Otto Ribbeck et Remigius Sabbadini?[2] quam iidem et Rogerius Mynors? Profecto extra modum Remigius Sabbadini prodiit qui antiquam Vergili memoriam tam religiose coluit quasi illaesa esset atque incontaminata: eam enim «purissimam» existimabat. Longe aliter Otto Ribbeck ius dubitandi adhibuerat immodice et, ingenio suo nimis confisus, de testium integritate nimis diffisus erat: uersus audacter non paucos deleuit quos falso interpositos iudicabat, alios transposuit ut ordinem repararet quem perturbatum suspicabatur. At si tali intemperantiae coniectandi ignoscimus, fateamur oportet eum, uberrimis prolegomenis ad Vergili textum insuper additis, non laudem modo ingeni uerum etiam admirationem esse consecutum.

Si quis forte me roget: «Satin inclinat animus tuus ut reuerenter lectiones serues quas libri manuscripti testantur an libero iudicio fretus lectiones eas in dubium reuocare audes quae in suspicionem uenerint?», simpliciter et candide respondeam : «Iamdiu hoc mihi persuasi, acrem contentionem quae mendorum repertores semper librariae auctoritatis custodibus opposuit aliquid habere speciosi, quia nihil aliud hoc est nisi idolum scholae uulgatissimum. Equidem ego in sola prudentia et in laborioso iudicio uirtutem criticorum pono, illam scilicet quae cum ab aleatoria excogitatione et corrigendi arbitrio abhorreat, tum maxime contra superstitiosum obsequium testium repugnet».

Inter omnes constat nullam codicum memoriam (ne Vergilianam quidem excipimus) integram a mendis atque intactam posse

1 Itaque, ut uno exemplo utar, si pro *caua sub imagine formae* (6, 293) cum Ricardo Bentley (ac nuperrime cum Kraggerud, 208 sq.) *cauae* scripseris, sermone ad genus pedestre reducto, exquisitam enallagen remouebis, quae orationis figura Vergilio maxime accepta est: cf. G.B. Conte, *The Poetry of Pathos*, 58–122.

2 Vide G. B. Conte, *Ribbeck e Sabbadini editori di Virgilio*, «MD» 78 (2017), 51–68.

dici. Nam errores in scripta irrepunt insidiosi, non semper eminent, saepe latent, ne de locutionibus dicam quas librarii arbitrio suo nouauerint. Praecipue interpolationes timendae sunt, nec minus cryptocorruptiones, ut ego lectiones nomino quae, cum haud manifesto absurdae sint, eo facilius legentes ludificant: illae enim tam apte ad uerborum contextum se solent accommodare ut uix deprehendantur.

Et tamen Vergilius qualis ad nos peruenit non tot corruptionibus laborat quot ceteri Latini scriptores; nam auctoritati innititur septem codicum uetustiorum quos manus complures siue antiqua siue media quae dicitur aetate emendauerunt. Est uero deplorandum quod illorum tres fere integri sint (**M**, **P**, **R**), quattuor autem laceri et mutili, ex quibus omnibus, nulla propinquitate nullaue cognatione palam conexis, stemma quidem confici nequit. Quare nobis non id propositum est ex codicum lectionibus archetypum cuiuspiam editionis restituere (etsi non absint docti uiri qui ad hoc nuper contenderint)[3], sed potius quantum fieri poterit ipsa Vergili uerba sectari.

Cum codices uetustiores inter se satis discrepent, nihilo minus apud unum seu plures eorum saepe lectionem genuinam uidemus exstare quam quidem officium est prudentis editoris dinoscere. Attamen codices illi, quamuis auctoritate et fide praestantes, plus minusue omnes detrimenta accepere quae tamen emendatores ingeniosi ex parte resarserunt: quis Ricardi Bentley uel Aemili Baehrens memoriam potuerit umquam deponere? maxima enim gratia utrique eorum debetur quippe qui, diuini ac singulares uiri, id quod sine spe perditum ducebatur in integrum restituerint. Non defuere autem alii qui, aemulatores inepti, textum Vergili ad opinionem quae sua cuique coniectanti esse poterat accomodarent: eiusmodi fuit Petrus Peerlkamp, qui superuacaneis coniecturis indulgens in locos saeuiit sescentos. Caueant critici qui in Vergilium suspiciosi uolunt esse ne uane emendando poetica fulgura exstinguant neue exquisitas iuncturas ad elocutionem reducant languescentem.

Concedite quaeso ut exemplis utar. Politissime poeta in *Aen.* 5, 851–852 scripserat:

3 Vide *Aeneis* 2009, *Praef.* XXII–XXIII.

Aenean credam (quid enim?) fallacibus auris
et caeli totiens deceptus fraude sereni?

In hanc lectionem codices **MRω** conueniunt una cum quibusdam antiquis grammaticis nec non et secunda manu quae codicem Palatinum correxit (**P²**), quamquam **P** (cui Ribbeck persaepe confisus est) lectionem *caelo* habet ita ut talis sensus sit *credam ... fallacibus auris et caelo, totiens deceptus fraude sereni.* Profecto non intellexit librarius quid copula *et* significaret, quae, cum duas locutiones callide uariatas coniungat (*fallacibus auris ~ deceptus fraude*), propemodum idem ualet atque "eo magis quod totiens deceptus sum". Quamuis pateat *caelo* falsam esse lectionem utpote quae non solum ualentium testium auctoritatem neglegat, sed etiam enuntiati uigorem omnino restinguat, inueniuntur tamen qui, hac lectione recepta, compositionem a Vergilio ingeniose excogitatam dissoluant.[4]

Multos per annos in usu fuit suspiciones in *Aeneidos* παράδοσιν uanas fouere, cum critici spe laudis accensi uestigia sua uestigiis poetae apponere appeterent; nunc mala illa consuetudo obsoleuit, sed seduli epigoni adhuc occurrunt. Iterum exemplo utar. In *Aen.* 9, 77–79 legitur:

Quis deus, o Musae, tam saeua incendia Teucris
auertit? tantos ratibus quis depulit ignis?
Dicite: prisca fides facto, sed fama perennis.

In extremum uersum conuenere suspiciones quia aduersatiua particula *sed* molesta esse uideretur: a quibusdam enim copula *et* desiderabatur quae adiectiua *prisca* et *perennis* iungeret potius quam opponeret. Itaque pro tradita lectione *facto sed* alius *factast et* coniectauit, alius *factost et*, alius *factis et*[5]; attamen hos omnes in errore liquet esse uersatos. Namque prius membrum sententiae quodammodo opponitur posteriori sicut ex hac paraphrasi apparet: "hoc miraculum gentes priscae uere euenisse credidere, quod tamen fabula solum esse nobis uidetur ad seriores aetates propagata": hoc loco uidelicet *fides* et *fama* tantum inter se aduersantur

4 Kraggerud, *Vergiliana*, 205.
5 Vide Kraggerud *ibid.* 288.

quantum antiqua religiositas et hodierna recordatio, id quod particula *sed* ipsa significat. Vergilius igitur mythistoriam narrat cui olim ueteres tribuere fidem: nunc tamen, dilapsa fide, nihil aliud de praeclaro facto superest nisi fama popularis[6]. Quo clarius explanemus quemadmodum uersus structus sit, opinamur poetam, si Graece locutus esset, a sententiae membro priore alterum particulis μέν … δέ potuisse distinguere.

Nec abstinebo quin, rhetoricam legem secutus, tertio exemplo utar. De *Aen.* 1, 458 libri omnes manuscripti et grammatici una uoce consentiunt:

… uidet Iliacas ex ordine pugnas
bellaque iam fama totum uulgata per orbem,
Atridas Priamumque et saeuum ambobus Achillem 458

At apud Senecam (*ep.* 104, 31) pro duali numero *Atridas*[7] singularis forma *Atriden* legitur: etenim, cum poeta *ambobus* scripsisset, solus Agamemnon una cum Priamo uidebatur memorandus. Sicut argumentis saepe comprobatum est, philosophus ille, qui plura ex Vergili carminibus exempla traxit, seu memoria deceptus seu propositis suis uerba poetae adaptando, tam multos uersus laesit ut exemplis ab eo prolatis non nimia sit tribuenda fides. Et tamen est qui, multam doctrinam profundens, lectionem *Atriden* tamquam ueram laudet.[8] Rem nihilominus aliter se habere credo: de hoc enim poeta docet ut ductor Achivum Agamemnon et Priamus Teucrorum regnator, etsi inter sese diutino bello oppositi, Achillem pariter infensum habuerint. Quare pronomen *ambobus*, quod primores reges indicat aduersis exercitibus praepositos, ad hunc locum uidetur perfecte planeque conuenire. Sed haec hactenus.

Quamuis legentes persaepe uanis emendationibus uexentur, nos utique gratiam quandam putamus deberi criticis qui textum dubitationibus suis pertemptent: namque hoc iis laudi ducimus, ut quotiens eorum diffidentia confutata sit, textus traditus ab omni

6 Bene Seruius Danielinus: «Alii laudant quod dicendo ‘fertur’ (u. 82) incredibili rei auctoritatem dare noluerit».

7 Vide A. J. Bell, *The Latin Dual & Poetic Diction. Studies in Numbers and Figures*, London/Toronto 1923, 8, 54, 64.

8 Kraggerud *ibid.* 139–141.

suspicione redemptus ferme corroboratus euadat. Proinde illis omnibus gratias persoluamus, at non omnes in critico apparatu considant: hospitio enim accipiendas censuimus tantummodo διαγνωστικάς coniecturas, eas scilicet quae de occultis mendis satis considerate monerent. Vsu uere cognouimus errores olfacere difficilius esse quam sanare; ideo in apparatum plures referre malui coniecturas quam in priore editione; ex quibus, ne inani doctrina paginae meae grauarentur, irritas omisi, probabiliores tantum laudaui.

Lectoribus bona fide monitis, oportet denique deae Fortunae opus meum committam. Quod uolueram, me esse consecutum spero: non pauca mutaui ut partim noua afferrem, partim meliora efficerem; magis confidentem me saepe praebui, tamen non a moderatione alienum. Fatear autem magis oportet quantum sodalibus et discipulis debeam, qui quicquid in controuersiam uenerat meditati una mecum humanissime sunt; inter eos Iuliam Ammannati, Emmanuel Berti, Sergium Casali, Stephanum Grazzini, Iulianum Ranucci, Ioannem Petrum Rosati, Lucam Ruggeri, Iulium Vannini laudo iisque omnibus gratias ago quam maximas. Nec sum immemor quanto mihi usui fuerit Monia Manescalchi, quae, assidua contubernalis in Pisana Schola Normali nec non in classicis textibus edendis perita, eo impensius operam ac tempus profudit quo emendatius haec noua editio componeretur. At certe non possum reticere quam multis Michel Reeve me iuuerit consiliis: nam nobis mos est familiariter et peruicaciter disputare, id quod amicis ferme accidit ἐλευθεροστόμοις.

Pisis in philologorum seminario apud Scholam Normalem Superiorem, Kalendis Martiis anni p. Chr. n. MMXIX.

G. B. C.

PRAEFATIO

Ἕτερος ἐξ ἑτέρου σοφός, τό τε πάλαι τό τε νῦν
(Bacchyl.)

Tempus ipsum edax, quod temere ac fortuito ueterum scriptorum uestigia corrumpere solet uel oblitterare, Vergilii carminibus pepercit quasi maxima erga maximum Romanorum poetam reuerentia esset adhibenda. Testes enim potissimi, quibus freti *Aeneidos* textum restituere in integrum possumus, libri sunt aliquot sub aeui antiqui occasum scripti iidemque litteris capitalibus exarati tam magnificis ut monumenta Vergilio dicata uideantur. Hoc agmen praestantissima exemplaria ducunt tria, quorum litterae iure 'Vergilianae' uocabantur antiquitus (nunc eam litterarum formam philologi nos omnes peruulgato nomine 'capitalem rusticam' appellamus)[1]:

M = *Florentinus Laurentianus XXXIX, 1*, 'Mediceus' appellatus, saeculo quinto exeunte Romae scriptus (de quo folium unum demptum est, nunc 'schedis Vaticanis' [**F**] adiunctum, ubi *Aen.* 8,

1 De quibus praecipue uide O. Ribbeck, *Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis Opera Maiora* (Lipsiae 1866), 218–319, ubi hi codices omnes singillatim et diligentissime describuntur. Vide etiam E. A. Lowe, *Codices Latini Antiquiores*, I–XI cum supplem. (Oxonii 1934–66); R. Seider, *Beiträge zur Geschichte und Paläographie der antiken Vergilhandschriften*, in *Studien zum antiken Epos*, Meisenheim am Glan 1976, 129–172; A. Petrucci, *Virgilio nella cultura scritta romana,* in *Virgilio e noi*, Genova 1982, 51–72; A. Pratesi, *Nuove divagazioni per uno studio della scrittura capitale. I "codices Vergiliani antiquiores"*, «Scr. & Civ.» 9 (1985), 5–33 (= *Frustula Palaeographica*, Firenze 1992, 191–220); M. Geymonat, *Enciclopedia Virgiliana*, s.u. *Codici*, I (Roma 1984), 831–838, qui antiquos codices omnes eorumque formam et historiam dilucide pertractauit; Idem, *The Transmission of Virgil's Works in Antiquity and the Middle Ages*, in N. Horsfall, *A Companion to the Study of Virgil*, Leiden 1995, 293–312; uide etiam N. Horsfall, *Virgil, Aeneid 7: a Commentary*, Leiden 2000, XXX–XXXI.

585–642 leguntur). Paulo postquam librarii codicem descripserunt, distinxit et alio codice nisus uel ingenio suo fretus emendauit Turcius Rufius Apronianus Asterius, qui consul fuit anno 494 p. Ch. n., ut ipse in subscriptione aperte professus est.[2] In coenobium Sancti Columbani Bobiense constat codicem Mediceum postea transmigrasse, qui, quamuis primo fasciculo amisso, ad nos tamen fere incolumis peruenit[3]; etsi praeter modum a Nicolao Heinsio laudibus elatus est, moneo tamen de honore ne deiciatur magno quippe qui nonnumquam sinceras lectiones solus seruauerit.[4] Huius imaginem phototypice expressam, quam Henricus Rostagno edidit (Romae 1931), iterum atque iterum contuli[5], at meum in maximum beneficium docta mulier Iulia Ammannati, apud Pisanam Scholam contubernalis, codicem ipsum explorauit eiusque correctores internouit peritissime.

P = *Vaticanus Palatinus lat. 1631*, origine incerta, quinto saeculo exaratus, ineunte iam saeculo IX in Laureshamensi celeberrimo Germaniae monasterio (ut uulgo creditur[6]) adseruabatur summoque habebatur in honore, cum Vergilii ipsius manu scriptus esse iudicaretur; postea in Heidelbergensem Bibliothecam Palatinam translatus est, unde nomen suum traxit. Cum hic liber legeretur adsidue et multis euolueretur manibus, non solum duo et triginta folia interciderunt sed etiam, scriptorio atramento passim decolorato, litterae adeo euanuerunt nonnullae ut hodie uix dinoscantur. Huius imaginem phototypicam Remigius Sabbadini edidit (Parisiis

2 De Aproniani Asterii subscriptione egregie disseruit nuperrime G. Ammannati, «MD» 58 (2007), 227–239.

3 Hunc codicem, saec. XV Romam translatum, anno fere 1470 contulit minioque correxit Pomponius Laetus, qui priores quoque et iam euanescentes renouauit aliquando correctiones.

4 Vide etiam G. Funaioli, *Il valore del Mediceo nella tradizione manoscritta di Virgilio*, in Idem, *Studi di letteratura antica*, II 2, Bologna 1947, 363–386.

5 Codicem Mediceum diligenter illustrauit M. Hoffmann, *Der Codex Mediceus pl. XXXIX n. 1 des Vergilius*, I, Leipzig 1889; II, ibidem 1901; uide etiam H. R. Fairclough, «TAPA» 63 (1932), 206–224.

6 Sed uide M. McCormick, *Five hundred unknown glosses from the Palatine Virgil (The Vatican library, ms. Pal. Lat. 1631)*, «Studi e testi 343», Città del Vaticano 1992.

1929)[7], quae persaepe est a me frequentata; schedis photographicis usus sum plerumque, interdum autem oportuit codicem recognoscere ipsum.

R = *Vaticanus Latinus 3867*, saeculo sexto ineunte scriptus compluribusque picturis ornatus, cui clarissimus philologus Pierius nomen ‘Romano’ indidit, ex Gallico monasterio S. Dionysii prope Parisios in Bibliothecam Vaticanam, Sixto IV pontifice, translatus est. Alii uiri docti hunc codicem coniecerunt Rauennae esse descriptum, Byzantii alii: de re ambigitur nec est quicquam pro certo credendum[8]. Quamuis haud ita parui habendus sit, apud nos tamen prae lacunis non eadem ac Mediceus et Palatinus auctoritate pollet. Desunt septem et septuaginta folia, itaque desiderantur *Aen.* II 73–III 684, IV 217–V 36, XI 757–792, XII 651–686, 759–830, 939–952.[9]

Sunt praeterea alii pari antiquitate parique auctoritate insignes testes quattuor laudandi de quibus reliquiae tantum lacerae supersunt: **A**, **F**, **V**, **G**. De praestanti codice qui Augusteus [**A**] appellatur non nisi perpauca dicam, quia de *Aeneide* tantummodo quattuor uersus ex eo innotuerunt (IV 302–305). Exstant quattuor folia in Bibliotheca Vaticana (*Vat. Lat. 3256*) et in Berolinensi Bibl. tria (*Lat. Fol. 416*), tam magnificis litteris quadratis exarata ut codex ille, quasi titulos imitaretur in Augusteis marmoribus insculptos,

7 Cf. «Historia» 1 (1927), 57–67.

8 G. Cavallo, *La cultura a Ravenna tra Corte e Chiesa*, in *Le sedi della cultura nell’Emilia-Romagna* I, Milano 1983, 31; A. Pratesi, *Descrizione codicologica e paleografica del Virgilio Romano*, in *Vergilius Romanus*, Italo Lana curante, Milano 1986, 111–137; D. H. Wright, *Codicological Notes on the Vergilius Romanus (Vat. Lat. 3867),* «Studi e testi 345», Città del Vaticano 1992; Idem, *The Roman Vergil and the origins of Medieval book design*, London 2001; Alan Cameron, *Vergil Illustrated Between Pagans and Christians*, «JRA» 17 (2004), 502–525.

9 Huius codicis imaginem phototypice expressam praebet supra laudatus *Vergilius Romanus. Codice Vaticano Latino 3867*; picturae editae erant anno MCMII Romae cum praefatione Francisci Ehrle: *Picturae ornamenta, complura scripturae specimina codicis Vaticani 3867 qui codex Vergilii Romanus audit phototypice expressa, consilio et opera curatorum Bibliothecae Vaticanae.*

nomen suum sit adeptus.[10] His in frustulis, quae viri docti putant quinto saeculo exeunte uel sexto ineunte Romae esse descripta[11], supersunt *Georg.* I 41–280; III 181–220. Ex *Aeneidos* textu penitus hodie deperdito quattuor illos uersus quos supra memoraui aere expressos uulgauit Ioannes Mabillonius, *De re diplomatica*, II, Lutetiae Parisiorum 1709², 637.

F = *Fuluii Ursini schedae Bibliothecae Vaticanae* (*Vat. lat. 3225*), quae unice testantur quantum reuerentiae, prope iam excedente antiquitate, elegantiores homines Vergilio praestiterint: nam quinquaginta splendidae picturae hunc exornant librum, qui saeculo quarto exeunte uel quinto ineunte, litteris capitalibus rustici ductus adhibitis, accurate et polite descriptus est: quamuis compluribus mendis uitiatus, aliquot tamen magni momenti lectiones seruat.[12] Folia quinque et septuaginta tantum supersunt: perierunt *Bucolica* omnino et *Georgicon* priores libri duo; *Aeneidos* nonnulla fragmenta crebris intercisa lacunis exstant[13].

10 *Codicis Vergiliani qui Augusteus appellatur reliquiae quam simillime expressae*, ad Vergili natalem MM celebrandum qui erit id. Oct. a. MDCCCCXXX Bibliotheca Vaticana contulit, praefatus est R. Sabbadini, Augustae Taurinorum 1926; *Vergilius Augusteus. Vollständige Faksimile-Ausgabe im Originalformat. Codex Vaticanus Latinus 3256 der Biblioteca Apostolica Vaticana und Codex Latinus Fol. 416 der Staatsbibliothek Preussischer Kulturbesitz*, praefatus est C. Nordenfalk, Graz 1976.

11 Vide A. Petrucci, *Per la datazione del «Virgilio Augusteo»: osservazioni e proposte*, in *Miscellanea in memoria di Giorgio Cencetti*, Torino 1973, 29–45. Diligenter hunc codicem peruestigauit, res quoque orthographicas describens, Em. Hoffmann in «Zeitschr. f. d. österr. Gymnasien» 16 (1865), 129–148.

12 Vide D. H. Wright, *Vergilius Vaticanus. Codices e Vaticanis selecti 40*, Graz 1980; Idem, *The Vatican Vergil: A Masterpiece of Late Antique Art*, Berkeley 1993; cf. A. Geyer, *Die Genese narrativer Buchillustration. Der Miniaturenzyklus zur Aeneis im Vergilius Vaticanus*, Frankfurt a.M. 1989.

13 Plenam imaginem phototypice expressam suppeditant *Fragmenta et picturae Vergiliana codicis Vaticani Latini 3225*, consilio et opera curatorum Bibliothecae Vaticanae, Romae 1899 (iterum Romae 1930, tertium in Ciuitate Vaticana 1945); *Vergilius Vaticanus. Vollständige Faksimile-Ausgabe im Originalformat des Codex Vaticanus Latinus 3225 der Biblioteca Apostolica Vaticana*, Graz 1980–1984 (supra laud.).

V = *Veronensis XL (38)*, rescriptus. Supersunt omnino unum et quinquaginta folia, de *Bucolicis* scilicet quattuor, de *Georgicis* octo, de *Aeneide* septem et triginta. Hunc librum uerisimile est primitus in Gallia uel in Italia descriptum esse saeculo quinto; deinde saeculo septimo a librario quodam coenobii Luxouiensis (uel Luxouiensis scripturae perito), deleto Vergilio, Gregorii papae liber *Moralium in Iob* superimpositus est. Vergilii textus, cum ad grammaticorum usum conscriberetur, amplis instructus erat marginibus, qui mox multis et doctis adnotationibus referti sunt: totum harum adnotationum corpus *Scholia Veronensia* uulgo uocamus. Huc excerpta quoque nonnulla ex Aspri, Cornuti, Hateriani aliorumque grammaticorum commentariis confluxerunt[14]. Admodum lacunosus nunc est liber, qui, infestis lotionibus ad priorem faciem recuperandam superinfusis, detrimentum tam insanabile accepit ut fere ubicumque nonnisi laboriose legatur.[15]

G = *Sangallensis 1394*, qui, litteris quadratis elegantissimis saeculo quinto exeunte uel sexto ineunte exaratus, magnificum est opus et quod primi possessoris insignem opulentiam cultumque exquisitum singulariter testetur; nunc, post uarios casus uariosque errores in S. Galli bibliothecam reuectus, ibidem custoditur. Supersunt tantummodo undecim schedae, ex quibus tres rescriptae: sed et in ceteris adeo litterae euanuerunt ut difficillime oculis dinoscantur; fragmenta seruantur ex libris *Georgicon* IV et *Aeneidos* I, III, IV et VI.[16]

14 Haec scholia Hermannus Hagen in *Appendice Seruiana* recensuit (Lipsiae 1902); post illum nuper Claudius Baschera (Veronae 1999), cui tamen fidem oportet non nimiam haberi. Hoc autem est in uotis ut Aldus Lunelli, tam egregie scholiis in *Bucolica* et *Georgica* nuperrime editis, scholia quoque in *Aeneida* propediem edat.

15 Hunc codicem accuratissime descripsit M. Geymonat, *I codici G e V di Virgilio*, «Memorie dell'Istituto Lombardo», Accademia di Scienze e Lettere, XXIX, 3 (1966), 289–438; uide etiam E. Condello, *Ai margini di Virgilio. Paleografia e codicologia degli Scholia Veronensia*, in *Talking to the text: marginalia from papyri to print.* XII Course of International School for the study of written records (Erice 1998), edd. V. Fera, G. Ferraù, S. Rizzo, Messina 2002, 59–82.

16 Vide supra n. 15.

Postremum cum his praestantissimis codicibus in membranis saltem commemorandum est fragmentum et illud rescriptum Mediolanense, **B** (= *Palimps. Ambros. L 120 sup.*, olim *Cimel. Ms. 3* [*Pack*^{3} 2943]) quod sub Arabica quadam scriptura unum et octoginta uersus ex libro primo *Aeneidos* seruat: 588–608, 649–668, 689–708, 729–748. Hic codex, ferme medio saeculo quinto scriptus, certe in usu scholarum fuit: ibi enim nescioqui Graecae Aegypti incola aliquot uersus Vergilianos descripsit et exaduersum Graece conuertit ut, hoc tirocinio exercitatus, Latinum addisceret sermonem[17]. Supersunt etiam fragmenta nonnulla papyracea saeculis III–V exarata[18], ex quibus duo tantum adferunt dignas quae memorentur lectiones (*Pap. Colt Nessana 2. 1* [*Pack*^{3} 2939] et *Pap. Colt Nessana 2. 2* [*Pack*^{3} 2945]): illud siglo $\mathbf{\Pi_5}$ indicaui, hoc siglo $\mathbf{\Pi_{10}}$.

Cum de ueterum Vergilianorum codicum pristina copia hoc tantum reliquiarum supersit, complures tamen ex aeuo Carolino adsunt libri, in Germania et in Italia et maxime in Gallia descripti[19], qui renascens antiquitatis studium testantur nobisque, praesertim si ex antiquissimis libris proximam exhibent originem, aliquid sub-

17 *CLA* III 306; cfr. G. Galbiati, «Aevum» 1 (1927), 49–70; J. Kramer, «ZPE» 111 (1996), 1–20; uide etiam M. Fressura, *Note al Papiro greco Rylands 478 (PRyl 478)*, «Studi di egittologia e di papirologia» 4 (2007), 77–103.

18 Haec quotquot sunt omnia in tabulis Marii Geymonat inuenies indicata, unde ego, ne aliis siglis quemquam uexarem legentem, eadem ipsa sigla sum mutuatus; attamen palimpsestum Ambrosianum L 120 sup., quem Marius Geymonat in fragmentis numeratum siglo $\mathbf{\Pi_8}$ signauit, siglo **B** malui indicare (uide supra).

19 Vide L. Holtz, *La redécouverte de Virgile aux VIII*^{e} *et IX*^{e} *siècles d'après les manuscrits conservés*, in *Lectures médiévales de Virgile*: *Actes du colloque organisé par l'École française de Rome*, Rome 1985, 9–30; Idem, *Les manuscrits carolingiens de Virgile (X–XI siècles)*, in *La fortuna di Virgilio*: *Atti del convegno internaz.*, Napoli 1986, 127–149; B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins aux XI*^{e} *et XII*^{e} *siècles. Catalogue des manuscrits classiques latins copiés du IX*^{e} *au XII*^{e} *siècle*, II, Paris 1985, 672–826; III, 1 *Addenda et corrigenda*, ibid. 1989, 138–153; Idem, *Chronique des manuscrits classiques latins (IX*^{e}*–XII*^{e} *siècle)*, «Rév. Hist. des Textes» 21 (1991), 68–76; 24 (1994), 239–248; 27 (1997), 78–84; 30 (2000), 179–185; 32 (2002), 100–104; n.s. 2 (2007), 98–104; G. C. Alessio, *Enciclopedia Virgiliana*, s.u. *Medioevo: Tradizione manoscritta*, III, Roma 1986, 432–443.

sidii adferunt; inter eos praecipue **a** et **γ** eminent[20]. Nam **a** codicem Romanum (**R**) transcribit, atque similiter **γ** apographon est Palatini (**P**) uel potius cuiuspiam codocis indidem correcti; qua re, ubicumque **R** et **P** deficiunt, uicibus succedaneis unusquisque eorum fungitur peropportune. Paulo his antiquiora aliquot supersunt frusta ex duobus libris exeunte saeculo octauo exaratis, quae tamen permodico auxilio nobis succurrunt: **m** (*Monacensis lat. 29005, 18*) et **p** (*Parisinus lat. 7906*). Nunc ego, cum ex libris aetatis Carolinae quattuordecim iam pridem sint ab editoribus collati[21], octo alios contuli adhuc inexploratos, quos infra descriptos inuenies[22]. Quamuis in incerto sit utrum Carolini librarii, ut textum suum emendarent, sub oculis codices alios antiquos habuerint nunc pro deperditis habendos, an secuti sint grammaticos et commentatores ueteres quibus uerae lectiones haud ignotae essent, illos tamen liquet, a uetustissimis libris dissidentes, nonnumquam textum seruasse genuinum[23]. Quanta assiduitate Vergilius inter IX saeculum et XV sit in scholis lectitatus nullaque intermissione transcriptus, singulari testimonio ingentes cateruae recentiorum codicum confirmant, qui tamen auctoritate ac fide uetustioribus raro tantum praestare possunt[24].

* * * * *

Neminem praeterit quantam ingenii sollertiam quantamque subtilitatem Vergilius protulerit in nouando uerborum contextu, hoc unum studens ut oratio, mira nonnumquam adhibita licentia, non

20 Quibus de libris uide infra n. 38.

21 Vide Rogeri Mynors praefationem pp. IX–X et Marii Geymonat conspectum codicum pp. XXII–XXIV.

22 Vide infra pp. XXII–XXV.

23 Vide e. g. 1, 193 (*humi*); 4, 94 (*nomen*); 5, 573 (*Trinacriis*); 8, 672 (*spumabant*); 9, 236 (*sepulti*); 10, 838 (*pectora*); 11, 839 (*multatam*).

24 Diu multumque dubitaui an codices recentiores in 3, 127 genuinam lectionem seruauissent *consita*, cum tamen uetustiores omnes, Seruio consentiente, traderent *crebris … freta concita terris*, id quod timui ne pro exquisita locutione ualere posset: denique (Bentley, Henry, Horsfall, Goold praeeuntibus) *consita* satis confidenter scripsi. Attamen minime dubitans *subnexus* (4, 217), *subitum* (5, 522), *super* (6, 254) ex libris recentioribus recepi.

solum insolita sed etiam sublimis euaderet. Interdum tamen sinceras uerasque poetae locutiones, quae certissima ac prorsus propria indicia sunt elegantiae, scholastici atque grammatici ueteres laeserunt eo inepto consilio ut poetae noua inuenta callidasque iuncturas ad communem usum imprudenter reducerent; etiam diligentiores librarii nonnumquam eundem in errorem inducti sunt et lumina scite accensa insciti restinxerunt. Perraro tamen Vergilii textus talibus corruptionibus uiolatus uidetur quas emendare coniectando necesse sit, sed ad hoc critici saepius uocantur ut inter duas lectiones sapienter diiudicent quarum tamen neutra sit penitus spernenda aut plane absurda.

Optimi autem *Aeneidos* codices, quamuis incerta adfinitate coniuncti, nulla necessitudinis uincula aut cognationis exhibent neque ullo pacto in stemmatis ordinem digeri possunt; hoc tantum me posse adseuerare credo, ni fallor, libros illos in quendam gregem conglobandos esse. Librarii enim, duobus uel pluribus collatis exemplaribus, uarias lectiones receperunt, quas patet non rectis lineis propagatas esse, sed in singulos codices per transuersum commigrasse. Corruptiones autem nonnullae iam dudum a criticis prolatae sunt quae, omnibus uetustissimis libris communes, communem ortum in archetypo postulare uideantur. Hoc doctus uir Eduardus Courtney haud inanibus argumentis euincere studet[25], qui tamen dubitat utrum archetypum illud cum *Aeneidos* textu a Vario edito aequandum sit an, cum ne opera quidem a Vergilio ipso edita corruptionibus communibus careant, postulandum sit exemplar quoddam quarto saeculo scriptum unde antiquissimi libri littera capitali exarati effluxerint omnes. Quamuis multi (in primis Sebastianus Timpanaro[26]) hoc primum exemplar negent umquam exstitisse, necesse est nihilominus concedant aliquot menda reperiri posse communia; qua re illi, ut ex angustiis euadant, non solum numerum et pondus mendorum sollerter minuunt, sed ea

25 E. Courtney, *The Formation of the Text of Vergil*, «BICS» 28 (1981), 13–29; Id., *The Formation of the Text of Vergil – Again*, «BICS» 46 (2002–3), 189–194; uide etiam J. Velaza, *Itur in antiquam siluam. Un estudio sobre la tradición antigua del texto de Virgilio*, Frankfurt am Main 2001; A. Escobar, *La tradición antigua del texto virgiliano: notas acerca de algunas hipótesis recientes*, «Exempl. Class.» 12 (2008), 25–47.

26 Vide infra n. 29.

contendunt ex codicum contaminatione semper esse orta. Haec quaestio non facile expeditur. Quamuis menda communia archetypum uel (ut dicunt) palaeotypum quendam postulare uideantur, tam diffusa et adsidua codicum contaminatio ne hoc probabile credam me dehortatur. Adde quod codices uetustissimi saepe mutili sunt: per lubrica ergo ac dubia proceditur. Vtcumque res sese habet, non multum nostra interest rectane uia corruptiones ab archetypo manarint an per collationem atque contaminationem traditae sint: nostrum est ut eas omnimodis emendemus, uires si suppetunt.

Nimia autem fides non est concedenda suspicionibus eorum qui, iure rati Vergilii laborem manu caruisse extrema, *Aeneida* peruicaciter scrutati sunt eo proposito ut nimis multos uersus tamquam aliena in sede collocatos alio transferrent uel locos complures damnarent tamquam dupliciter a poeta scriptos et citra ultimam optionem relictos. Quod in uitium Otto Ribbeck praesertim delapsus est utraque in editione (Lipsiae 1858–1869^{1}; 1894–1895^{2}); ille, maxima eruditione egregiaque inuestigandi subtilitate praeditus, profecto inter uiros doctos de *Aeneide* benemeritos palmam haberet nisi diffidentiae suae praeter modum indulsisset. Nam cum pro certo habeamus carmen imperfectum, compluribus locis nondum expletis aut diiudicatis, a Vergilio relictum esse, ueri simile tamen est Varium Rufum edendis in uersibus operam dedisse ut expedita *Aeneidos* oratio flueret et concinna, quam minime uitiosa minimeque superuacanea: auctoris uice quodammodo functus, scrupulose quod seruandum erat seruauit et quod remouendum remouit. Quamobrem non dubito quin plerumque critici operam perdituri sint qui Vergilii idiographum animis appetant obstinatis et, incerta uestigia persecuti, ultra ultimum textum a Vario constabilitum conentur transilire.

Etiamsi Vergilii carmina, iam ante eius mortem, in scholis lectitabantur et laudandi causa aut rarius obtrectandi explanabantur a magistris, minime tamen potest comprobari *Aeneidos* textum ab ullo grammatico, critica ratione adhibita, editum esse. Non desunt uero qui contendant Valerium Probum Berytium Vergilii opera edidisse: attamen, cum lectiones quae nomini eius addicuntur non nisi raro prodeant in codices nostros, partes editoris illum egisse uix credere possumus, quem tantummodo commentationes uel

hypomnemata puto composuisse[27]. Antiquum aeuum per omne, ut satis constat, grammatici Latini ad Vergilium interpretandum incubuerunt adsidue et lectiones tradiderunt nonnullas quae in libris nostris non leguntur; at nuper uariae illae lectiones, quasi ad arbitrium excogitatae uel commenticiae, peruicaciter reiectae sunt[28]. Nam Hyginus et Probus et alii leuioris ingenii grammatici insimulati a quibusdam criticis sunt quod Vergilii textum sine causa mutassent atque, quasi absurde hariolati, falso proclamassent, ut fidem coniecturis suis adderent, a se aliis in libris inuentas esse illas lectiones. Nuperrime Sebastianus Timpanaro[29] iustis argumentis semel atque iterum pernegauit grammaticos Latinos tam seuere damnari posse, utpote qui, quamuis fortasse minore subtilitate praediti, Alexandrinae nihilominus philologiae sectatores essent et pluribus quam nos hodie uterentur libris, iisdemque multo uetustioribus. Si interdum (concedo) lectiones praetulerunt prauas, si interdum in ineptas coniecturas sunt prolapsi, lectiones tamen potiores quam quae nobis ab optimis libris traditae sunt nonnullas seruauerunt Seruius aliique grammatici uel commentatores (exempli gratia cf. 5, 720 *animum*; 6, 383 *cognomine terra*; 10, 673 *quosne*; 12, 120 *limo*; 12, 605 *floros*). Horum ergo argumenta moneo ut integro animo consideremus prudentique iudicio perpendamus.

* * * * *

Haud magnanime me gessi, scio, ego qui supra ueritus non sum doctissimum uirum Ottonem Ribbeck reprehendere quod nimis

27 Non neglegendis argumentis fretus aliter censet C. M. Lucarini, *Osservazioni sulle edizioni virgiliane di Vario e di Probo e sull'origine dell' «Anecdoton Parisinum»*, «Atti della Accademia Nazionale dei Lincei», Rendiconti, s. IX, vol. XVII, Roma 2006, 281–305, praesertim 303–305.

28 Praecipue J. E. G. Zetzel, *Latin Textual Criticism in Antiquity*, New York 1981; Idem, *"Emendaui ad Tironem": Some Notes on Scholarship in the II Century A.D.*, «HSCP» 77 (1973), 225–243; uide etiam G. P. Goold, *Seruius and the Helen Episode*, «HSCP» 74 (1970), 101–168.

29 S. Timpanaro, *Per la storia della filologia virgiliana antica*, Roma 1986 (2002^2); Idem, *Virgilianisti antichi e tradizione indiretta*, Firenze 2001. Probianas lectiones prudentissime defendit M. L. Delvigo, *Testo virgiliano e tradizione indiretta. Le varianti probiane*, «Biblioteca di *Materiali e Discussioni per l'analisi dei testi classici*» 5, Pisa 1987.

multis uersibus gratuito traiectis uel deletis editionem suam infirmauerit, nimis multos locos tamquam incohatos notauerit, nimis multos denique uersus utpote amissos desiderauerit; at uerba mihi desunt si laudes fingere conor pro meritis eius *qui talia nobis pectore parta suo quaesitaque praemia liquit.* Ille enim totius Vergilianae philologiae fundamenta per solidum subdidit: nemo enim qui *Aeneida* ediderit editurusue sit, illius prolegomenis aut apparatibus se abstinere neque iam potuit neque poterit umquam.

Multis post annis eximiam Italicarum editionum seriem egregie aperuit Remigius Sabbadini, qui textum constituit certiorem nitidoque ornauit apparatu[30]; post illum Aloisius Castiglioni et deinde Marius Geymonat Vergilii opera recognouerunt peritissime. Non est dubium quin Geymonatiana editio[31] (quae nuperrime typis exscripta iterum est, nonnullis additamentis illatis nonnullisque correctionibus)[32] locupletissimum praebeat apparatum criticum, quo non solum omnium codicum et papyrorum uariae lectiones, scribarum erroribus uel minimis obseruatis, accuratissime sunt relatae, sed etiam ueterum grammaticorum lucubrationes nec non criticorum coniecturae fere omnes; huc accedit quod ex hoc docto et laborioso receptaculo quid singuli optauerint editores unusquisque nostrum cognoscere potest expedite. Reticere non possum quantum utilitatis mihi illius apparatus attulerit quantoque me soluerit labore: libenter igitur me fateor multum illi debere. Et tamen (ne improbus iudicer precor aut ingratus) eiusmodi apparatum opinor plus prodesse quibus cordi sit de Vergiliani textus traditione scienter percontari quam quibus sit in animo ex tam ingenti traditione textum expromere certiorem. Quam autem ego rationem sim secutus aperiam infra.

Haud magno usui mihi fuerunt editiones Frederici A. Hirtzel[33] et Gualtheri Janell[34] quippe qui, sedulissimi operarii potius quam fabri periti, exigua et leuiter impressa uestigia in textu liquerunt:

30 Augustae Taurinorum 1918–1919 (Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum); Romae 1930 (Scriptores Graeci et Latini consilio Academiae Lynceorum editi).

31 Augustae Taurinorum 1973 (Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum).

32 Roma 2008 (Edizioni di Storia e Letteratura).

33 Oxonii 1900 (Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis).

34 Lipsiae 1929 (Bibliotheca Teubneriana).

hoc saltem laudi illis potest duci quod Ottonis Ribbeck suspicionibus obstiterunt ambo. Quotienscumque uero a Ioannis Götte editione[35], copiosis additamentis ornata, auxilium petiui, fructum non mediocrem sum consecutus: illum ego numquam ignarum aut ineptum inueni.

Nunc restat ut obseruantiam magnam sapienti uiro perdoctoque Rogerio Mynors tribuam, qui, in deligendo uigilantissimus, prudentia subtilitate moderatione excellere uidetur. Ille non solum lectiones antiquissimorum testium probe perpendendo ingenii sui documentum dedit praeclarum, sed etiam, compluribus Carolinae aetatis libris collatis, scientiam nostram de Vergiliana traditione admodum auxit: quanti momenti sint incrementa ab eo prolata, ipsis ex uerbis quae in praefatione scripsit satis constat[36]. Paene silentio praeterieram editionem Haruardianam perexiguo addito apparatu a Georgio P. Goold nuper confectam[37], qui propter ingenii sollertiam totiens admirationem meam mouit: semper sagax ille, at ego non semper idem sensi.

* * * * *

De huius editionis rationibus pauca dicam. Hoc uidelicet fuit propositum meum ut qui legeret non solum perspicue doceretur ex quibus indiciis quibusque testimoniis textus a me constitutus esset, sed etiam ut ipse, his argumentis fretus, aliter diiudicare

35 München 1971 (tertium ed. apud Heimeran, Tusculum-Bücherei).

36 P. Vergilii Maronis *Opera* recognouit breuique adnotatione critica instruxit R. A. B. Mynors (Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis), Oxonii 1969, VIII–XI. Aliquanto post (anno 1975 ad Haruardianos gradus adipiscendos; anno 1990 cum disputationem suam in publicum diuulgauit [*The Tradition of the Text of the Aeneid in the Ninth Century*, New York]), Robertus A. Kaster, Rogeri Mynors codicillis usus, undecim exemplaria saec. IX scripta percensuit ut inueniret qua necessitudine Carolinae aetatis libri cum antiquioribus Vergilianis codicibus coniuncti essent. Cum lateret quibus e fontibus singuli codices manassent, nonnullis quidem propinquitatis uinculis inter eos detectis, in tres manipulos a Roberto Kaster digesti sunt: **br**, **dfhot**, **aeuv**; nam in manipulo unoquoque, quamuis contaminatio ubique diffusa dominetur, nonnulli errores reperti sunt communes aut saltem consimiles.

37 Cambridge, Mass., 1999 (Loeb Class. Libr.).

posset aliumque textum suo Marte effingere. Itaque apparatum criticum parare minime ieiunum uolui at minime redundantem: quicquid superuacaneum erat et inane exclusi[38]; lectiones illas tantum commemoraui quae mihi probabiles uiderentur uel quae textum a me constitutum quodammodo confirmare possent; lectiones aperte uitiosas omisi, ex quibus tamen nonnullas malui adferre ueritus ne, si eas praetermisissem, ambiguitati aut obscuritati locum darem; aliquando sed raro admodum, maxima certe reuerentia adductus in libros uetustiores, lectiones uel prauas praeter consuetudinem memoraui cum a testibus tam uenerandis proferrentur. Vtique uolui, si ita dicere licet, ut apparatus textui totus inseruiret.

Non desunt uiri docti qui in apparatus suos multam uariamque philologiam accurate collegerint (Ribbeck memorabo et Sabbadini et maxime Geymonat): apud quos copiosissimam doctrinam facile inueniet quisquis in apparatu meo parum adquieuerit pluraque desiderarit; quin etiam Otto Ribbeck apparatui qui dicitur critico apparatum superadiecit alterum quo testimonia non ex codicibus petita perutiliter coegit. Ex eorum laboribus magnos fructus cepi, iisque omnibus gratias libenti animo persoluo. Apparatus ab iis confectos summa cura summaque diligentia contuli: quotienscumque discrepare inter se uidebantur, libros manu scrip-

38 Ab hoc instituto discessi quotienscumque lectiones ex codicibus **a** et **γ** mihi afferendae erant, quorum prior ex parte de **R** emanat, alter de **P** originem ducit. Minime enim Rogero Mynors exprobro quod, cum ille conscius esset codices **a** et **γ** tantummodo ut apographa ualere posse, ex his nullas lectiones commemorauerit nisi ubi **R** et **P** prae lacunis deessent; at ego uereor ne ille, subtili consilio actus magis quam re ipsa considerata, nimio rigore usus sit. Nam codex **a** non semper sine ulla discrepantia codicem **R** uidetur transcripsisse (etiam ubi ex **R** certe effluxit); qua de causa subdubitaui saepius an quod exemplar exstiterit inter **R** et **a** interpositum idemque contaminatum. Itaque, Marium Geymonat secutus, una cum ceteris Carolinae aetatis libris codicem **a** ubique malui laudare. Eadem usus ratione, sed magis confidenter, etiam ubi Palatinus non defecerat, codicis **γ** mentionem intuli, qui non ex ipso Palatino originem duxit sed “ex aliquo eius apographo uel saltem e codice aliquo indidem correcto” (ut Rogero Mynors satis constat, p. XI); itaque, oblata facultate, referre simul potui secundae manus lectiones, quae saepe mihi probabiles uisae sunt.

tos accuratius recognoui ut omnem tollerem dubitationem nodosque expedirem[39]; ex hac collatione Marium Geymonat superiorem testor plerumque discessisse.

Si autem codicem Mediceum studiose perscrutamur (at Palatinum et Romanum ceterosque libros antiquiores in numerum adgrego), facile nobis persuadetur uix posse fieri ut, Remigii Sabbadini Mariique Geymonat auctoritate adducti, alium correctorem ab alio internoscamus aut, unamquamque manum suo numero distinguere conati, singulas correctiones certo tribuamus semper correctori. Quin contra timeo ne quando hoc nos a uero abducat. Etenim, correctorum manibus diligenter perspectis, non solum nonnullas correctiones perperam adsignatas uidemus,[40] sed potius in centum minimas incidimus notas quae haudquaquam ulli satis

39 Experimentis cognitum est aliquot solere errores, editorum indiligentia uel inertia, prioribus ex apparatibus transmigrare et irrepere in nouos ibique latenter insidere: ex hoc numero alios emendare ualui, alii nescio an me praeterierint: e. g. ad 2, 62 **R** legit DOLO (per haplographiam) non DOLOS; ad 6, 699 **P¹** RIGABAT in RIGABANT non in RIGAEBANT correxit. Si plura exempla quaeris, uide 1, 701 ubi **P** habet FAMULI (-LAE **P²**), non FAMULE (Ribbeck, Sabbadini, Geymonat); 8, 556 PROPIUSQUE **R**, non PROPRIUSQUE (Ribb., Sabb., Geym.); 4, 309 MOLIRI **M**, non MOLIRIS (Ribb., Sabb., Geym.); 8, 343 MONSTRAT ARGILETI scripsit **M** (cf. 345), deinde Asterius deleuit ARGILETI suaque ipsius manu reposuit SUB RUPE LUPERCAL, at Ribb., Sabb. et Geym. referunt **M** primum scripsisse MONSTRAT ARGILETI SUB RUPE LUPERCAL et deinde Asterium tantummodo ARGILETI deleuisse. Editores notant omnes in codice **γ** uersus 11, 628–630 deesse (quos in margine alia manus addidit), attamen apparatus nullus docet tres hos uersus in **P** deletos esse. In libro X peierant editores nonnulli (in quorum numero nomino Ribbeck, Mynors et Goold) qui in apparatibus suis contendunt duos Parisinos libros ex Carolinis (quos ego siglis **g** et **r** in conspectu indicaui) talem uersuum ordinem 663-64-61-62-65 exhibere: hoc enim per errorem aut de falso primus adseuerauerat F. G. Pottier (Parisiis 1823) quem alii sunt secuti. Similiter in eodem decimo nullus ex Carolinis codicibus uersus 716–718 translatos post uersum 713 exhibet, nam hi libri omnes ad unum eandem tradunt dispositionem; at fallitur Mynors eiusque διάδοχοι.

40 Exempli gratia contendam (adhortatione firmatus doctae adiutricis Iuliae Ammannati de Vergilianis antiquis codicibus peritissimae) complures ex emendationibus quas in duodecimo *Aeneidos* libro Remigius Sabbadini et Marius Geymonat nota **M⁵** signauerunt, re uera Asterio adiudicandas esse: uide e. g. fol. 211 r (uu. 320–348).

certo correctori adscribi possint, ne dicam de illis quae nihil aliud sunt nisi liturae tenuissimis lineolis factae uel exiguissima calami signa per transuersum ducta uel minuscula puncta remouendis litteris superimposita uel etiam uacuae rasurae. Quae omnia tam indistincta et indiscreta uidentur esse ut fere numquam, ne atramentis quidem summa cura inspectis, singulae correctorum manus certo dinosci possint. In lubrico igitur, ut apparet, ea res uersatur. Itaque, si apparatum criticum conscribere uolumus certiorem, minime singulas distinguere manus oportet: hac in re, opinor, pedem referre idem ac progredi ualet.

Quo largiorem ipse testium conspectum pararem, octo libros Carolinae aetatis nondum collatos necesse erat conferri generatimque disponi; quod, sedulis discipulis opitulantibus, efficere potui expedite. Horum omnium si promiscue laudo uirtutem, singularem tamen iuuat Siluiae Ottaviano doctrinam collaudare, quae, operam moderata communem, nouos inuestigationis suae fructus antequam in publicum ederet mihi prompte largita est.[41] Itaque, his octo libris Carolinis nunc demum collatis post illos quattuordecim quos iam Rogerius Mynors et Marius Geymonat contulerant, fere omnium expleuimus numerum librorum Carolinae aetatis qui nostris temporibus exstant[42]: solas enim truncas praetermisimus reliquias inter quas eminent non solum fragmenta codicis

41 Cum totam se diu contulerit ad codicum Carolinorum inuestigationem, non multum abest quin Siluia Ottaviano ex labore suo fructum percipiat plenum: segetes, credo, propediem uenturae sunt copiosae. Iam ualui in meam utilitatem primas eius conuertere lucubrationes; at apparatum meum, nunc propter multa ac uaria sigla impeditum, in posterum spero posse, Carolinis libris sub communia sigla coactis et congregatis, fieri expeditiorem.

42 Vide supra n. 19. Hi octo codices penitus et diligenter collati sunt; alia ratione reliquorum Carolinae aetatis codicum singuli loci tantum per occasionem inspecti sunt ut adfinitas uel necessitudo aliqua illustraretur: ex his **f** solus, quippe praestantior, denuo discipulorum opera collatus est; ceteros quoque et opto et spero posse iterum conferri. Praeterea lectores de hoc certiores facio uersus nonnullos in his codicibus saepe a manibus recentioribus suppletos esse: quod maxime patet in **f** (*Aen.* 10, 747–759) et in **v** (*Aen.* 1, 1–100; 5, 241 – 6, 161; 6, 570 – 7, 645; 9, 407 – 10, 41; 11, 53 – 12, 516); de qua re uide R. A. Kaster, *The Tradition of the Text…*, 8–60.

illius quem siglo **q** signaui[43] sed etiam codicis **d** membrum disiectum[44]. Hi libri ex ordine infra indicantur:

g = *Parisinus Latinus 7925*, saec. ix$^{2/4}$ Gallia oriundus, glossemata et scholia plurima habet, quibus adnotationes duae a nescioquo lectore Italia septentrionali oriundo saec. xii sunt adscriptae[45]. Post *Georgicon* libros uersus *Aeneidos* 2, 567–588, suo loco omissi ut in ceteris codicibus, ex Seruii uita Vergiliana additi sunt. Mirum est quanta adfinitate codicem **f** attingat[46], quamuis sit eo rudior mendisque pluribus maculatus. Hunc inter ceteros Parisinos siglo 2 distinctum perperam contulit Potterius.

Descripsit Munk Olsen ii, 755; uide etiam schedam a Bibliotheca publica Galliae nuper uulgatam[47].

i = *Reginensis 1669*, ex Bernardi Bischoff sententia saec. ix^{2} exaratus et origine Remensis, apud Floriacensis monasterii bibliothecam (ut uidetur) usque eo adseruatus est donec in Petri Danielis possessionem uenit. Optimae notae est codex[48], nitide atque accurate

43 Huius codicis in monasterio Sancti Emmerami Ratisbonensis saec. IX$^{2/3}$ exarati exstant hodie tria fragmenta maiora (Berlin, Staatsbibliothek Preussischer Kulturbesitz, lat. 2° 421 + München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 29216(8 + München, Archäologische Staatssammlung, B. Starks Collectaneen Handschriften Nachlass, hist. Ver. 18, VIII^{2}): uide Munk Olsen II, 702–703; «RHT» 1997, 79; «RHT» 2007, 100. Eiusdem codicis cetera frusta, ubi Vergilii carmina paene omnino perierunt, non memoraui.

44 *Parisinus latinus 8093-VI*, saec. IX$^{2/3}$ exaratus; hoc fragmentum, iam pridem cognitum quia in eo Iuuenalis ludi libellus seruatur, eos ipsos uersus continet, ut S. Ottaviano uidit, qui a codice **d** olim seiuncti erant (*Aen.* 12, 682 usque ad finem); cf. Munk Olsen II, 761–762.

45 G. C. Alessio, C. Villa, *Per Inferno 1, 67–87*, in AA.VV., *Vestigia. Studi in onore di G. Billanovich*, Roma 1984, 8–11.

46 Vide praecipue *Aen.* 4, 523; 655 sq.; 5, 281; 6, 354; 7, 281; 555; 8, 413; 472; 567; 9, 17; 226; 11, 503; 691; 871 (cf. appar. crit.).

47 http://archivesetmanuscrits.bnf.fr.

48 Vide *Aen.* 4, 94 (*nomen*); 5, 558 (*it*); 573 (*Trinacriis*); 7, 211 (*auget*); 8, 724 (*Mulciber*); 11, 149 (*Pallanta*); 624 (*procurrens*); 708 (*fraudem*).

scriptus et Seruii commentario in marginibus instructus; a uariis manibus multae correctiones uariaeque lectiones illatae sunt.[49]

Descripsit Munk Olsen ii, 781; «RHT» 1994, 245.

j = *Bruxellensis Bibl. Reg. 5325–5327*, saec. ix$^{3/3}$ in Gallia septentrionali a rapidis et saepe illepidis manibus conscriptus; ex quibus quattuor scribae distingui possunt, qui perbono exemplari esse usi uidentur: nam cum codice **R** in aliquot locis hic conuenit[50]. Desunt folia *Aen.* 9, 425–494; 10, 16–85 continentia; omissi sunt *Aen.* 3, 662–683. Huius codicis uarias lectiones primus collegit perpenditque Kaster[51].

Descripsit Munk Olsen ii, 709; «RHT» 2000, 181.

k = *Hamburgensis scrin. 52*, saec. ix$^{2/4}$ Parisiis fortasse in coenobio Sancti Germani in Pratis eleganter confectus. Continet etiam Seruii commentarium in marginibus transcriptum et Ouidii *Epistulas ex Ponto* (i–iii 2, 67), cuius operis certissimus testis exstat; in Vergilio quoque est ubi uirtutibus emineat[52]. Hunc post Götte[53] contulit in *Georgicis* (eodem siglo signatum) Erren[54].

Descripsit Munk Olsen ii, 722; iii^2, 144–145; «RHT» 2000, 182.

w = *Guelferbytanus Gudianus 66*, saec. ix^1 exaratus apud abbatiam Sancti Vedasti aut monasterium Laureshamense, ut Bernardus Bischoff opinatus est. Desunt principium et finis (*Buc.* 1, 1 – *Georg.* 4, 69; *Aen.* 10, 124 – 12, 952). Hic codex cum **d** coniunctus intima familiaritate uidetur esse[55] (nam utroque in codice, id quod eorum

49 De hoc codice uide nunc S. Ottaviano, *Il Reg. Lat. 1669: un'edizione di Virgilio d'età carolingia*, «Miscell. Bibl. Ap. Vat.» 16, 2009 (s. p.).

50 Hoc maxime patefit in *Aen.* 7, 125 usque ad 9, 795: uide e. g. 7, 356; 458; 569; 744; 8, 90; 390; 9, 97 sq.; 270; 329; 363; 403; 529.

51 R. A. Kaster, *The Tradition of the Text...*, 28–31 et passim.

52 Vide *Aen.* 4, 26 (*Erebo*); 5, 720 (*animum*); 9, 646 (*formam*); 10, 805 (*arce*); 11, 345 (*ferat*). Orthographia quoque super solitum mendis caret.

53 *Landleben. Bucolica, Georgica, Catalepton*, hg. von J. und M. Götte, München 1981^4, 460–466.

54 *P. Vergilius Maro*, *Georgica*, hg. von M. Erren, B. I, Heidelberg 1985.

55 Vide praecipue *Aen.* 1, 49; 209; 3, 341; 670 (*attrectare*); 4, 541; 590; 701; 5, 158; 6, 696; 7, 566; 641; 718; 8, 390; 409; 431; 9, 817.

comprobat cognationem, aliquot uersus ad cantum uocum sunt notati).

Descripsit Munk Olsen ii, 794.

x = *Montepessulanus H 253*, saec. ix$^{2/3}$ in Gallia septentrionali exaratus. Suppleuit *Aen.* 11, 141–643 manus altera priori paene aequalis, uersus ab *Aen.* 12, 714 usque ad finem tertia manus ceteris recentior. Scholia uberrima exhibet, quae cum codicibus **f** et **g** in *Bucolicis*, cum fragmento **q** in *Aeneide* semel atque saepius consentiunt; ex alia fabrica tamen uidetur carminum textus esse confectus.

Descripsit Munk Olsen ii, 737–738.

y = *Parisinus Latinus 10307*, saec. ix$^{4/4}$ in Gallia orientali transcriptus, quem nescioqui magister ecclesiae Laudunensis adnotauit, ut Contreni uidit[56]. Continet etiam Sedulii Iuuencique carmina et in margine Seruii commentarium Daretisque Phrygii *De excidio Troiae historiam*; Vergilii autem opera ex eodem fonte hausta uidentur esse atque codices **kx**[57]. Fuit codex Regius Parisiensis apud Masuicium.[58]

Descripsit Munk Olsen ii, 755–756; iii^2, 149; «RHT» 1991, 73; 1994, 244.

z = *Parisinus Latinus 7927*, olim in bibliotheca adseruatus ecclesiae Sancti Martialis Lemouicensis, alibi in Gallia meridionali saec. x est exaratus. Cum aliqua folia intercidissent atque hic liber toto fine mutilatus esset, suppleti sunt a manibus xii saeculi uersus *Aen.* 2, 471–600; 5, 799 – 6, 779; 10, 2 – 12, 952. Vergilii operibus praemissus est Iuuenalis qui dicitur ludi libellus, ut fit etiam in **d**, quocum **z** saepe facit. Fuit Potterii codex 4.

Descripsit Munk Olsen ii, 755–756.

56 J. J. Contreni, *The Cathedral School of Laon*, München 1978, 89–90, 119–120, 139–141 et passim.

57 Vide praecipue *Aen.* 2, 67; 7, 379; 8, 313; 324; 512; 9, 237; 10, 863; 12, 221; 898.

58 *P. Virgilii Maronis Opera cum integris commentariis Seruii, Philargyrii, Pierii*, rec. P. Masuicius, Halma, Leouardiae 1717.

* * * * *

Otto Ribbeck, ut satis constat, codici Palatino nimium confisus est; Remigius Sabbadini primum Mediceo indulsit at deinde, mutata sententia, ad Palatinum et ipse inclinauit; ego uero (etsi quid studii sub pectore mihi perstet inuito) hanc legem sum secutus ut nullum codicem haberem pro optimo: cum enim, in tanta et tam diffusa codicum contaminatione, lectiones uerae ubique possint latere, ubicumque eas inueni, libero iudicio consilioque integro recepi. Equidem ego arbitror, omnibus locis bene collatis, codici Romano a criticis plerisque nimis seuere esse obtrectatum utpote qui peruulgata opinione longe deterior habendus esset; nec tamen hoc semper rebus respondere credo: nam non solum Romanus in prima scriptione non pluribus corruptionibus quam Mediceus et Palatinus uitiatus uidetur, sed, ut opinio mea fert, si auxilium petieris a Romano, suffragantibus modo Carolinis libris, nonnumquam Medicei uel Palatini singulares corruptiones sanabis.[59]

Hodie – qua in re cum Paulo Maas consentio – critici apparatus plerumque uidentur uita carere: olim uero philologi nonnulli (neque Friderici Leo memoriam quisquam deposuit neque Francisci Buecheler neque Alfredi Housman), aliam rationem secuti, quasi si pro textu a se constituto sponderent, apparatus suos animaduersionibus uiuidis frequenter ornauerunt. Quorum auctoritate adductus, adnotatiunculas per occasionem addidi ut consilia mea aperirem meaque iudicia confirmarem; hoc tantum timeo ne quando, exoptans textum comprobare ac facere planum, modum excesserim: rogo ignoscatis si, quasi cum lectoribus collocuturus, assidue curaui ne austera apparatus seueritas omnem exstingueret uocem editoris. Eodem consilio ex Seruii et Tiberii commentariis, si forte cum iis consentirem, excerpta rettuli ut eorum uerba mutuatus percommode enodarem ambiguitates. E contrario satis parcum in coniecturis criticorum laudandis tali ratione me praebui ut ex silentio improbatio patefieret: itaque quae mihi arriserunt,

59 Vide R. E. Gaebel, *The Vergilian Manuscripts M, P and R*, in D. F. Bright – E. S. Ramage, edd., *Classical Texts and their Traditions*, *Studies in honor of C. R. Trahman*, Chico, California, 1984, 59–66.

uel quae ἀπορίαν aliquam in textu indicauerant latere, eas solas memoraui.

* * * * *

Reliquum est nunc ut de orthographia et interpunctione breuiter disseram, sed strictim dicta fient iis apertiora qui paginas euoluerint sequentes. Orthographiam inter omnes constat in libris manuscriptis frequenter fluctuare et mutabilem esse; ceterum nobis minime est obliuiscendum quam saepe Vergilius, teretes praebens aures uocalitati sermonis, non solum uerborum exitus scite uariauerit sed uocibus etiam obsoletis usus sit quo aptior et iucundior sonorum efficeretur iunctura. Quam rem patet de uniuscuiusque iudicio pendere, non de lege grammatica ab opinionis arbitrio seiuncta. Nam, sicut Gellius testatur, Probus olim contendit Vergilium, poetico iure uindicato, prout proximarum uocum consonantia postularet, *urbes* et *urbis*, *turrem* et *turrim*, *securem* et *securim* ad arbitrium suum scripsisse.[60] Itaque non id secutus sum ut ueterum codicum scripturam ad aeui Vergiliani titulos lapidarios conformarem (qui tamen ipsi saepe discrepare inter se uidentur), sed de librariorum quoque licentia et inscitia diffisus sum: nam quid librarii nouauerint aut quid nimio uetustatis studio abrepti mutauerint, sane ignoratur.

At Otto Ribbeck et Remigius Sabbadini persuasum sibi habuerunt (codice **P** plerumque freti) se posse ex sparsis reliquiis, quasi naufragia traditionis colligentes, genuinas uoces recuperare quae, iam exaequata uarietate scripturae, plerisque de codicibus dilapsae essent. An recte hoc fecissent ego saepe dubitaui: nam timui ne quis interdum librarius, arbitratu suo uel sua scribendi consuetudine actus, quendam uetustatis colorem uerbis improprie induxisset. Si quid tamen minus uulgare contra scribarum usum fortuito seruatum inueni, dignum credidi quod nulla opinione praesumpta examinaretur et, dummodo probabile esset, merito retineretur (cf.

60 Vide *Noct. Att.* 13, 21, 1 sqq. *diuersis in locis "urbis" et "urbes" dixit arbitrio consilioque usus auris.* Cf. F. Bömer, *Der Akkusativus pluralis auf* -is, -eis *und* -es *bei Vergil*, «Emerita» 21 (1953), 182–234, et ibid. 22 (1954), 175–210; M. Geymonat in *Enc. Virg.* I, Roma 1984, 13–14.

e. g. 1, 436 *fraglantia*, non *fragrantia*). Qua de causa inaequalitatem sequi ueritus aliquando non sum: exempli gratia afferam 1, 117 *uortex*, ubi fit adnominatio *uorat … uortex* (quasi *uortex* a uorando?); alibi *uertice* scripsi. Sed quidnam ad 2, 727 et 7, 703 illam scribendi formam *exagmine* pro *examine* seruarem, si nihil aliud ibi latere iudicaui nisi ineptam deprauationem librariorum qui, quasi duae essent distinguendae uoces, insipienter *ex agmine* intellexerint? itaque, orthographia ad certam normam conformata, *examine* plane scripsi.

Quaestionum orthographicarum duo genera oportet proprietate ac natura distinguantur: multum enim differt utrum de formis adsimilatis agamus (quae res non maximi est momenti) an de uerborum exitu sonorumque dilectu, id quod ad carminis elegantiam credo pertinere et proinde magni nostra interesse. Aequo animo, quamuis mihi non semper persuasissimum esset, formas adsimilatas praetuli plerumque: *imp-, imm-, comm-, coll-* potius quam *inp-, inm-, conm-, conl-*; similiter scripsi *accelero, agnosco, appeto, aspicio* et *aspecto* potius quam *adcelero, adgnosco, adpeto, adspicio* et *adspecto*; ab hoc numero *adsto, adfatur, adgredior, adloquor, adspiro* excepi. Haec autem multiplex res uidetur esse et subobscura[61]. Codicum inconstantia scrupulosum quemque uexat editorem: nam temere codices omnes inter se modo dissident modo concordant, nec ullum inuenies qui sibi plane constet aut formulam sequatur unam; adde huc quod illa scribendi Vergiliana uarietas saepe nos in suspenso relinquit nostrumque auget errorem. Ipse quoque Rogerius Mynors, qui orthographiam omnem ad unam regulam aequare studuit, uidetur interdum sibi non constare.

Si ergo de recta scribendi ratione quaerimus, in nos bene cadit illud Catulli: *quod uides perisse perditum ducas.* Itaque, cum timerem ne quid fallaciae haberet regula una firmissima, malui medium consilium tenere. Fere illas seruandas mihi esse putaui scribendi formas quae magis Vergilianis temporibus consentaneae et aptae uiderentur, at tamen nullam esse neglegendam uarietatem scribendi quae cuidam causae peculiari seruiret: itaque ad 10, 24 et 144 et 11, 382 non *agger murorum* sed *agger moerorum* probaui,

61 Docte et facete de rebus orthographicis nuper disseruit N. Horsfall, «Scripta Classica Israelica» 24 (2005), 225–228.

quae iunctura, antiquis quoque testantibus doctis, Ennium patrem mihi est uisa redolere. Nec aliam rationem secutus, prout codices testabantur, *nato*, *nati*, *natum*, *natis* alicubi scripsi; alibi *gnato*, *gnate*, *gnati*, si quando in grauitatem adsurgere oratio uidebatur: e. g. 10, 525 *gnatoque patrique*; 6, 116 *gnatique patrisque*; 6, 868 *o gnate*. Bis tantum, suadente Seruio nec antiquis libris repugnantibus, praeter consuetudinem *succepi* (1, 175) et *succipiunt* (6, 249) ut priscas uoces in textum recepi.

Maioris certe est momenti qua ratione, libris nimium fluctuantibus, delegerim inter accusatiuos plurales tum in *-is* tum in *-es* exeuntes: hoc enim credo potuisse uersibus suauiorem infundere uocalitatem. Cum pro certo scirem Vergilium sibi ipsum non semper constare, quin immo studiosissimum uarietatis esse, ad optimorum codicum fidem quantum potui quantumque licuit confugi: propterea cum Ottone Ribbeck me fateor aliquotiens consensisse. Itaque, ut par fuit, scripsi e. g. 5, 634; 6, 671; 11, 298 *amnis*; 6, 572; 7, 450; 8, 437 et 697 *anguis*; 6, 663 *artis*; 3, 522 *collis*; 2, 624; 5, 743; 9, 145 et 522 *ignis*; 2, 804 *montis*; 1, 168 *nauis*; 1, 269; 12, 763 *orbis*; 2, 717 et 747; 8, 11 *penatis*; 5, 635 *puppis*; 11, 466 *turris*; 6, 92 et 378; 8, 434 *urbis*, at aliquando (3, 106 et 295, et saepe alibi) malui *urbes*[62]. Nonnumquam, omnibus indiciis attente examinatis, uiam alteram iniui: e. g. 10, 13 *Alpes*; 7, 658 et 8, 289 *angues*; 1, 657; 5, 359; 12, 393 et 397 *artes*; 6, 193; 12, 248 et 262 *aues*; 9, 383 *calles*; 11, 360 *ciues*; 3, 300; 4, 537; 8, 675; 10, 36 *classes*; 7, 798; 11, 319 et 902 *colles*; 5, 751 *egentes*; 3, 237; 11, 194 *enses*; 6, 818 et 7, 173 *fasces*; 8, 410; 9, 78 et 129; 10, 56 *ignes*; 4, 427 *manes*; 5, 584; 8, 448; 10, 885; 12, 481, 670, 743 et 925 *orbes*; 1, 69; 10, 268 *puppes*; 1, 68 et 378; 3, 603; 4, 21 et 598; 5, 62; 8, 543; 9, 258; 11, 264 *penates*; 2, 307 *praecipites*; 6, 72 *sortes*; 3, 483; 4, 648; 7, 349 et alibi *uestes*; 1, 214; 2, 617; 4, 175; 6, 771 et alibi *uires*; 12, 329 *semineces*[63]. De euphonia usque

62 Gell. 13, 21, 5 *contra in tertio Aeneidis "urbes" dixit per "e" litteram ... hic item muta ut "urbis" dicas: nimis exilis uox erit et exsanguis.*

63 Cum uerborum exitus fluctuarent ideoque *orbes* uel *orbis*, *ignes* uel *ignis*, *naues* uel *nauis* dici posset, saepe librarii consuetudinem suam sequebantur incuriosi atque terminationes ad arbitrium exaequabant: uide e. g. 12, 708 ubi **P** et **V** pro genetiuo *orbis*, neglegenter interpretati, *orbes* scripserunt; non dissimili ratione **P** contra metrum scripsit 8, 255 *igni* pro *igne.*

sollicitus, considerata quoque adiacentium uocum consonantia, praetuli *optume Graiugenum* (8, 127), at contra 5, 358 *risit pater optimus.*

Ne apparatum criticum grauiorem facerem, minutas res orthographicas plerumque praetermisi: quas qui desiderauerit, ex apparatibus Ottonis Ribbeck et Remigii Sabbadini atque praesertim Marii Geymonat poterit eas cognoscere omnes. Varietatem tamen Graecorum nominum commemoraui, quorum declinatio, sicut Quintilianus fuse exposuit (1, 5, 63), Latine scribentibus ambigua semper fuit: Vergilius enim modo Graecam figuram secutus est, modo Latinam.

Quo loco uersus distinguendi essent, quae uerba separanda aut coniungenda, ubi clauderetur sensus, unde inciperet, maximae mihi fuit curae ut uaria interpunctione indicarem; ita quosdam iam uexatos locos et immerito emendatos, distinctione adhibita aptiore, potui expedire: uide e. g. 9, 463 *aeratasque acies*, ubi, si recte distinxeris, uerborum coniunctionem senties sane quadrare; uide etiam inter alia 1, 416 *ubi templum illi*; 2, 471–475 *qualis ubi ... nunc positis ... conuoluit*; 4, 398 *natat uncta carina* (κατὰ παρένθεσιν); 9, 85–86 (ne seiunxeris moneo *pinea silua mihi* a *lucus ... fuit*, quia in unam sententiam haec uerba cohaerent: uide textum et apparatum); 9, 579 *et laevo adfixa est lateri manus* (additamentum est διὰ μέσου interiectum); 11, 18 *arma parate animis.*

* * * * *

Ab hoc labore discessurus extremo, profiteor aliorum beneuolentiae auxilioque me permultum debere: quos omnes grata memoria recolo, paucos laudabo. Proximis superioribus annis semel atque saepius scholas de Vergiliano textu habui ut in controuersiam res difficillimas quasque deducerem et mea iudicia frequentiore recognitione periclitarer. Discipuli mei et discipulae, bonae spei adulescentes, consociata opera curauerunt ne quid erroris in adferendis testimoniis relinqueretur. Primo loco Emmanuel Berti, Laram Nicolini et Lisam Piazzi nominabo, qui non solum una mecum testimonia uetustissima editorumque apparatus recensuerunt sed etiam singulos fere locos mecum pertractauerunt incertos uel obscuros; iis pertinaciter monentibus, uiam persaepe inueni: *sunt hic*

etiam sua praemia laudi. Iulia Ammannati, ueteris scripturae eximia interpres, codices **M** et **P** perspiciendo eorumque correctores dinoscendo mihi adsidue subuenit, cuius magna adiutus peritia apparatum criticum ubique conficere potui certiorem.

Quanta debeatur gratia Stephano Grazzini, Nicolao Lanzarone, Laurae Micozzi, Iuliano Ranucci, Ernesto Stagni et Iulio Vannini dici uix potest, quia, discipuli fidelissimi, stipendiis apud Pisanam Scholam Normalem iam emeritis, militiam renouare non dubitauerunt. Beneficiorum memor sum (denuo libenti animo testor) quae a Siluia Ottaviano accepi in inquirendis et generatim digerendis Carolinae aetatis libris: illa, philologiae admodum gnara, operam cum condiscipulis saepe sociauit ut, pluribus colloquiis in schola nostra habitis, octo ex iis libris primum conferrentur atque ceteris adiungerentur iamdiu collatis. Nec obliuisci potero quam prompte Nicolaus Horsfall doctrinae suae multae nonnihil mecum partitus sit. Mihi multum profuit Ioannes Gärtner perdoctus collega qui, Bibliothecae Teubnerianae mandata studiose persecutus, scidas nondum perpolitas peritissime emendauit.

Marco Buonocore, Scriptori Latino egregio, dignae sunt grates persoluendae qui, cum Vaticana Bibliotheca nullo modo adiri posset (illa enim per triennium, refectionis causa, erat doctis omnibus praeclusa), ut satis exploratas haberem Palatini et Romani codicum lectiones manusque uarias, si forte incertus haesissem, mihi oculos acerrimos et singularem peritiam largitus est. Grato animo Francam Arduini iuuat laudare, Bibliothecae Laurentianae doctam praepositam, quae uenerandissimum Vergilium Mediceum magna cum liberalitate nobis commodauit ut totus percenseretur. Nunc demum quinque docti uiri sunt nominandi qui, amici uel potius amicissimi, nonnumquam inter cenandum de boni editoris officio facete mecum sunt fabulati (nonne oportet etiam inter cenandum philologiam nosse?): Marium De Nonno, Paulum Fedeli, Rolandum Ferri, Marium Labate et Michael Reeve dico. Quos uniuersos omnes benigne saluto, post etiam iubeo ualere.

Scribebam Pisis G.B.C.
e Schola Normali Superiore
mense Decembri MMVIII

TABVLA NOTARVM QVIBVS AVCTORES ET TESTES SAEPIVS ADHIBITI IN APPARATV INDICANTVR

ps. Acro	Acronis quae dicuntur scholia in Horatium (ed. O. Keller, Lipsiae 1902–1904).
Agroec.	Agroecius (saec. V), *Ars de orthographia* (*GLK* VII; ed. M. Pugliarello, Milano 1978).
Apthon.	Aelius Festus Apthonius (= ps. Marius Victorinus, saec. IV?), *Ars grammatica* (*GLK* VI).
Apul.	Apuleius Madaurensis (saec. II).
Arus.	Arusianus Messius (saec. IV), *Exempla elocutionum* (*GLK* VII; ed. A. Della Casa, Milano 1977).
ps. Ascon.	Q. Asconi Pediani (saec. I) quae dicuntur scholia in Ciceronis *Orationes* (ed. T. Stangl, Wien 1912).
Asper	Aemilius Asper (saec. III?), *Grammatica Vergiliana*, in *Appendice Seruiana* (ed. O. Hagen, Lipsiae 1902, ex codice rescripto Parisino 12161, saec. V).
Aug.	Aurelius Augustinus (354–430).
Auson.	D. Magnus Ausonius (saec. IV).
Cassiod.	Cassiodorus Senator (saec. VI), *Institutiones* (ed. R. A. B. Mynors, Oxonii 1937).
Catull.	C. Valerius Catullus (saec. I a.C.).
Char.	Flauius Sosipater Charisius (saec. IV), *Ars Grammatica* (*GLK* I; ed. C. Barwick et F. Kühnert, Lipsiae 1924, 1964^2).
CIL	Corpus Inscriptionum Latinarum.
Claudian.	Claudius Claudianus (saec. IV–V).
Cledon.	Cledonius (saec. V?), *Ars grammatica* (*GLK* V).
Colum.	L. Iunius Moderatus Columella (seac. I), *Res rustica.*
Cons.	Consentius (saec. V), *Ars grammatica* (*GLK* V).
Diom.	Diomedes (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* I).

Don.	Aelius Donatus (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* IV; ed. L. Holtz, Paris 1981).
Don. ad Ter.	eiusdem *Commentum Terenti* (ed. P. Wessner, Lipsiae 1902–1905).
uita Don.	eiusdem *uita Vergili* (ed. G. Brugnoli et F. Stok, Romae 1997).
Dosith.	Dositheus (saec. IV?), *Ars grammatica* (*GLK* VII; ed. G. Bonnet, Paris 2005).
DSeru.	Seruius qui dicitur Danielis uel auctus (quae scholia Seruianis addita partim primus edidit P. Daniel, Parisiis 1600; uide *Seru.*).
Enn.	Q. Ennius (239–169 a.C.), *Annalium fragmenta* (post I. Vahlen, Lipsiae 1903^{2}, ed. O. Skutsch, Oxford 1985).
Fulg.	Fabius Planciades Fulgentius (saec. V?), *Expositio Vergilianae continentiae* (ed. R. Helm, Lipsiae 1898).
Gell.	A. Gellius (saec. II), *Noctes Atticae.*
GLK	*Grammatici latini* ex recensione H. Keilii, I–VIII, Lipsiae 1857–1880.
Gramm.	e grammaticis tres pluresue (uide indicem auctorum in *GLK* VII).
Hieron.	Sophronius Eusebius Hieronymus (c. 347–420).
Hist. Aug.	Scriptores Historiae Augustae (saec. IV–V).
Hos. Get.	Hosidius Geta (saec. II–III), *Medea*, cento Vergilianus (= *Anth. Lat.* 17; ed. R. Lamacchia, Lipsiae 1981).
Il. lat.	*Ilias latina* (saec. I ex.; ed. M. Scaffai, Bologna 1982).
Isid.	Isidorus Hispalensis (saec. VI–VII), *Etymologiae* (ed. W. M. Lindsay, Oxonii 1911).
Lact.	L. Caecilius Firmianus Lactantius (saec. III–IV).
Lucan.	M. Annaeus Lucanus (39–65).
Lucr.	T. Lucretius Carus (saec. I a.C.).
Macrob.	Macrobius Ambrosius Theodosius (saec. V in.), *Saturnalia* (ed. I. Willis, Lipsiae 1963, 1970^{2}; ed. corr. 1994).
Macrob. somn.	eiusdem *Commentarii in somnium Scipionis* (ed. I. Willis, Lipsiae 1963, 1970^{2}).
Manil.	M. Manilius (saec. I).

Mar. Vict.	C. Marius Victorinus (saec. IV), *Ars grammatica* (*GLK* VI; ed. I. Mariotti, Firenze 1967).
Mart.	M. Valerius Martialis (saec. I ex.).
Min. Fel.	M. Minucius Felix (saec. II–III), *Octauius.*
Non.	Nonius Marcellus (saec. IV?), *De compendiosa doctrina* (ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1903).
Orosius	Paulus (?) Orosius (saec. IV–V).
Ou.	P. Ouidius Naso (43 a.C.–18 p.C.).
Pers.	A. Persius Flaccus (34–62).
Plin.	C. Plinius Secundus (23–79).
Pomp.	Pompeius (saec. V), *Commentum artis Donati* (*GLK* V).
Porph.	Pomponius Porphyrio (saec. III), *Commentum Horatii* (ed. A. Holder, Aeniponti 1894).
Prisc.	Priscianus Caesariensis (saec. V–VI), *Institutiones grammaticae* (*GLK* II–III).
Prisc. fig. num.	eiusdem *De figuris numerorum* (*GLK* III; ed. M. Passalacqua, Roma 1987).
Prisc. part.	eiusdem *Partitiones duodecim uersuum Aeneidos principalium* (*GLK* III; ed. M. Passalacqua, Roma 1987).
Prisc. praeex.	eiusdem *Praeexercitamina* (*GLK* III; ed. M. Passalacqua, Roma 1987).
Probus	M. Valerius Probus, ut ferunt (saec. IV?), *Instituta artium* (*GLK* IV).
ps. Probus	Probi qui dicitur *Commentarius in Bucolica et Georgica* (in *Appendice Seruiana*, ed. H. Hagen, Lipsiae 1902).
Prop.	Sex. Propertius (c. 50–15 a.C.).
Prud.	Aurelius Prudentius Clemens (saec. IV).
Quint.	M. Fabius Quintilianus (saec. I ex.), *Institutio oratoria.*
Rufin.	Iulius Rufinianus (saec. IV?), *De figuris sententiarum* (*Rhetores latini minores*, ed. C. Halm, Lipsiae 1863).
Sac.	Marius Plotius Sacerdos (saec. III), *Artes grammaticae* (*GLK* VI).
Scaurus	Q. Terentius Scaurus (saec. II), *De orthographia* (*GLK* VI; ed. F. Biddau, Hildesheim 2008).

schol. Bemb.	scholia in Terentium Bembina (cod. Vaticanus latinus 3226, saec. IV–V; ed. J. E. Mountford, Londinii 1934).
schol. Bern.	scholia Bernensia in Vergilii *Bucolica* et *Georgica* (ed. H. Hagen, «JKPh» suppl. IV, 1887).
schol. Iuu.	scholia in Iuuenalem uetustiora (ed. P. Wessner, Lipsiae 1931, Stutgardiae 1967^2).
schol. Med.	scholia in Vergilii *Bucolica* quae in codice Mediceo seruantur (ed. M. Ihm, «RhM» 45, 1890, 622–636).
schol. Pers.	scholia antiqua in Persium uel commentum Cornuti (ed. W. Clausen et J. Zetzel, Lipsiae 2005).
schol. Stat.	Lactanti Placidi, ut ferunt (saec. V–VI), *Commentarii* in Statii *Thebaida* et *Achilleida* (ed. R. D. Sweeney, Lipsiae 1997).
schol. Ver.	scholia in Vergilium Veronensia (post H. Hagen in *Appendice Seruiana*, Lipsiae 1902, ed. C. Baschera, Verona 1999, et A. Lunelli, «Maia» 53, 2001, 63–135 [in *Bucolica*], et «Maia» 55, 2003, 5–83 [in *Georgica*]).
Sen.	L. Annaeus Seneca (c. 4 a.C.–65).
Seru.	Seruius (saec. IV–V), in Vergilium *Commentarii* (ed. G. Thilo, Lipsiae 1881–1887; accedit *Appendix* ceteros praeter Seruium et scholia Bernensia Vergilii commentatores continens, ed. H. Hagen, 1902; ed. Harvardiana, Lancastriae Pennsylvanorum 1946 [in *Aen.* I–II], Oxonii 1965 [in *Aen.* III–V]; ed. G. Ramires, Bologna 1996 [in *Aen.* IX], Bologna 2003 [in *Aen.* VII]).
Sil.	Silius Italicus (saec. I ex.).
Stat.	P. Papinius Statius (saec. I ex.).
Tac.	P. Cornelius Tacitus (saec. I–II).
Tert.	Q. Septimius Florens Tertullianus (saec. II–III).
Tib.	Tiberius Claudius Donatus (saec. IV–V?), *Interpretationes Vergilianae* (ed. H. Georgii, Lipsiae 1905–1906; *Aen.* 6, 1–157 interpretationem nuper inuenit et edidit P. K. Marshall, «Manuscripta» 37, 1993, 3–20).
Val. Fl.	C. Valerius Flaccus (saec. I).
Velius	Velius Longus (saec. II), *De orthographia* (*GLK* VII).

INDEX PHILOLOGORVM
QVORVM CONIECTVRAE MEMORANTVR
(PRAETER EDITORES IN PRAEFATIONE LAVDATOS)

Albrecht	E. Albrecht, *Wiederholte Verse und Verstheile bei Vergil*, «Hermes» 16, 1881, 393–444.
Axt	K. A. M. Axt, *Zur Erklärung und Kritik der Horazischen Epoden*, Progr. Gymn. Kreuznach 1846.
Baehrens	Ae. Baehrens, *Emendationes Vergilianae*, «N. Jahrb. f. Philol. und Paed.» 129, 1884, 391–412; 131, 1885, 385–401; 135, 1887, 259–277; 807–829.
Bembus	P. Bembus (Pietro Bembo), *De Virgilii Culice et Terentii fabulis liber*, Venetiis 1530.
Bentley	lectiones et coniecturae a R. Bentley in exemplari ed. Commelinianae an. 1646 (quod hodie in Mus. Brit. siglo '688 g. 6' signatur) adnotatae (diuulgatae in «Programm des königl. Gymnasiums zu Quedlinburg», Quedlinburg 1879).
Bentley *ad Hor.*	*Q. Horatius Flaccus*, ex recensione et cum notis atque emendationibus R. Bentleii, Cantabrigiae 1711.
Bentley *ad Lucan.*	*M. Annaei Lucani Pharsalia*, cum notis Hug. Grotii et R. Bentleii, Strawberry-Hill 1760.
Bothe	F. H. Bothe, *Virgilius Virgilianus, siue quaestio de Virgilii locis quibusdam dubiis aut corruptis*, Heidelbergae et Spirae 1821.
Brunck	*P. Virgilii Maronis Bucolica, Georgica et Aeneis*, ad optimorum exemplarium fidem recensuit R. F. Ph. Brunck, Argentorati 1785.
Bryant	J. Bryant, ap. Heyne.
Büchner	W. Büchner, *Annotationum criticarum ad M. Tulli Ciceronis orationem pro L. Cornelio Balbo habitam particula altera*, Progr. Gymn. Schwerin 1866.
Burman	*P. Virgilii Maronis Opera*, cum integris et emendatioribus commentariis Seruii, Philargyrii, Pierii. Accedunt F. Ursini,

G. Fabricii, F. Nansii, Joh. Musonii, T. Fabri et aliorum et praecipue Nic. Heinsii notae nunc primum editae; quibus et suas in omne opus animaduersiones et uariantes in Seruium lectiones addidit P. Burmannus, post cuius obitum interruptam editionis curam suscepit et adornauit P. Burmannus junior, I–IV, Amstelaedami 1746.

Burman *ad Anth.* — *Anthologia ueterum latinorum epigrammatum et poematum, siue Catalecta poetarum latinorum in VI libros digesta* ... cura P. Burmanni Secundi, qui perpetuas adnotationes adiecit, I–II, Amstelaedami 1759–1773.

Campbell — A. Y. Campbell, *Aeneidea*, «CR» 52, 1938, 161–163.

Conte 2016 — G. B. Conte, *Critical Notes on Virgil. Editing the Teubner Text of the «Georgics» and the «Aeneid»*, Berlin/ Boston 2016.

Conte 2017 — G. B. Conte, *Ribbeck e Sabbadini editori di Virgilio*, «MD» 78, 2017, 51–68.

Conte 2017a — G. B. Conte, *Quattro note critico-testuali all'Eneide* (*9, 85–86; 9, 79; 10, 366–367; 12, 218*), «MD» 79, 2017, 201–211.

Conte 2018 — G. B. Conte, *Un marchio di stile virgiliano*: *la coordinazione nell'Eneide*, «MD» 80, 2018, 99–119.

Conte 2018a — G. B. Conte, *Una discussione aporetica. A proposito di Aen. 4, 436*, «MD» 81, 2018, 201–205.

Conte 2019 — G. B. Conte, *Le porte del Sonno. Su Aen. 6, 893–98*, «Hermes» 2019, Heft 2.

Conte 2020 — G. B. Conte, *Christian Gottlob Heyne as a critic of Virgil's text*, in L. Curtis, I. Peirano, J. Welsh (eds.), *Texts, Authors, and Readers: Papers in Honor of Richard Tarrant*, Cambridge MA: Department of the Classics, Harvard University 2020.

Cunningham — *P. Virgilii Maronis Bucolica, Georgica et Aeneis*, ex recensione A. Cuningamii, Edinburgi 1743.

Deuticke — uide Ladewig.

Dietsch — R. Dietsch, *Theologumenon Vergilianorum particula*, Progr. Gymn. Grimma 1853.

D'Orville — J. P. D'Orville, ap. Burman.

Faber *ad Phaedr.* — *Phaedri, qui sub Augusto et Tiberio uixit, Fabulae.* Additae sunt notae et animaduersiones Tanaquilli Fabri, Salmurii 1657.

Faernus — G. Faernus (Gabriello Faerno), ap. F. Ursinum (Fulvio Orsini), *Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus*, Antverpiae 1568.

Gebhardi — W. Gebhardi, *Kritisch-exegetische Studien zum zweiten Teil von Vergils Aeneis*, Meseritz 1879.

Gemoll — W. Gemoll, *Kritische Bemerkungen zu lateinischen Schriftstellern*, Progr. Gymn. Liegnitz 1890.

Gossrau — *P. Virgilii Maronis Aeneis*, in usum scholarum annotatione perpetua illustrauit G. G. Gossrau, Quedlinburgi et Lipsiae 1846.

Gronovius *ad Sen.* — *L. Annaei Senecae Tragoediae*, J. F. Gronovius recensuit; accesserunt eiusdem et uariorum notae, Lugduni Batauorum 1661.

Güthling — *P. Vergili Maronis Bucolica*, *Georgica*, *Aeneis*, recognouit O. Güthling, I–II, Lipsiae 1886.

Guyet ad Ter. — Fr. Guyeti *in P. Terentii comoedias VI commentarii*, Argentorati 1657.

Harrison — Vergil, *Aeneid 10*, with introduction, translation and commentary by S. Harrison, Oxford 1991.

Heinsius — *P. Virgilii Maronis Opera*, Nic. Heinsius Dan. fil. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit, Amstelodami 1676; uide etiam Burman.

Henry — J. Henry, *Aeneidea or critical, exegetical and aesthetical remarks on the Aeneid*, I–V, London-Dublin-Meissen 1873–1892.

Heyne — *P. Virgilius Maro*, uarietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Chr. G. Heyne, I–IV, Lipsiae 1767–1775; quartam ed. curauit G. Ph. Wagner, I–IV, Lipsiae-Londinii 1830–1833.

Horsfall — N. Horsfall, *Virgil. Aeneid 7: A Commentary*, Leiden 2000

Housman *ad Manil.* — *M. Manilii Astronomicon libri I–V*, recensuit et enarrauit A. E. Housman, editio altera, Cambridge 1937.

Huet — P. D. Huet, *Huetiana, ou pensées diverses de M. Huet*, Paris 1722.

Kraggerud — E. Kraggerud, *Vergiliana. Critical Studies on the Texts of Publius Vergilius Maro*, London-New York 2017

Iulius Sabinus — Iulii Pomponii Sabini (= Pomponio Leto) *in omnia quae quidem extant P. Vergilii Maronis opera commentarii*, Basileae 1544.

Jasper — F. Jasper, *Zu Vergil*, «Zeitsch. f. d. Gymn.-Wesen» XXXIII, 9, 1879, 561–574.

Klouček — *P. Vergili Maronis Opera*, scholarum in usum edidit W. Klouček, I–II, Lipsiae 1886.

Kvičala — J. Kvičala, *Vergil-Studien*, Prag 1878; Id., *Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis*, Prag 1881.

Lachmann *ad Lucr.* — C. Lachmanni *in T. Lucretii Cari De rerum natura libros commentarius*, iterum editus, Berolini 1855.

Ladewig — *Vergils Gedichte*, erklärt von Th. Ladewig, I–III, Berlin 1850–1853; 6e (10e, 8e) Aufl. von C. Schaper, Berlin 1876–1886; 8e (11e, 9e) Aufl. bearb. von P. Deuticke, Berlin 1891–1907.

Mackail — *The Aeneid*, ed. with introduction and commentary by J. W. Mackail, Oxford 1930.

Madvig — J. N. Madvig, *Aduersaria critica ad scriptores Graecos et Latinos*, II, Hauniae 1873.

Markland *ad Stat.* — *P. Papinii Statii Siluarum libri quinque*, ex uetustis exemplaribus recensuit et notas atque emendationes adiecit Jer. Marklandus, Londini 1728.

A. Nauck — A. Nauck, *Kritische Bemerkungen V*, in *Mélanges Gréco-Romains*, Tome III, St.-Pétersbourg 1869, 9–102.

C. W. Nauck — C. W. Nauck, *Spicilegium philologum*, «N. Jahrb. f. Philol. und Paed.», Suppl.-Bd. 14, 1848, 549–565.

Nettleship — *The Works of Virgil*, with a commentary by J. Conington (I–III, London 1858–1871), revised by H. Nettleship, I–III, London 1881–1884.

Novák — R. Novák, ap. J. Kvičala, *Nové kritické a exegetické příspevky k Vergiliově Aeneidě*, Prag 1892.

Peerlkamp — *P. Virgilii Maronis Aeneidos libri I–XII*, edidit et annotatione illustrauit P. Hofman Peerlkamp, I–II, Leidae 1843.

Pomponius Laetus — uide Iulium Sabinum.

Rau — S. J. E. Rau, *Schediasma, de uersibus spuriis in libro primo Aeneidos Virgilianae*, Lugduni Batauorum 1846.

Rivero	Publio Virgilio Marón, *Eneida*, texto latino, traducción y notas de L. Rivero Garcia, J. A. Estévez Sola, M. Librán Moreno, A. Ramírez de Verger, I–IV, Madrid 2009–2011.
Rutgers *ad Hor.*	*Q. Horatius Flaccus*, accedunt J. Rutgersii *Lectiones Venusinae*, Traiecti Batauorum 1699.
Scaliger *ad Manil.*	*M. Manilii Astronomicon libri quinque*, Jos. Scaliger recensuit ac pristino ordini suo restituit; eiusdem Jos. Scaligeri commentarius in eosdem libros et castigationum explicationes, Lutetiae 1579.
Schaper	uide Ladewig.
Schoell	Fr. Schoell, ap. G. Thilo – H. Hagen, *Seruii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii*, I–III, Leipzig 1878–1887.
Schrader	Joh. Schraderi schedae manuscriptae, emendationes in Vergilium continentes, quibus Heyne usus est.
Schröter	G. Schröter, *Beiträge zur Kritik und Erklärung von Vergils Aeneis*, Progr. Gymn. Gr.-Strehlitz 1875.
Slater	D. A. Slater, ap. Mackail.
Thilo	*P. Vergili Maronis Carmina*, edidit G. Thilo, Lipsiae 1886.
Tyrrell *ad Eur.*	*The Bacchae of Euripides*, with revision of the text and commentary by R. Y. Tyrrell, London 1892.
Valesius	H. Valesius (Adrien de Valois), *Valesiana, ou Les pensées critiques, historiques et morales, et les poésies latines de M. de Valois*, Paris 1695.
Wagner	uide Heyne.
Wakefield	*P. Virgilii Maronis Opera*, emendabat et notulis illustrabat G. Wakefield, I–II, Londini 1796.
West *ad Hes.*	Hesiod, *Works & Days*, ed. with prolegomena and commentary by M. L. West, Oxford 1978.
Zimmermann	A. Zimmermann, *Zur Aeneis II, 176ff.*, «N. Jahrb. f. Philol. und Paed.» 130, 1884, 631–632.

CONSPECTVS CODICVM

CODICES ANTIQVIORES

M Mediceus Laurentianus lat. Plut. XXXIX, 1, saec. V ex.

- **M¹** librarius ipse se corrigens
- **M^A** Turcius Rufius Apronianus Asterius
- **M²** ceteri correctores, ex quibus nullus satis certe Carolinae aetati adsignari potest; dubium an interdum Asterius ipse
- **M^x** librarius ipse uel alia manus (uel atramento inspecto incertum)
- **M^M** uide ad 7, 581
- **M^P** Pomponius Laetus, anno fere 1470, minio corrigens (raro adnotatur, praesertim cum priorem correctionem uidetur renouasse, uel cum apparatus inter se discrepant uel errant)

P Vaticanus Palatinus lat. 1631, saec. V (perierunt 1, 1–276; 4, 116–161; 7, 277–644; 10, 460–508; 11, 645–690; 737–782; 12, 47–92)

- **P¹** manus priori persimilis, minutis litteris uel in rasura corrigens, idem, puto, in promptu habens exemplar quod librarius descripserat, duplicibus instructum lectionibus; dubium an interdum librarius ipse (qua de re nota **P⁽¹⁾** nonnumquam adhibita est, maxime in rasuris)
- **P²** corrector quidam antiquus (qui, fide Sabbadini, codicem etiam distinxit); raro et aliae manus antiquae uel Carolinae aetatis
- **P^x** librarius ipse uel alia manus (atramento non inspecto incertum)

R Vaticanus lat. 3867 (“Romanus”), saec. VI in. (perierunt 2, 73–3, 684; 4, 217–5, 36; 11, 757–792; 12, 651–686; 759–830; 939–952)

- **R¹** librarius ipse se corrigens
- **R²** corrector aliquis antiquus uel raro recentioris aetatis
- **R^x** librarius ipse uel alia manus (atramento non inspecto incertum)

A Vaticanus latinus 3256 et Berolinensis lat. fol. 416 (“Augusteus”), saec. V ex. uel VI in. (supersunt 4, 302–305)

B Palimps. Ambrosianus L 120 sup., olim Cimel. Ms. 3, saec. V, rescriptus (supersunt 1, 588–608; 649–668; 689–708; 729–748)

F Vaticanus latinus 3225 (“Fuluii Ursini schedae Vaticanae”), saec. IV ex. uel V in. (supersunt 1, 185–268; 419–521; 586–611; 654–680; 2, 170–198; 254–309; 437–468; 673–699; 3, 1–54; 79–216; 300–341; 660–689; 4, 1–92;

234–257; 286–310; 443–521; 555–583; 651–688; 5, 109–158; 784–814; 6, 26–50; 219–272; 393–423; 491–559; 589–755; 858–872; 879–901; 7, 5–58; 179–329; 428–469; 486–509; 594–646; 8, 71–98; 9, 32–68; 118–164; 207–234; 509–535; 11, 858–895)

F² corrector aliquis antiquus

Fᶜ corrector Carolinae aetatis (uide praecipue 4, 93–120)

G Sangallensis 1394, saec. V ex. uel VI in., partim rescriptus (supersunt 1, 381–418; 685–722; 3, 191–227; 457–531; 4, 1–37; 6, 655–659; 674–684; 688–724)

G² corrector aliquis antiquus

V Veronensis XL (38), saec. V, rescriptus (supersunt 1, 1–26; 235–260; 2, 80–105; 158–183; 288–313; 470–496; 623–726; 3, 561–586; 691–716; 4, 144–195; 5, 73–96; 241–292; 448–499; 7, 248–273; 326–351; 404–429; 482–507; 586–611; 664–689; 8, 14–39; 93–118; 9, 354–405; 10, 1–26; 53–78; 183–208; 235–261; 549–574; 732–758; 12, 456–508; 667–718)

V² corrector aliquis antiquus

m Monacensis lat. 29216/7, olim 29005/18, saec. VIII ex. (supersunt 5, 704–725; 737–758; 6, 39–57; 73–90)

m² corrector eiusdem aetatis

p Parisinus lat. 7906, saec. VIII ex. (supersunt 1, 1–128; 3, 682–5, 734)

p² corrector eiusdem aetatis

FRAGMENTA PAPYRACEA

Π_5 Pap. Colt Nessana 2.1, saec. V–VI (seruantur singula uerba 1, 262–263; 331–332; 413–424; 457–476; 602–606; 613–615; 668–669; 2, 26–102; 717–718; 765–766; 788–789; 4, 248–497)

Π_{10} Pap. Colt Nessana 2.2, saec. V–VI (seruantur 2, 296–299; 320–333; 3, 559–563, 591–595; 630–633; 662–666; 4, 450–457; 483–490; 517–521; 552–559; 647–650; 683–686; 5, 8–10; 44–46; 644–648; 676–681; 6, 425–434; 459–468; 492–503; 526–537; 561–573; 596–607; 631–643; 665–677; 701–711; 735–745; 769–780; 804–814; 838–845; 874–878)

CODICES SAEC. IX–X

a Bernensis 172 cum Parisino lat. 7929 (desunt 5, 853–6, 13; 12, 868–952), partim (9, 537–12, 819, praeter 10, 371–853) apographon codicis **R**

b Bernensis 165 (desunt 12, 919–952)

c Bernensis 184

d Bernensis 255 et 239 cum Parisino lat. 8093

e Bernensis 167 (desunt 12, 452–579; 772–952)

f Oxoniensis Bodl. auct. F. 2. 8.

g Parisinus lat. 7925

h Valentianensis 407 (389)

i Reginensis 1669

j Bruxellensis Bibl. reg. 5325–5327 (desunt 9, 425–494; 10, 16–85)

k Hamburgensis scrin. 52

n Neapolitanus Vind. lat. 6 (desunt 12, 676–952)

q Berolinensis lat. 2° 421 + Monacensis lat. 29216/8 + fragmentum Monacense ex libris Bernardi Stark 18, VIII (supersunt 1, 583–698; 2, 57–167; 287–399; 512–646; 704–762; 3, 305–362; 4, 287–466; 5, 59–116; 234–291; 6, 577–820; 7, 352–423; 690–753)

r Parisinus lat. 7926 (desunt 12, 138–952)

s Parisinus lat. 7928 (supersunt 5, 1–501; 6, 705–9, 639)

t Parisinus lat. 13043 (desunt 2, 285–3, 79; 11, 11–12, 952)

u Parisinus lat. 13044 (supersunt 6, 130–609; 6, 676–7, 712; 7, 748–12, 364)

v Vaticanus lat. 1570

w Guelferbytanus Gudianus 66 (desunt 10, 124–12, 952)

x Montepessulanus H 253

y Parisinus lat. 10307

z Parisinus lat. 7927
a^2, **b**^{2}, **c**^{2} ecc. correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis (perraro laudantur)

ω consensus horum omnium, uel quotquot non separatim nominantur

γ Guelferbytanus Gudianus lat. 2° 70, apographon codicis **P**, uel potius codicis indidem correcti
γ^1, **γ**^{2} correctores uel uariae lectiones fere eiusdem aetatis

recc. codices recentiores, ab Heinsio, Heyne, Ribbeck aliisue laudati

LIBER I

Arma uirumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lauinaque uenit
litora – multum ille et terris iactatus et alto
ui superum, saeuae memorem Iunonis ob iram,
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
inferretque deos Latio; genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quidue dolens regina deum tot uoluere casus
insignem pietate uirum, tot adire labores
impulerit. tantaene animis caelestibus irae?
    Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe
ostia, diues opum studiisque asperrima belli;
quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
posthabita coluisse Samo. hic illius arma,
hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
si qua fata sinant, iam tum tenditque fouetque.

MγRVp

1 «*Nisus grammaticus audisse se a senioribus aiebat Varium … primi libri correxisse principium his uersibus demptis*: Ille ego qui quondam gracili modulatus auena / carmen et egressus siluis uicina coegi / ut quamuis auido parerent arua colono, / gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis / (arma uirumque cano)» *uita Don. 42* (*et similiter narrat Seru. in praef. Aen. comm.*); *uersum* ille – auena *ut Vergilianum agnoscunt etiam Gramm.*; *sed* arma uirumque *initium Vergiliani poematis fuisse multi auctores antiqui testantur* (*e.g. Ou. trist. 2, 534*; *Pers. 1, 96*; *Mart. 8, 55, 19*; *14, 185, 2 etc.*), *nec omnino dubitandum est. De tota quaestione uide G.B. Conte, Memoria dei poeti…, Torino 1974, 62 sqq.*; *A. La Penna, «SIFC» 18, 1985, 76–91*; *L. Gamberale, Studi G. Monaco, II, Palermo 1991, 963–980* **2** lauinaque **M^{1}γRp^{2}ω**, *tegula saec. I Italicae inuenta* (*CIL II 4967, 31*), *Quint. 11, 3, 37, Hieron. in Ezech. 9, 30, 14, Macrob. 5, 2, 8, probat Seru.*; *cf. etiam Prop. 2, 34, 64* : lauiniaque (*cf. Aen. 4, 236*) **MVpn**, *Tib.* (*utrumque Gramm.*; *quid Gell. 10, 16, 6 non liquet*) : lauinia, *eraso* -que, *restituere uoluit* **M^{x}**; *cf. E. Berti, «MD» 60, 2008, 191–200* **11** impulerat **Rn** **15** una **Mp** (*corr.* **M^{2}**) **18** sinunt **M** (*corr.* **M^{1}**)

progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
audierat Tyrias olim quae uerteret arces;
hinc populum late regem belloque superbum
uenturum excidio Libyae: sic uoluere Parcas.
id metuens ueterisque memor Saturnia belli,
prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis
– necdum etiam causae irarum saeuique dolores
exciderant animo; manet alta mente repostum
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae
et genus inuisum et rapti Ganymedis honores:
his accensa super iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
arcebat longe Latio, multosque per annos
errabant acti fatis maria omnia circum.
tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
uela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,
cum Iuno aeternum seruans sub pectore uulnus
haec secum: ‘mene incepto desistere uictam
nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
quippe uetor fatis. Pallasne exurere classem
Argiuum atque ipsos potuit submergere ponto
unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
ipsa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem
disiecitque rates euertitque aequora uentis,
illum exspirantem transfixo pectore flammas
turbine corripuit scopuloque infixit acuto;
ast ego, quae diuum incedo regina Iouisque

MγRVp 26 *desinit* **V**

21–22 «*in Probi adpuncti sunt et adnotatum ‘hi duo si eximantur, nihilo minus sensus integer erit’*» *DSeru.* **24** agris **Mx** (*corr.* $\mathbf{M}^1$) : arcis **p** (*corr.* $\mathbf{p}^2$) **25** causa **pc** **30** achilli **Mγρω**, *schol. Bemb. ad Ter. Ad. 841*, *Asper ap. Seru. ad Aen. 8, 383*, *Seru. hic et alibi*, *Tib.*, *Gramm.* : achillis **R**, *Pomp. 284, 7*; *cf. Aen. 3, 87* **35** ruebant] secabant *Seru. ad Aen. 2, 209* (*ex Aen. 10, 214*) **38** italiam **γRh** (*corr.* $\mathbf{R}^x$) **41** oili **M**, *Seru. hic et ad u. 231*, *Tib.* **44** pectore] *et* tempore *legebant Probus* (*cl. Aen. 9, 588*) *aliique, teste DSeru.* **45** inflixit «*uerius*» *Cornutus ap. DSeru.*

et soror et coniunx, una cum gente tot annos
bella gero. et quisquam numen Iunonis adorat
praeterea aut supplex aris imponet honorem?’
Talia flammato secum dea corde uolutans
nimborum in patriam, loca feta furentibus Austris,
Aeoliam uenit. hic uasto rex Aeolus antro
luctantis uentos tempestatesque sonoras
imperio premit ac uinclis et carcere frenat.
illi indignantes magno cum murmure montis
circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
sceptra tenens mollitque animos et temperat iras.
ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
quippe ferant rapidi secum uerrantque per auras;
sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
hoc metuens molemque et montis insuper altos
imposuit, regemque dedit qui foedere certo
et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
ad quem tum Iuno supplex his uocibus usa est:
‘Aeole, namque tibi diuum pater atque hominum rex
et mulcere dedit fluctus et tollere uento,
gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor
Ilium in Italiam portans uictosque penates:
incute uim uentis submersasque obrue puppes,
aut age diuersos et dissice corpora ponto.
sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
quarum quae forma pulcherrima Deiopea,
conubio iungam stabili propriamque dicabo,
omnis ut tecum meritis pro talibus annos
exigat et pulchra faciat te prole parentem.’
Aeolus haec contra: ‘tuus, o regina, quid optes
explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iouemque

MγRp

48 adorat **MγRω** (-rant **p**), *Tib.*, *Gramm.* : adoret *Quint. 9, 2, 10*, *Seru. ad georg. 4, 502*, *DSeru. ad Aen. 2, 79*; *10, 826 et 12, 11* **49** imponet **Mγ**^{1}**Rd?w** : inponit **γρω**, *GLK V, 521, 10*, *Tib.* : inponat *recc.* **70** et] aut **M** (*corr.* **M**^{p} *ut uid.*); ‘aut dissice corpora’ *dicendum fuisse censet DSeru.*

concilias, tu das epulis accumbere diuum
nimborumque facis tempestatumque potentem.’
Haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem
impulit in latus; ac uenti uelut agmine facto,
qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
incubuere mari totumque a sedibus imis
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et uastos uoluunt ad litora fluctus;
insequitur clamorque uirum stridorque rudentum.
eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra;
intonuere poli et crebris micat ignibus aether,
praesentemque uiris intentant omnia mortem.
extemplo Aeneae soluuntur frigore membra;
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
talia uoce refert: ‘o terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis
Tydide! mene Iliacis occumbere campis
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
saeuus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
scuta uirum galeasque et fortia corpora uoluit!’
Talia iactanti stridens Aquilone procella
uelum aduersa ferit fluctusque ad sidera tollit.
franguntur remi, tum prora auertit et undis
dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit: furit aestus harenis.
tris Notus abreptas in saxa latentia torquet

MγRp

87 rudentem **Mγ** (*corr.* **M**^{1} *uel* **M**^{A}**γ**^{1}) **100** undas **pn?**, *agnoscit Seru.* (*cf. Aen. 8, 538*) **103** fluctusque **M**^{A}**Rbefgjknvxy** : fluctumque **Mγpacdhirtwz**, *Tib.* **104** prora **pω**, *Porph. ad Hor. sat. 1, 3, 35, Seru. ad u. 402, «alii» ap. DSeru.* : proram **MγR**, *DSeru.*, *Tib.*

– saxa uocant Itali mediis quae in fluctibus Aras,
dorsum immane mari summo –, tris Eurus ab alto
in breuia et Syrtis urget (miserabile uisu)
inliditque uadis atque aggere cingit harenae.
unam, quae Lycios fidumque uehebat Oronten,
ipsius ante oculos ingens a uertice pontus
in puppim ferit: excutitur pronusque magister
uoluitur in caput, ast illam ter fluctus ibidem
torquet agens circum et rapidus uorat aequore uortex.
apparent rari nantes in gurgite uasto,
arma uirum tabulaeque et Troia gaza per undas.
iam ualidam Ilionei nauem, iam fortis Achatae,
et qua uectus Abas, et qua grandaeuus Aletes,
uicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum
emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
stagna refusa uadis, grauiter commotus, et alto
prospiciens summa placidum caput extulit unda.
disiectam Aeneae toto uidet aequore classem,
fluctibus oppressos Troas caelique ruina;
nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque uocat, dehinc talia fatur:
'Tantane uos generis tenuit fiducia uestri?
iam caelum terramque meo sine numine, uenti,

MγRp 128 *desinit* **p**

109 mediis quae **Rp?ω**, *Quint. 8, 2, 14, Seru., Gramm.* : mediisque **Mγacehijvyz**; «*ordo est: 'quae saxa in mediis fluctibus Itali Aras uocant'*» *Seru.* (*hanc mixturam uerborum tamquam uitiosam, immerito puto, reprehendit Quint.*) in *om.* **y**, *non legisse uidentur* «*alii*» *ap. DSeru.* *hunc uersum post Bryant secl. Ribbeck* **110** maris summi *Char. 275, 20* **113** oronten **Rp**, *Tib.*, *testatur Char. 20, 6* : orontem **Mγ** **115** pronum *aduerbialiter legunt* «*nonnulli*» *ap. DSeru.* **117** uortex **γRp**^{2}, *Plin. ap. Char. 88, 20* (*qui* uortex *a 114* uertice *discernere studet*), *Tib.* : uertex **Mp**, *DSeru. hic et ad Aen. 12, 673*; *puto Vergilium adnominationem* uorat / uortex *artificiose requisisse, quasi esset 'uortex a uorando'* **120** achati *Plin. ap. Char. 132, 22* **123** remisque **Mγ** (*corr.* **M**^{x}**γ**^{1}) **129** ruina **Mω**, *Seru. hic, ad georg. 1, 324 et ad Aen. 8, 525, Tib.* : ruinam **γRadi** **130** «*aut* doli Iunonis *aut* fratrem Iunonis» *Seru.*

miscere et tantas audetis tollere moles?
quos ego…! sed motos praestat componere fluctus;
post mihi non simili poena commissa luetis.
maturate fugam regique haec dicite uestro:
non illi imperium pelagi saeuumque tridentem,
sed mihi sorte datum. tenet ille immania saxa,
uestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
Aeolus et clauso uentorum carcere regnet.'
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat
collectasque fugat nubes solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
detrudunt nauis scopulo; leuat ipse tridenti
et uastas aperit Syrtis et temperat aequor
atque rotis summas leuibus perlabitur undas.
ac ueluti magno in populo cum saepe coorta est
seditio saeuitque animis ignobile uulgus,
iamque faces et saxa uolant, furor arma ministrat;
tum, pietate grauem ac meritis si forte uirum quem
conspexere, silent arrectisque auribus adstant;
ille regit dictis animos et pectora mulcet:
sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
prospiciens genitor caeloque inuectus aperto
flectit equos curruque uolans dat lora secundo.
Defessi Aeneadae quae proxima litora cursu
contendunt petere et Libyae uertuntur ad oras.
est in secessu longo locus: insula portum
efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
hinc atque hinc uastae rupes geminique minantur
in caelum scopuli, quorum sub uertice late
aequora tuta silent; tum siluis scaena coruscis
desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum;

MγR

150 «*multi non* uolant *sed* uolunt *inuenisse se dicunt*» *DSeru.* **156** curruque] fluctuque **γRa?** (*corr.* **γ**¹)

intus aquae dulces uiuoque sedilia saxo,
Nympharum domus. hic fessas non uincula nauis
ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
huc septem Aeneas collectis nauibus omni
ex numero subit, ac magno telluris amore
egressi optata potiuntur Troes harena
et sale tabentis artus in litore ponunt.
ac primum silici scintillam excudit Achates
succepitque ignem foliis atque arida circum
nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.
tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
expediunt fessi rerum, frugesque receptas
et torrere parant flammis et frangere saxo.
    Aeneas scopulum interea conscendit et omnem
prospectum late pelago petit, Anthea si quem
iactatum uento uideat Phrygiasque biremis
aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici.
nauem in conspectu nullam, tris litore ceruos
prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
a tergo et longum per uallis pascitur agmen.
constitit hic arcumque manu celerisque sagittas
corripuit fidus quae tela gerebat Achates,
ductoresque ipsos primum capita alta ferentis
cornibus arboreis sternit, tum uulgus et omnem
miscet agens telis nemora inter frondea turbam;
nec prius absistit quam septem ingentia uictor

MγR 185 *inchoat* **F**

169 *ante 168 habet* **M**, *u. 170 omisso* (*ord. rest.* **M**^{2}, *qui u. 170 ima pagina addiderat*; *hunc uersum erasit et denuo scripsit manus librario simillima*; *uide G. Ammannati, «MD» 58, 2007, 227–239*) **174** silici **MγRafhir** (silice **γ**^{1}), *Arus. 471, 75, Tib.* : silicis **ω**, *Prisc. 10, 23* (*utrumque codd. Seru.*) excudit **Mγω**, *Seru.*, *Gramm.* : excutit **M**^{x} (*sed rursus* excudit **M**^{P} *ut uid.*) **Rbijr**, *Tib.* **175** succepit **MRajkt**, *Tib.*, *testatur Seru. hic et ad u. 144* : suscepit **γω**, *Prisc. 10, 23*; *cf. Aen. 6, 249* **177** correptam **R** (*corr.* **R**^{2}) **181** quem] qua **γ** (*corr.* **γ**^{1}, *sed rursus* qua **γ**^{2}), *Char. 218, 32, agnoscit DSeru.* **188** fidus – Achates *post Peerlkamp secl. Ribbeck* **190** omne **γ** (*corr.* **γ**^{1}, *sed rursus* omne **γ**^{2}), *Probus 208, 11, Non. 243, 11*

corpora fundat humi et numerum cum nauibus aequet.
hinc portum petit et socios partitur in omnis.
uina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
diuidit et dictis maerentia pectora mulcet:
'O socii (neque enim ignari sumus ante malorum),
o passi grauiora, dabit deus his quoque finem.
uos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
accestis scopulos, uos et Cyclopia saxa
experti: reuocate animos maestumque timorem
mittite; forsan et haec olim meminisse iuuabit.
per uarios casus, per tot discrimina rerum
tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
durate et uosmet rebus seruate secundis.'
Talia uoce refert curisque ingentibus aeger
spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.
illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
tergora deripiunt costis et uiscera nudant;
pars in frusta secant ueribusque trementia figunt,
litore aëna locant alii flammasque ministrant.
tum uictu reuocant uires fusique per herbam
implentur ueteris Bacchi pinguisque ferinae.
postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
amissos longo socios sermone requirunt,
spemque metumque inter dubii, seu uiuere credant
siue extrema pati nec iam exaudire uocatos.

FMγR

193 humi **γ^{1}dfkntvyz**, *Seru.* (*cf. Aen. 5, 78*; *6, 423 et 11, 665*) : humo **FMγRω**, *Sac. 460, 7, Non. 312, 32* (*cf. georg. 2, 460*) **201** cyclopia *Tib.* (cyclopi **F**) : cyclopea **F^{2}MγRω**, *Seru.* **209** uultu **F^{2}Mγ^{1}Rω**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 37, 25, Seru. ad u. 341, DSeru. ad Aen. 4, 477, Tib.* : uultus **Fγacr** alto **dw** **211** deripiunt *Heinsius* : diripiunt *codd., Probus 127, 25, Non. 414, 4, Tib.*; *cf. Aen. 4, 593* **212** frustra **F** (*corr.* **F^{2}**) **MR** (frusa **R^{x}**, *corr.* **R^{2}**) **bcdev** **218** dubii *dist.* **M^{x}**, *DSeru.* : inter *dist.* «*quidam*» *ap. DSeru.*

praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
    Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
despiciens mare ueliuolum terrasque iacentis
litoraque et latos populos, sic uertice caeli
constitit et Libyae defixit lumina regnis.
atque illum talis iactantem pectore curas
tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
adloquitur Venus: ‘o qui res hominumque deumque
aeternis regis imperiis et fulmine terres,
quid meus Aeneas in te committere tantum,
quid Troes potuere, quibus tot funera passis
cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
certe hinc Romanos olim uoluentibus annis,
hinc fore ductores reuocato a sanguine Teucri,
qui mare, qui terras omnis dicione tenerent,
pollicitus: quae te, genitor, sententia uertit?
hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
solabar fatis contraria fata rependens;
nunc eadem fortuna uiros tot casibus actos
insequitur. quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
regna Liburnorum et fontem superare Timaui,
unde per ora nouem uasto cum murmure montis
it mare proruptum et pelago premit arua sonanti.

FMγR   235 *redit* **V**

220 oronti **FMγR**^{x}**ω**, *testantur Plin. ap. Char. 132, 23, Seru., Prisc. 6, 62* : orontis **Rnz**, *Probus 64, 17, Tib.* (*sed* oronti *ad u. 305*)   **224** dispiciens *agnoscere uidetur Seru. et sic coniecit Lachmann ad Lucr. 4, 418*; *sed cf. Housman ad Manil. 2, 837*   **229** deorumque *Heinsius*, *Bentley ad Hor. carm. 1, 12, 14* (*cl. Aen. 2, 745*)   **235** a *om.* **Ffjγ** (*add.* **F**^{2}**γ**^{1})   **236** omnis **F** (-nes **F**^{2}**Vc**) : omni **MγRω**, «*melius*» *iudice Seru., Tib., Prisc. quinquies*   **237** pollicitu’s *Ribbeck*   **246** proruptum **FMγ**^{1}**RVω**, «*melius*» *iudice Seru., DSeru.* : praeruptum **F**^{2}**M**^{2} (*sed in utroque codice correctio postea erasa est*) **γV**^{2}**adfgjnrwz?**, *Sen. nat. quaest. 3, 1, 1, Tib.*; *cf. u. 105 et Aen. 7, 459*

hic tamen ille urbem Pataui sedesque locauit
Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit:
nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
nauibus (infandum!) amissis unius ob iram
prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?'
    Olli subridens hominum sator atque deorum
uultu, quo caelum tempestatesque serenat,
oscula libauit natae, dehinc talia fatur:
'parce metu, Cytherea: manent immota tuorum
fata tibi; cernes urbem et promissa Lauini
moenia, sublimemque feres ad sidera caeli
magnanimum Aenean; neque me sententia uertit.
hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
longius et uoluens fatorum arcana mouebo)
bellum ingens geret Italia populosque feroces
contundet moresque uiris et moenia ponet,
tertia dum Latio regnantem uiderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno),
triginta magnos uoluendis mensibus orbis
imperio explebit, regnumque ab sede Lauini
transferet et Longam multa ui muniet Albam.
hic iam ter centum totos regnabitur annos
gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
inde lupae fuluo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem et Mauortia condet

FMγRV 260 *desinit* **V** 262–263 *habet et* **Π_5** 268 *desinit* **F**

251 infandum *aduerbialiter intellegunt Rufin. 58, 16, Seru.* (*qui tamen etiam ut interiectionem intellegi posse censet*) **258** et *om.* **V**, «*multi*» *ap. Seru.* («urbem *aut Romam significat … aut certe detrahe* et, *sicut multi, et epexegesin facis*») **260** uertet **wγ^1** **261** tibi fabor enim *continuat Seru.* (hic tibi fabor *dist. etiam Tib.*) **262** et uoluens] euoluens *Tib.* **270** ab] a **cdefijkvwxyz** **272** hinc **cekvyz**, *Seru.* (*et* hinc *et* hic *agnoscit DSeru.*)

moenia Romanosque suo de nomine dicet.
his ego nec metas rerum nec tempora pono:
imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
consilia in melius referet mecumque fouebit
Romanos, rerum dominos gentemque togatam.
sic placitum. ueniet lustris labentibus aetas
cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas
seruitio premet ac uictis dominabitur Argis.
nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum
accipies secura; uocabitur hic quoque uotis.
aspera tum positis mitescent saecula bellis;
cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis
claudentur Belli portae; Furor impius intus
saeua sedens super arma et centum uinctus aënis
post tergum nodis fremet horridus ore cruento.'
    Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,
ut terrae utque nouae pateant Karthaginis arces
hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
finibus arceret. uolat ille per aëra magnum
remigio alarum ac Libyae citus adstitit oris.
et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni
corda uolente deo; in primis regina quietum
accipit in Teucros animum mentemque benignam.
    At pius Aeneas per noctem plurima uoluens,
ut primum lux alma data est, exire locosque

MR 277 *inchoat* **P**

284 pthiam **MP**[x], *Seru.* : pythiam **P** : phtiam **R** (phthiam *Tib.*) **288** dimissum **cdkyzγ** (*corr.* **γ**[1]), *Seru. ad Aen. 4, 234* (dimissum *et* demissum *codd. Seru. ad Aen. 1 praef. et ad Aen. 6, 789*) **289** onustum] honestum «*alii*» *ap. DSeru.* **297** demittit **MRωγ**[1], *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 2, 42, schol. Ver. ad Aen. 1, 3, DSeru. ad Aen. 1, 3* : dimittit **Pcdrzγ**, *Tib.* **298** terra **P** (*corr. supra lineam* **P**[2], *praeeunte fortasse intra lineam* **P**[1])

explorare nouos, quas uento accesserit oras,
qui teneant (nam inculta uidet), hominesne feraene,
quaerere constituit sociisque exacta referre.
classem in conuexo nemorum sub rupe cauata
arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
occulit; ipse uno graditur comitatus Achate
bina manu lato crispans hastilia ferro.
cui mater media sese tulit obuia silua
uirginis os habitumque gerens et uirginis arma
Spartanae, uel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce uolucremque fuga praeuertitur Hebrum.
namque umeris de more habilem suspenderat arcum
uenatrix dederatque comam diffundere uentis,
nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.
ac prior ‘heus,’ inquit, ‘iuuenes, monstrate, mearum
uidistis si quam hic errantem forte sororum,
succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
aut spumantis apri cursum clamore prementem.’
Sic Venus et Veneris contra sic filius orsus:
‘nulla tuarum audita mihi neque uisa sororum,
o … quam te memorem, uirgo? namque haud tibi uultus
mortalis, nec uox hominem sonat; o dea certe!
an Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
sis felix nostrumque leues, quaecumque, laborem,
et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
iactemur doceas: ignari hominumque locorumque
erramus uento huc uastis et fluctibus acti.
multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.’
Tum Venus: ‘haud equidem tali me dignor honore;
uirginibus Tyriis mos est gestare pharetram

MPR 331–332 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$

310 conuexu **acnr** **312** achate **Pωγ**, *Seru.*, *Tib.*, *Gramm.* : achatae **MP¹R** **317** Hebrum *codd.*, *ps. Acro ad Hor. sat. 1, 3, 38*, *Non. 307, 27 et 362, 19*, *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 8, 35*, *imitatur Sil. 2, 73–75* : Eurum *Rutgers ad Hor. carm. 1, 25, 20* **323** pharetram *Non. 350, 8*, *Prisc. 17, 101* («*sed melius in quibusdam codicibus …* pharetra *ablatiuus inuenitur*») tegmina **γ** (*corr.* **γ¹**, *periit in* **P**) **328** hominum **abfghrtγ** **333** uastis et **M^A Pωγ** : et uastis **MRfr**, *Tib.*

purpureoque alte suras uincire coturno.
Punica regna uides, Tyrios et Agenoris urbem;
sed fines Libyci, genus intractabile bello.
imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
germanum fugiens. longa est iniuria, longae
ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum et magno miserae dilectus amore,
cui pater intactam dederat primisque iugarat
ominibus. sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnis.
quos inter medius uenit furor: ille Sychaeum
impius ante aras atque auri caecus amore
clam ferro incautum superat, securus amorum
germanae; factumque diu celauit et aegram
multa malus simulans uana spe lusit amantem.
ipsa sed in somnis inhumati uenit imago
coniugis ora modis attollens pallida miris;
crudelis aras traiectaque pectora ferro
nudauit caecumque domus scelus omne retexit.
tum celerare fugam patriaque excedere suadet
auxiliumque uiae ueteres tellure recludit
thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
his commota fugam Dido sociosque parabat.
conueniunt quibus aut odium crudele tyranni
aut metus acer erat; nauis, quae forte paratae,
corripiunt onerantque auro; portantur auari
Pygmalionis opes pelago: dux femina facti.
deuenere locos ubi nunc ingentia cernes

MPR

337 uincire] aptare *Seru. ad buc. 7, 32* **341** longae **M**^{2}**R**^{2}**ω**, *Seru.*, *Tib.* : longa **M** : longe **γRn** (*periit in* **P**) : multae *Probus 10, 13*, *Sac. 475, 21* **342** uestigia *Tib.* **343** agri *codd.* (*periit in* **P**), *Seru. ad Aen. 1, 96*, *DSeru.*, *Tib.*, *Prisc. 18, 22 et 29* (*cf. Aen. 10, 563*) : auri *Huet* **344** misere **γ**, *respuit Seru.* **348** quos – furor *cum* omnis *coniungunt Seru.*, *Tib.* medios **M**, *Seru. codd. plerique*, *DSeru.* **354** coniugis *dist. Burman* (ora – miris *inferioribus coniungens*) **357** tunc **M** patriaeque **M** (*corr.* **M**^{x}) **365** cernes **PRωγ** : cernis **Mcej**, *Non. 211, 4*, *Tib.*

moenia surgentemque nouae Karthaginis arcem,
mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
taurino quantum possent circumdare tergo.
sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?
quoue tenetis iter?' quaerenti talibus ille
suspirans imoque trahens a pectore uocem:
'O dea, si prima repetens ab origine pergam
et uacet annalis nostrorum audire laborum,
ante diem clauso componet Vesper Olympo.
nos Troia antiqua, si uestras forte per auris
Troiae nomen iit, diuersa per aequora uectos
forte sua Libycis tempestas appulit oris.
sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates
classe ueho mecum, fama super aethera notus;
Italiam quaero patriam [et genus ab Ioue summo].
bis denis Phrygium conscendi nauibus aequor,
matre dea monstrante uiam data fata secutus;
uix septem conuulsae undis Euroque supersunt.
ipse ignotus egens Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus.' nec plura querentem
passa Venus medio sic interfata dolore est:
'Quisquis es, haud, credo, inuisus caelestibus auras

MPR 381 *inchoat* **G**

367–368 *post Peerlkamp secl. Ribbeck* **369** aut (aud **M**) uenistis **M**^{x}**Pωγ**, *DSeru. ad u. 375, Tib. in interpr., Prisc. 17, 196* : aduenistis **Rb?d?gz**, *Tib. in lemm.* (*utrumque codd. Quint. 9, 2, 7 et Non. 412, 15*) **374** componet **MP**^{2}**ωγ**, *ps. Acro ad Hor. epist. 2, 1, 8, Non. 257, 2, Macrob. 5, 4, 7, Seru. hic et alibi*, *DSeru. ad Aen. 1, 305, Tib.* : componat **PR** **380** patriam *dist. DSeru., Tib.* : quaero *et* patriam *distinguere uult Seru.* (*ut sint tria responsa*) et – summo *a quibusdam in suspicionem merito uocatum seclusi*; *nam* Italiam quaero patriam *tibicen uidetur esse quem nescioqui interpolator ex Aen. 6, 123 expleuit. Aeneas in libro sexto, ubi argumenta adferre uult cur sibi quoque uiuo ac uidenti liceat ad inferos descendere, ut iam antea Orpheo, Polluci, Theseo et Herculi, opportune apud Sibyllam gloriatur se, haud secus quam illos, a magnis dis ortum esse*; *nihil inuenitur pariter opportunum hoc loco, ubi uerba illa iterata Aenean faciunt apud ignotam uenatricem inaniter et insulse gloriantem*; *adde quod copula* et *duas uix sociabiles sententias coniungere uidetur* et] est *Kvičala* : *del. Burman* summo **MPωγ**, *DSeru., Tib.* : magno **R**

uitalis carpis, Tyriam qui adueneris urbem;
perge modo atque hinc te reginae ad limina perfer.
namque tibi reduces socios classemque relatam
nuntio et in tutum uersis Aquilonibus actam,
ni frustra augurium uani docuere parentes.
aspice bis senos laetantis agmine cycnos,
aetheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
turbabat caelo; nunc terras ordine longo
aut capere aut captas iam despectare uidentur:
ut reduces illi ludunt stridentibus alis
et coetu cinxere polum cantusque dedere,
haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
aut portum tenet aut pleno subit ostia uelo.
perge modo et, qua te ducit uia, derige gressum.'
    Dixit et auertens rosea ceruice refulsit,
ambrosiaeque comae diuinum uertice odorem
spirauere; pedes uestis defluxit ad imos,
et uera incessu patuit dea. ille ubi matrem
agnouit tali fugientem est uoce secutus:
'quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
non datur ac ueras audire et reddere uoces?'
talibus incusat gressumque ad moenia tendit.
at Venus obscuro gradientis aëre saepsit
et multo nebulae circum dea fudit amictu,
cernere ne quis eos neu quis contingere posset
moliriue moram aut ueniendi poscere causas.
ipsa Paphum sublimis abit sedesque reuisit

GMPR 413–424 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$

389 *post Rau et Kvičala secl. Ribbeck* (*cf. u. 401*) **396** aut captus **P** : aut captos **P**^{x}**jγ** (*corr.* **γ**^{1}) : acceptas **c** respectare **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **401** derige **GPRjγ** : dirige **MR**^{x}**ωγ**^{1}, *Aug. contra Acad. 1, 5, 14, DSeru. ad Aen. 1, 305, Tib.* **412** multum … amictum **Gb**, *Isid. 1, 37, 19* nebulae multo **aev** **413** neu] ne **Px** (*corr.* **P**^{2}) coniungere **P** (*corr.* **P**^{2}) posset **MP**$^{2?}$**e**, *Macrob. 5, 4, 8* : possit **GPR**$\mathbf{\Pi_5}$**ωγ**, *Tib.* **414** aut] et *Non. 346, 5* poscere] discere **bgtw** (*cf. Aen. 6, 488*)

laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
ture calent arae sertisque recentibus halant.
Corripuere uiam interea, qua semita monstrat,
iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
imminet aduersasque aspectat desuper arces.
miratur molem Aeneas, magalia quondam,
miratur portas strepitumque et strata uiarum.
instant ardentes Tyrii: pars ducere muros
molirique arcem et manibus subuoluere saxa,
pars optare locum tecto et concludere sulco;
[iura magistratusque legunt sanctumque senatum.]
hic portus alii effodiunt, hic alta theatri
fundamenta locant alii immanisque columnas
rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris:
qualis apes aestate noua per florea rura
exercet sub sole labor, cum gentis adultos
educunt fetus, aut cum liquentia mella
stipant et dulci distendunt nectare cellas,
aut onera accipiunt uenientum, aut agmine facto
ignauum fucos pecus a praesepibus arcent;
feruet opus redolentque thymo fraglantia mella.
'o fortunati, quorum iam moenia surgunt!'
Aeneas ait et fastigia suspicit urbis.
infert se saeptus nebula (mirabile dictu)

GMPR 418 *desinit* **G** 419 *redit* **F**

416 illi] *hic distinguendum, ut 'est' subaudiatur: cf. Hom. Od. 8, 362 sq.* ἵκανε … Ἀφροδίτη / ἐς Πάφον, ἔνθα τέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις **420** spectant **F** : a(d)spectant **F**^{2}**Π**$_5^2$**ejwγ**^{1} **425** aptare **R** (*corr.* **R**^{x}); *cf. u. 552* **426** *post Heyne secl. ed. Parm. 1973, post 368 transp. Campbell*; *uersum defendunt ii qui breuiloquentem poetam sic intellegunt: 'spatia definiunt ubi iudicia et munera publica administranda sint'* **427** hic^2] hinc *Non. 340, 22* alta **MPR**^{2} (alia *ut uid.* **R**) **ωγ**, *Don. ad Ter. Hec. 23, Non., Seru., Tib.* : lata **F**, *nescio an recte* (*cf. u. 429*) theatri **MP**^{x}**ωγ**^{1}, *Non., Seru., Tib.* : theatris **FPRabcjkvxyγ** **428** locant **F**^{2}**MPRωγ**, *Non., Tib.* (*cf. Aen. 4, 266*) : petunt **F** **429** alta *codd.* (acta **P**, *corr.* **P**^{2}), *Tib.* (*cf. Aen. 2, 448*; *Sil. 3, 144 et 6, 124*) : apta *Bentley* **433** dulcis **P** (*corr.* **P**^{x}) **436** feruit **F** (*corr.* **F**^{2}); *cf. DSeru. ad georg. 4, 169* fraglantia **Pabeghjknvwγ** : flagrantia **FMRcdfirtxyz**, *codd. Diom. 319, 18*, *respuit Seru.* : fragrantia *Seru.* (*uariant codd. Macrob. 5, 11, 1, Prisc. 8, 95 et 9, 43*)

per medios miscetque uiris neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
quo primum iactati undis et turbine Poeni
effodere loco signum, quod regia Iuno
monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello
egregiam et facilem uictu per saecula gentem.
hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
condebat, donis opulentum et numine diuae,
aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque
aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.
hoc primum in luco noua res oblata timorem
leniit, hic primum Aeneas sperare salutem
ausus et adflictis melius confidere rebus.
namque sub ingenti lustrat dum singula templo
reginam opperiens, dum quae fortuna sit urbi
artificumque manus inter se operumque laborem
miratur, uidet Iliacas ex ordine pugnas
bellaque iam fama totum uulgata per orbem,
Atridas Priamumque et saeuum ambobus Achillem.
constitit et lacrimans 'quis iam locus,' inquit, 'Achate,
quae regio in terris nostri non plena laboris?
en Priamus. sunt hic etiam sua praemia laudi,
sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.
solue metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.'
Sic ait atque animum pictura pascit inani
multa gemens, largoque umectat flumine uultum.
namque uidebat uti bellantes Pergama circum

FMPR 457–476 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$

441 umbrae **F**, *Probus ap. Seru., DSeru. ad Aen. 11, 338* : umbra **F²MPRωγ**, *GLK V, 583, 2, DSeru. ad u. 443, Tib.*; *utrumque agnoscit Seru. hic* **443** *post* loco *dist. DSeru.*, signum quod *coniungens* **444** monstrarat **F²MRωγ¹**, *Seru.*, *Tib.* : monstrabat **Faγ**, (monstra)bat *in* (monstra)rat *corr.* **Pˣ** sic nam **F²M²Rω** : signam **FMP²** (signa **P**) **aγ** : signum **bgnrγ¹**, *Tib.* **448** nexaeque **F²MPRω**, *ps. Probus ad buc. 4, 58 cod. V, DSeru., Tib., imitari uidetur Claudian. rapt. Pros. 1, 239* : nixaeque **Fabg**, *ps. Probus codd. MP*, «*multi*» *ap. DSeru.* (*cf. Hom. Od. 7, 89*) : nexae (*om.* -que) **γ** **455** intra se **c** : intrans *Ribbeck* **458** Atriden *Sen. ep. 104, 31*

hac fugerent Grai, premeret Troiana iuuentus,
hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
nec procul hinc Rhesi niueis tentoria uelis
agnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa uastabat caede cruentus,
ardentisque auertit equos in castra prius quam
pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
parte alia fugiens amissis Troilus armis,
infelix puer atque impar congressus Achilli,
fertur equis curruque haeret resupinus inani,
lora tenens tamen; huic ceruixque comaeque trahuntur
per terram et uersa puluis inscribitur hasta.
interea ad templum non aequae Palladis ibant
crinibus Iliades passis peplumque ferebant
suppliciter, tristes et tunsae pectora palmis;
diua solo fixos oculos auersa tenebat.
ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros
exanimumque auro corpus uendebat Achilles.
tum uero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici
tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
se quoque principibus permixtum agnoscit Achiuis,
Eoasque acies et nigri Memnonis arma.
ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens mediisque in milibus ardet,
aurea subnectens exsertae cingula mammae
bellatrix, audetque uiris concurrere uirgo.
  Haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur,
dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,

FMPR

468 currum **P** (*corr.* **P**^{x}) **469** nec **F**^{2}**MRΠ**$_{5}$**ω**, *Seru.*, *Tib.* : et **FPa?** : haut **P**^{2}**j** (haud **rvγ**) : non **γ**^{1} **470** lacrimis **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **471** uastabat multa **M** (*ord. rest.* **M**^{x}) **475** infelix *dist.* «*multi*» *ap. Seru.* **479–482** *post 473 transp. Ribbeck* **480** ferebant *dist. edd. aliquot* (suppliciter tristes *coniungentes*) **486** utque] atque **aev**, *Gramm.* **488** a(d)gnoscit **FRc**, *Seru. hic* : a(d)gnouit **MPωγ**, *Seru. ad Aen. 1, 242, Tib. Tempus praesens subitaneam Aeneae perturbationem arguit*

regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
incessit magna iuuenum stipante caterua.
qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
exercet Diana choros, quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
fert umero gradiensque deas supereminet omnis
(Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus):
talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios instans operi regnisque futuris.
tum foribus diuae, media testudine templi,
saepta armis solioque alte subnixa resedit.
iura dabat legesque uiris, operumque laborem
partibus aequabat iustis aut sorte trahebat,
cum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque uidet fortemque Cloanthum
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
dispulerat penitusque alias auexerat oras.
obstipuit simul ipse, simul percussus Achates
laetitiaque metuque; auidi coniungere dextras
ardebant, sed res animos incognita turbat.
dissimulant et nube caua speculantur amicti
quae fortuna uiris, classem quo litore linquant,
quid ueniant: cunctis nam lecti nauibus ibant
orantes ueniam et templum clamore petebant.
    Postquam introgressi et coram data copia fandi,
maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
‘o regina, nouam cui condere Iuppiter urbem

FMPR 521 *desinit* **F**

497 comitante **R** (*cf. Aen. 2, 40 al.*) **501** deas **Fωγ**, *Gell. 9, 9, 13, Macrob. 5, 4, 9 et 5, 13, 8, Prisc. 18, 300* : dea **MPR**, *Tib.* **505** tum foribus diuae *superioribus coniungere uult Seru.* (*ut sit* instans … foribus) mediaemedia (*ex duplici lectione?*) **P** (media **P**^{x}) : media e *Ribbeck* **512** auexerat **MRω** (abuex- **g**, *Tib.*) : auerterat **FPa?γ** (*cf. Aen. 4, 106*) : aduexerat *recc.* **513** percussus **FPRbwγ** : perculsus **MP**^{2}**ωγ**^{1}, *DSeru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 8, 121 et 9, 197* **518** cunctis **F**^{2}**Pωγ** : cuncti **FMP**^{x}**Rabeinrtγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* (*qui* ueniant cuncti *coniungit*) lecti **FMPωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : lectis **P**^{1}**R**^{2} (letis **R**) **γ**, «*nonnulli*» *ap. Seru.* **519** ueniam] pacem *Seru. ad Aen. 10, 31* (*sed* ueniam *hic*)

iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, uentis maria omnia uecti,
oramus: prohibe infandos a nauibus ignis,
parce pio generi et propius res aspice nostras.
non nos aut ferro Libycos populare penatis
uenimus aut raptas ad litora uertere praedas;
non ea uis animo nec tanta superbia uictis.
est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae;
Oenotri coluere uiri; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
hic cursus fuit,
cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
in uada caeca tulit penitusque procacibus Austris
perque undas superante salo perque inuia saxa
dispulit; huc pauci uestris adnauimus oris.
quod genus hoc hominum? quaeue hunc tam barbara morem
permittit patria? hospitio prohibemur harenae;
bella cient primaque uetant consistere terra.
si genus humanum et mortalia temnitis arma,
at sperate deos memores fandi atque nefandi.
rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
nec pietate fuit nec bello maior et armis.
quem si fata uirum seruant, si uescitur aura
aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris,
non metus, officio nec te certasse priorem
paeniteat. sunt et Siculis regionibus urbes
armaque Troianoque a sanguine clarus Acestes.
quassatam uentis liceat subducere classem

MPR

526 propius **Rωγ¹**, *Seru. hic, ad Aen. 10, 254 et 12, 218, Tib.* : proprius **MPacγ**, *Seru. ad Aen. 8, 78* **534** huc *DSeru. in lemm.* (*sed* hic *explicatur*), *recc.* **541** considere *DSeru. ad georg. 1, 12* (*cf. u. 572 et Aen. 4, 349*) **547** neque] nec **R** (*corr.* **Rˣ**) **548** metus *dist. Seru.* : non metus officio *coniungunt* «*alii*» *ap. DSeru.* officio] omnino *Char. 268, 4* nec] ne *Heinsius* **550** aruaque **M** (*periit in* **P**) *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck*

et siluis aptare trabes et stringere remos,
si datur Italiam sociis et rege recepto
tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
sin absumpta salus et te, pater optime Teucrum,
pontus habet Libyae nec spes iam restat Iuli,
at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
unde huc aduecti, regemque petamus Acesten.'
talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breuiter Dido uultum demissa profatur:
'soluite corde metum, Teucri, secludite curas.
res dura et regni nouitas me talia cogunt
moliri et late finis custode tueri.
quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem
uirtutesque uirosque aut tanti incendia belli?
non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,
nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
seu uos Hesperiam magnam Saturniaque arua
siue Erycis finis regemque optatis Acesten,
auxilio tutos dimittam opibusque iuuabo.
uultis et his mecum pariter considere regnis?
urbem quam statuo, uestra est: subducite nauis;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
adforet Aeneas! equidem per litora certos
dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
si quibus eiectus siluis aut urbibus errat.'
His animum arrecti dictis et fortis Achates
et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
ardebant. prior Aenean compellat Achates:
'nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
omnia tuta uides, classem sociosque receptos.

MPR

552 aptare] «*legitur et* optare» *DSeru.*; *cf. u. 425* **561** uultu **P**^{x} **572** pariter mecum **P** (*ord. rest.* **P**^{x}) regnis] terris **R** **574** agetur] habetur *Non. 282, 27* (*cf. Aen. 10, 108*) **580** abrumpere **R**^{2}**n**

unus abest, medio in fluctu quem uidimus ipsi
submersum; dictis respondent cetera matris.’
uix ea fatus erat, cum circumfusa repente
scindit se nubes et in aethera purgat apertum.
restitit Aeneas claraque in luce refulsit
os umerosque deo similis; namque ipsa decoram
caesariem nato genetrix lumenque iuuentae
purpureum et laetos oculis adflarat honores:
quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
argentum Pariusue lapis circumdatur auro.
tum sic reginam adloquitur cunctisque repente
improuisus ait: ‘coram, quem quaeritis, adsum,
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
o sola infandos Troiae miserata labores,
quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
urbe, domo socias, grates persoluere dignas
non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,
praemia digna ferant. quae te tam laeta tulerunt
saecula? qui tanti talem genuere parentes?
in freta dum fluuii current, dum montibus umbrae

MPR 586 *redit* **F** 588 *inchoat* **B** 602–606 *habet et* **Π**$_5$

590 numenque **F** (*corr.* **F**^{2}) iuuenta **Pa?** (*cf. Aen. 4, 559*) **591** adflauit **P** (*corr.* **P**^{2}) **593** pariusque **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}), *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 19, 6* **599** exhaustos **BF**^{2}**MP**$^{(1)}$ (exau- **P**) **Rωγ**, *Arus. 469, 20, DSeru. ad Aen. 4, 75, Tib.* (*cf. georg. 4, 248*) : exaustis **F**, exhaustis *DSeru. hic* (*cf. Aen. 4, 14; 10, 57 et 11, 256*) **601** est^2] *om.* **F** (*add.* **F**^{2}), *del.* **γ**^{1} (*periit in* **P**) **604** iustitia **Mahrvγ**, *Seru. in interpr. ut uid.* (« *‘si ualet apud homines iustitia’* ») : iustitiae **BFM**^{2}**PRΠ**$_5$**ωγ**^{1} (*def.* **q**), *Seru. in lemm., Tib.* (*utrumque codd. Prisc. 16, 6*); si quid … iustitia est *i.e. ‘si quid iustitia ualet’*; *non quaeritur enim quantum iustitiae in terris sit* (*quod est si legis* si quid … iustitiae est); *dubitat re uera Aeneas sitne iustitia uirtus tam ueneranda quae ab hominibus habeatur in pretio sancteque colatur* **607** currunt **B**

lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet,
semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
quae me cumque uocant terrae.’ sic fatus amicum
Ilionea petit dextra laeuaque Serestum,
post alios, fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
    Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
casu deinde uiri tanto, et sic ore locuta est:
‘quis te, nate dea, per tanta pericula casus
insequitur? quae uis immanibus applicat oris?
tune ille Aeneas quem Dardanio Anchisae
alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
atque equidem Teucrum memini Sidona uenire
finibus expulsum patriis, noua regna petentem
auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
uastabat Cyprum et uictor dicione tenebat.
tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
ipse hostis Teucros insigni laude ferebat
seque ortum antiqua Teucrorum a stirpe uolebat.
quare agite o tectis, iuuenes, succedite nostris.
me quoque per multos similis fortuna labores
iactatam hac demum uoluit consistere terra:
non ignara mali miseris succurrere disco.’
sic memorat; simul Aenean in regia ducit
tecta, simul diuum templis indicit honorem.
nec minus interea sociis ad litora mittit
uiginti tauros, magnorum horrentia centum
terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,

BFMPR 608 *desinit* **B** 611 *desinit* **F** 613–615 *habet et* $\mathbf{\Pi}_5$

608 conuexa *dist. Tib.* : lustrabunt *dist.* **P**^{2}, *incertum an* **M**^{x} (*ut sit* conuexa sidera; *cf. Ou. Pont. 4, 9, 129 sq.*); *utramque distinctionem agnoscit Seru.* poscet **F** : pascit **Mγ** (*corr.* **γ**^{1}), *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 28, 21* (pasc **P** *propter lacunam, periit in* **B**) **619** memini teucrum **R** (*ord. rest.* **R**^{x}), *Macrob. 5, 14, 15* **620** patris **Pcq** (*corr.* **P**^{1}) **625** «*quidam* hostis *singularem, quidam pluralem legunt*» *DSeru.* insignis **Pc?** (*corr.* **P**^{x}) **626** a] ab **M**^{x} *ut uid.* (*ex* ad, d *in* b *mutata*) **M**^{A} (b *suprascripta*) **bcdgintxyz** **627** iuuenes tectis **R** (*ord. rest.* **R**^{x}), *Arus. 507, 13* **629** considere **Pγ** (*cf. uu. 541 et 572*)

munera laetitiamque dii.
at domus interior regali splendida luxu
instruitur, mediisque parant conuiuia tectis:
arte laboratae uestes ostroque superbo,
ingens argentum mensis caelataque in auro
fortia facta patrum, series longissima rerum
per tot ducta uiros antiqua ab origine gentis.
Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
passus amor) rapidum ad nauis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat:
omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
munera praeterea Iliacis erepta ruinis
ferre iubet, pallam signis auroque rigentem
et circumtextum croceo uelamen acantho,
ornatus Argiuae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,
extulerat, matris Ledae mirabile donum;
praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
maxima natarum Priami, colloque monile
bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.
haec celerans iter ad nauis tendebat Achates.
At Cytherea nouas artes, noua pectore uersat
consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
pro dulci Ascanio ueniat, donisque furentem
incendat reginam atque ossibus implicet ignem.
quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis;
urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.
ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:

MPR 649 *redit* **B** 654 *redit* **F**

636 dii *Gell. 9, 14, 8* («*pro 'diei'*»), «*nonnulli*» *ap. DSeru.* (*cf. u. 732* hunc laetum ... diem) : die «*multi*» *ap. Seru.* («*id est 'diei'*»; *cf. georg. 1, 208*), «*alii*» *ap. DSeru.* : diei **hr?z** : dei **MPRωγ** (*def.* **q**), «*imperitiores*» *ap. Gell., Seru., DSeru.* (*qui* dei *'Liberi patris' interpretatur, ut* munera laetitiamque dei *uinum sit; cf. u. 734*), *Tib.*; «*sane quidam hunc uersum intellegi non putant posse*» *DSeru.* **637** regalis **cγ**, *Tib. in lemm.* **642** antiqua **PRbcdw** (*cf. Sil. 12, 393*) : antiquae **MP$^{1?}$ωγ**, *Tib.*

'nate, meae uires, mea magna potentia, solus,
nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis,
ad te confugio et supplex tua numina posco.
frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
litora iactetur odiis Iunonis acerbae,
nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.
nunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur
uocibus, et uereor quo se Iunonia uertant
hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
quocirca capere ante dolis et cingere flamma
reginam meditor, ne quo se numine mutet,
sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
dona ferens pelago et flammis restantia Troiae;
hunc ego sopitum somno super alta Cythera
aut super Idalium sacrata sede recondam,
ne qua scire dolos mediusue occurrere possit.
tu faciem illius noctem non amplius unam
falle dolo et notos pueri puer indue uultus,
ut, cum te gremio accipiet laetissima Dido
regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
occultum inspires ignem fallasque ueneno.'
paret Amor dictis carae genetricis et alas

BFMPR 668–669 *habet et* **Π**$_5$ 668 *desinit* **B** 680 *desinit* **F** 685 *redit* **G** 686 *periit in* **P** 689–690 *perierunt in* **P** 689 *redit* **B**

664 potentia *dist.* **M**^{x}, *Seru.*, *Tib.* : solus *dist. quidam ap. Tib.*; *cf. Ou. met. 5, 365 'arma manusque meae, mea, nate, potentia' dixit* **665** typhoea **BFMγR**^{2}**ω** (*periit in* **P**), *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 1, 54 et 2, 47* : typhoia **R** (*ut uid.*), «*multi*» *ap. Seru.* (*uide etiam Seru. ad Aen. 1, 177, qui* 'typhoia' *uel* 'typhoea' *iudice euphonia dici posse adfirmat*) **668** iactetur **az** (-taetur **F**) : iacteturque **BF**^{2}**MγRΠ**$_5$**ω** (*periit in* **P**; *def.* **q**), *Non. 328, 5*, *Seru.* («*uacat* -que»), *Tib.*; -que *metri causa additum, ut Aen. 6, 254* acerbae **BFPaehrvγ** : iniquae **F**^{2}**MRΠ**$_5$**ωγ**^{1} (inquae **P**^{2}; *def.* **q**), *Non.*, *Seru.*, *DSeru. ad u. 664*, *Tib.* (*cf. Aen. 8, 292*) **670** nunc **F** : hunc **F**^{2}**MγRω** (*periit in* **P**), *DSeru. ad u. 664*, *Tib. in lemm.* (*sed* nunc *explicatur*), *Prisc. 18, 288* **672** haud] aut **M** (*corr.* **M**^{2}) **R** (haut **R**^{2}); *periit in* **P**

exuit et gressu gaudens incedit Iuli.
at Venus Ascanio placidam per membra quietem
inrigat et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
    Iamque ibat dicto parens et dona Cupido
regia portabat Tyriis duce laetus Achate.
cum uenit, aulaeis iam se regina superbis
aurea composuit sponda mediamque locauit,
iam pater Aeneas et iam Troiana iuuentus
conueniunt, stratoque super discumbitur ostro.
dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris
expediunt tonsisque ferunt mantelia uillis.
quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
cura penum struere et flammis adolere penates;
centum aliae totidemque pares aetate ministri,
qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
conuenere; toris iussi discumbere pictis
mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum
flagrantisque dei uultus simulataque uerba,
pallamque et pictum croceo uelamen acantho.
praecipue infelix, pesti deuota futurae,
expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa et pariter puero donisque mouetur.
ille ubi complexu Aeneae colloque pependit

BGMPR 708 *desinit* **B**

698 «*si Dido* aurea *pulchram significat et est nominatiuus;* sponda aurea *septimus quidem est, sed synizesis fit et spondeus est*» *Seru.* (*uide etiam ad u. 492*); *cf. Aen. 7, 190* **701–708** *post 716 habet* **M** (*ord. rest.* **M**^{1}) **701** manibus famuli **GPRchjnr**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Seru.*, *Tib.* : manibus famulae **MP**^{1} (-le $\boldsymbol{\gamma}$) : famuli manibus **B**$\boldsymbol{\omega}$, *Auson. cento 15*, *Prisc. fig. num. 407, 5* **703** longam *Char. 74, 30*, *imitatur Auson. 3, 1, 28* : longo **BM**$\boldsymbol{\gamma}$**R**$\boldsymbol{\omega}$ (*periit in* **GP**), *Non. 247, 37*, *Seru.*, *Tib.* (*cf. u. 395 al.*); «*utrumque legi solitum*» *testatur Gell. 4, 1, 15* **704** instruere $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **706** onerant **BGRceijv** ponunt **BGR** : ponent **j** **708** toris – pictis *superioribus coniungit Tib.* **711** *non interpr. Seru.*, *Tib.*, *secl. Ribbeck auctore Heyne* (*cf. u. 649*)

et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
reginam petit. haec oculis, haec pectore toto
haeret et interdum gremio fouet inscia Dido
insidat quantus miserae deus. at memor ille
matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum
incipit et uiuo temptat praeuertere amore
iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,
crateras magnos statuunt et uina coronant.
fit strepitus tectis uocemque per ampla uolutant
atria; dependent lychni laquearibus aureis
incensi et noctem flammis funalia uincunt.
hic regina grauem gemmis auroque poposcit
impleuitque mero pateram, quam Belus et omnes
a Belo soliti; tum facta silentia tectis:
‘Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
esse uelis nostrosque huius meminisse minores.
adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;
et uos o coetum, Tyrii, celebrate fauentes.’
dixit et in mensam laticum libauit honorem
primaque, libato, summo tenus attigit ore;
tum Bitiae dedit increpitans: ille impiger hausit
spumantem pateram et pleno se proluit auro;
post alii proceres. cithara crinitus Iopas
personat aurata, docuit quem maximus Atlas.

GMPR 722 *desinit* **G** 729 *redit* **B**

719 insidat **Mknr**, *Non. 311, 37, Seru. ad Aen. 6, 708, Tib.* : insideat **G**γ^1**Rω** : insidiat **γbegt** (*periit in* **P**); *et* insidat *et* insideat *agnoscit Seru. hic* at] ac **G** : ad **P** : aud **P**^{1} : aut **γ** (*corr.* γ^1) **723** remotae] repostae **P**^{1} (-potae **P**, *corr.* **P**^{2}) **724** magnos] laeti *Non. 545, 26* (*ex Aen. 7, 147*) **725** fit **M**γ^1**Rω**, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 19, 23, Seru. ad Aen. 2, 1, Tib. ad u. 730 et ad Aen. 2, 1* (*cf. Aen. 2, 209 et 6, 220*) : it **r** (id **γ**, *periit in* **P**), *Tib. hic* (*cf. Aen. 5, 451*; *9, 664 et 11, 192*); *utrumque agnoscit Seru.*; fit tectis *i.q. ‘tota domo’* **726** laquearibus] «*legitur et* lacuaribus» *DSeru.* (*cf. Aen. 8, 25*) **729** quam] qua **B** **734** adsis «*alii*» *ap. Seru.* **741** quem] quae **ω** (*praeter* **cefh**) γ^1, *Tib. in interpr., praefert Seru.* atlas **B**, *Seru.* : atlans **MPR**, *Tib.*; *cf. Aen. 4, 481*

hic canit errantem lunam solisque labores,
unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes,
Arcturum pluuiasque Hyadas geminosque Triones,
quid tantum Oceano properent se tingere soles
hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet;
ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
nec non et uario noctem sermone trahebat
infelix Dido longumque bibebat amorem,
multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
nunc quibus Aurorae uenisset filius armis,
nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.
'immo age et a prima dic, hospes, origine nobis
insidias' inquit 'Danaum casusque tuorum
erroresque tuos; nam te iam septima portat
omnibus errantem terris et fluctibus aestas.'

BMPR 748 *desinit* **B**

744 (= *Aen. 3, 516*) *om.* **b**, *post Albrecht secl. Ribbeck*, *fortasse recte* pluuiasque] pliadasque **z** **746** uel] tum **P** (*corr.* $\mathbf{P}^2$) **747** plausum *Tib. ad Aen. 2, 1* (*sed* plausu *hic*) **755–756** nam – aestas *secl. Ribbeck*

LIBER II

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
«Infandum, regina, iubes renouare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
eruerint Danai, quaeque ipse miserrima uidi
et quorum pars magna fui. quis talia fando
Myrmidonum Dolopumue aut duri miles Vlixi
temperet a lacrimis? et iam nox umida caelo
praecipitat suadentque cadentia sidera somnos.
sed si tantus amor casus cognoscere nostros
et breuiter Troiae supremum audire laborem,
quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,
incipiam. fracti bello fatisque repulsi
ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
instar montis equum diuina Palladis arte
aedificant sectaque intexunt abiete costas;
uotum pro reditu simulant: ea fama uagatur.
huc delecta uirum sortiti corpora furtim
includunt caeco lateri penitusque cauernas
ingentis uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
insula, diues opum Priami dum regna manebant,
nunc tantum sinus et statio male fida carinis:
huc se prouecti deserto in litore condunt;
nos abiisse rati et uento petiisse Mycenas.
ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.

MPR 26–72 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$

3–6 *post* dolorem *fortius, post* fui *leuius dist. Baehrens* **8** *om.* **M** (*add. man. librario similis*) **15** diuinae **Rcn** **24** in *om.* **bgr** **25** abiisse **M**^{P} *ut uid.* (*correctio postea erasa*) **ωγ**, *Don. ad Ter. Ad. 27*, *Seru. hic et ad Aen. 3, 603*, *Gramm.* : abisse **MPR**^{x} (abiesse **R**), *Tib.* petiisse **M**^{2}**ω**, *Don.*, *Seru. hic et ad Aen. 3, 603* : petisse **MP**^{x} (retisse **P**) **Rγ**, *Tib.*

panduntur portae, iuuat ire et Dorica castra
desertosque uidere locos litusque relictum:
hic Dolopum manus, hic saeuus tendebat Achilles,
classibus hic locus, hic acie certare solebant.
pars stupet innuptae donum exitiale Mineruae
et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
duci intra muros hortatur et arce locari,
siue dolo seu iam Troiae sic fata ferebant.
at Capys, et quorum melior sententia menti,
aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
praecipitare iubent subiectisque urere flammis,
aut terebrare cauas uteri et temptare latebras.
scinditur incertum studia in contraria uulgus.
    Primus ibi ante omnis, magna comitante caterua,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce
et procul: ‘o miseri, quae tanta insania, ciues?
creditis auectos hostis? aut ulla putatis
dona carere dolis Danaum? sic notus Vlixes?
aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui,
aut haec in nostros fabricata est machina muros
inspectura domos uenturaque desuper urbi,
aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri.
quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.’
sic fatus ualidis ingentem uiribus hastam
in latus inque feri curuam compagibus aluum
contorsit. stetit illa tremens, uteroque recusso
insonuere cauae gemitumque dedere cauernae.
et, si fata deum, si mens non laeua fuisset,
impulerat ferro Argolicas foedare latebras,

MPR

27 Dorica castra] *cacemphaton obiurgat Seru.*; *cf. u. 462* **30** acie **MPRnγ**, *DSeru.* : acies **Π**$_5$**ωγ**^{1}, *Rufin. 53, 33, Isid. 9, 3, 60*; «*potest utrumque*» *legi iudice Seru.* **37** iubet **P**^{x}**γ**, *Non. 400, 23, Dosith. 423, 7, Pomp. 268, 18, Seru. ad Aen. 4, 143* subiectisue «*antiqua exemplaria habere inueniuntur*» *teste DSeru.* («-que *pro ‘-ue’*» *Seru., Gramm.*) **38** *ante 36 habet Pomp. 268, 16* utero **P** (*corr.* **P**^{2}), *Pomp.* **46** aut] atque *Heyne* **48** error *dist. Seru.* : equo *dist.* **P**^{2}, *Diom. 434, 30 et 438, 33, DSeru., Tib.* **49** est *dist.* **P**^{2}, *Tib.* : timeo *dist.* **M**^{x}, *Seru.*

Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.
Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctum
pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae, qui se ignotum uenientibus ultro,
hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achiuis,
obtulerat, fidens animi atque in utrumque paratus,
seu uersare dolos seu certae occumbere morti.
undique uisendi studio Troiana iuuentus
circumfusa ruit certantque inludere capto.
accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno
disce omnis.
namque ut conspectu in medio turbatus inermis
constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit,
'heu, quae nunc tellus' inquit, 'quae me aequora possunt
accipere? aut quid iam misero mihi denique restat,
cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt?'
quo gemitu conuersi animi compressus et omnis
impetus. hortamur fari quo sanguine cretus
quidue ferat; memoret quae sit fiducia capto.
'Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor
uera' inquit, 'neque me Argolica de gente negabo:
hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem

MPR 72 *desinit* **R** 73–102 *habet et* **Π_5**

56 staret **M**, *Dosith. 428, 21, agnoscit Seru.* («*si* staret *legeris,* maneres *sequitur*») : stares **PRΠ_5ωγ**, *Seru.*, *Tib.*, *Gramm.* maneres **MPRωγ**, *GLK V, 548, 29* : maneret **$\Pi_5$afit?**, *Dosith.*, *Tib.* (*cf. Aen. 4, 312 et 343*); *utrumque agnoscit Seru. ut uid.*; *apostrophe manare uidetur ex Eur. Tro. 45–47* **59** quis (*om.* se) **a** : quis se **dkvxyz**, *Seru.* (qui se «*alii*») **61** animo **R**, *Sen. uit. beat. 8, 3* **62** dolos **MγΠ_5ω** (*periit in* **P**), *Seru. ad Aen. 11, 704, DSeru. ad u. 67 et ad buc. 10, 68, Tib.* (*cf. Aen. 11, 704*) : dolo **RΠ_5^2b?dgw**, *Non. 418, 34*; *utrumque agnoscit Seru. hic* certae **PRΠ_5ω**, *Non.*, *Seru. ad Aen. 11, 704, DSeru. ad buc. 10, 68* : certe **$M P^x$aijknwxzγ** (*om.* **g**), *Tib.* occurrere **P** (*corr.* **P^2**) **64** certatque **Rb** **65** crimen «*alii*» *ap. Seru.*, *Tib.* **67** in *om.* **kxyγ^1** **69** nunc] me *Quint. 9, 2, 9* **71** et super] insuper **bcdgijqwz** **75** quiue fuat, memores *Ribbeck, cl. Aen. 3, 608 sq. et 10, 108*; *at cf. Aen. 10, 149 sqq.* memorem «*alii*» *ap. Seru.* **76** (= *Aen. 3, 612*) *om.* **MPΠ_5ωγ** : *habent* **nγ^1** *aliique correctores codd. saec. IX* **77** fuerint **b?cd?efghij?qtwzγ^1** quaecumque **Pb?cd?efghj?qtwzγ^1**

finxit, uanum etiam mendacemque improba finget.
fando aliquod si forte tuas peruenit ad auris
Belidae nomen Palamedis et incluta fama
gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
insontem infando indicio, quia bella uetabat,
demisere neci, nunc cassum lumine lugent:
illi me comitem et consanguinitate propinquum
pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
dum stabat regno incolumis regumque uigebat
conciliis, et nos aliquod nomenque decusque
gessimus. inuidia postquam pellacis Vlixi
(haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
adflictus uitam in tenebris luctuque trahebam
et casum insontis mecum indignabar amici.
nec tacui demens et me, fors si qua tulisset,
si patrios umquam remeassem uictor ad Argos,
promisi ultorem et uerbis odia aspera moui.
hinc mihi prima mali labes, hinc semper Vlixes
criminibus terrere nouis, hinc spargere uoces
in uulgum ambiguas et quaerere conscius arma.
nec requieuit enim, donec Calchante ministro…
sed quid ego haec autem nequiquam ingrata reuoluo?
quidue moror? si omnis uno ordine habetis Achiuos,
idque audire sat est, iamdudum sumite poenas:
hoc Ithacus uelit et magno mercentur Atridae.'
    Tum uero ardemus scitari et quaerere causas,
ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
prosequitur pauitans et ficto pectore fatur:
'saepe fugam Danai Troia cupiere relicta

MP 80 *redit* **V** 105 *desinit* **V**

81 aliquot **V** : aliquid **cf?jkvxz**, *GLK VII, 154, 16* **88** regumque **MP^{x}Vcghkqrvxyγ**, *Tib.* : regnumque **PΠ_5ω** **89** conciliis **MPV$^{2}\Pi_5$ωγ**, *Tib.* : consiliis **Vbdgikwz** (*def.* **q**) **90** pellacis **MVchknqtvγ^{1}**, *Velius 65, 18*, *Don. ad Ter. Phorm. 68*, *schol. Ver.*, *Seru.*, *DSeru. ad georg. 4, 442*, *Tib.* : fallacis **PΠ_5ωγ**, *Char. 68, 23* (*cod. N*) **97** hinc^{1}] hic **M** (*corr.* **M$^{1?}$**) **98** hinc] tunc *Non. 230, 22* **103** iamdudum *dist.* «*plerique*» *ap. schol. Ver.* **105** causas] casus **P** (*corr.* **P^{2}**) **108** cupiere] uoluere *Char. 217, 20*, *respuit DSeru.*

moliri et longo fessi discedere bello;
fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
interclusit hiems et terruit Auster euntis.
praecipue cum iam hic trabibus contextus acernis
staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat:
“sanguine placastis uentos et uirgine caesa,
cum primum Iliacas, Danai, uenistis ad oras:
sanguine quaerendi reditus animaque litandum
Argolica.” uulgi quae uox ut uenit ad auris,
obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit
ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
hic Ithacus uatem magno Calchanta tumultu
protrahit in medios; quae sint ea numina diuum
flagitat. et mihi iam multi crudele canebant
artificis scelus et taciti uentura uidebant.
bis quinos silet ille dies tectusque recusat
prodere uoce sua quemquam aut opponere morti.
uix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
composito rupit uocem et me destinat arae.
adsensere omnes et, quae sibi quisque timebat,
unius in miseri exitium conuersa tulere.
iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari
et salsae fruges et circum tempora uittae.
eripui, fateor, leto me et uincula rupi

MP

112 iam cum **M** (*ord. rest.* **M**^{x}) hic *om. Macrob. 6, 9, 13* **114** scitantem **MPafhjknrtxγ**, *Don. ad Ter. Eun. 548, Seru.* : scitatum **M**^{P} (*ut uid.*) **ωγ**^{1} (*def.* **q**), *Non. 386, 24, Char. 270, 11,* «*alii*» *ap. Seru., Tib.*; *suspicor partic. praesens* scitantem *aliquid difficultatis attulisse, ut ex Seruii adnotatione apparet* («scitantem *id est* ‘*scitaturum*’»); *unde u.l.* scitatum *orta est* **121** cui] quid *Peerlkamp, cl. Lucan. 6, 783* paret *Madvig*; *at* parent *ui absoluta positum, quasi sit ‘cui fata insidientur’* **129** rupit **Mg**, *Don. ad Ter. Phorm. 756* : rumpit **Pωγ**, *Seru. hic et ad Aen. 10, 63, Tib.* (*cf. Aen. 3, 246*); rupit *non praeteriti uim habet, sed aoristi* (*quasi sit ‘rupto silentio repente exclamat’*); *cf. Aen. 6, 193* **130** timebat **Mωγ**^{1}, *Seru., Tib.* : timebant **γacjr** (*periit in* **P**), «*figuratius*» *iudice DSeru.* (*cf. Aen. 8, 661*; *11, 185 sq.*)

limosoque lacu per noctem obscurus in ulua
delitui dum uela darent, si forte dedissent.
nec mihi iam patriam antiquam spes ulla uidendi
nec dulcis natos exoptatumque parentem,
quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt.
quod te per superos et conscia numina ueri,
per si qua est quae restet adhuc mortalibus usquam
intemerata fides, oro, miserere laborum
tantorum, miserere animi non digna ferentis.'
His lacrimis uitam damus et miserescimus ultro.
ipse uiro primus manicas atque arta leuari
uincla iubet Priamus dictisque ita fatur amicis:
'quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios:
noster eris; mihique haec edissere uera roganti:
quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
quidue petunt? quae religio? aut quae machina belli?'
dixerat. ille dolis instructus et arte Pelasga
sustulit exutas uinclis ad sidera palmas:
'uos, aeterni ignes, et non uiolabile uestrum
testor numen' ait, 'uos arae ensesque nefandi,
quos fugi, uittaeque deum, quas hostia gessi:
fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura,
fas odisse uiros atque omnia ferre sub auras,
si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
tu modo promissis maneas seruataque serues
Troia fidem, si uera feram, si magna rependam.
omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inuentor Vlixes,

MP 158 *redit* **V**

136 darent *dist.* **M**^{x}, *Tib.* : darent si forte *dist. Heyne* **138** dulcis **MP**^{x}**ωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 4, 33*) : duplicis **Pa**, «*quidam*» *ap. DSeru.* **139** et] ad **ω** (*praeter* **abetv**, *def.* **q**), *Tib.* **142** restet **M**^{2}**Pacejrvγ**, *DSeru.* : restat **Mω** (*def.* **q**), *Tib.* umquam **M** (*corr.* **M**^{A}) **148** iam hinc **P** (*ord. rest.* **P**^{x}) **164** scelerumque *ex* scelerumi *corr.* **M** *inter scribendum* : queiscelerum **P** (quei- *del.* **P**^{x}, -que *add.* **P**^{1}) : scelerum (*om.* -que) **V**

fatale adgressi sacrato auellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
corripuere sacram effigiem manibusque cruentis
uirgineas ausi diuae contingere uittas:
ex illo fluere ac retro sublapsa referri
spes Danaum, fractae uires, auersa deae mens.
nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
uix positum castris simulacrum: arsere coruscae
luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu)
emicuit parmamque ferens hastamque trementem.
extemplo temptanda fuga canit aequora Calchas,
nec posse Argolicis exscindi Pergama telis
omina ni repetant Argis numenque reducant
quod pelago et curuis secum auexere carinis.
et nunc quod patrias uento petiere Mycenas,
arma deosque parant comites pelagoque remenso
improuisi aderunt: ita digerit omina Calchas.
hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso
effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
hanc tamen immensam Calchas attollere molem
roboribus textis caeloque educere iussit,
ne recipi portis aut duci in moenia posset
neu populum antiqua sub religione tueri.
nam si uestra manus uiolasset dona Mineruae,
tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
conuertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum;
sin manibus uestris uestram ascendisset in urbem,
ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello

MPV 170 *redit* **F** 183 *desinit* **V**

170 aduersa **γ** **173–174** «*Probo sane displicet* salsus sudor *et superuacue positum uidetur*» *DSeru.* **179** *u. secl. Dietsch, post 183 transp. Büchner, post 180 Zimmermann, quibus praeteritum* auexere *molestum fuisse uidetur; at Sinon per dolum ementitur Graecos, iussa Calchantis secutos, iamdudum esse profectos Palladium secum auehentes* **182** omnia **ω** (*praeter* **cfhitvy**) **γ** (*corr.* **γ**[1]) **187** posset **Pahknγ**, *Tib.* : possit **FMω**, *DSeru.*, *Prisc. 16, 5* **193** magnam *schol. Ver. ad u. 311*

uenturam, et nostros ea fata manere nepotes.'
Talibus insidiis periurique arte Sinonis
credita res, captique dolis lacrimisque coactis
quos neque Tydides nec Larisaeus Achilles,
non anni domuere decem, non mille carinae.
Hic aliud maius miseris multoque tremendum
obicitur magis atque improuida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(horresco referens) immensis orbibus angues
incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt;
pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
sanguineae superant undas, pars cetera pontum
pone legit sinuatque immensa uolumine terga.
fit sonitus spumante salo; iamque arua tenebant
ardentisque oculos suffecti sanguine et igni
sibila lambebant linguis uibrantibus ora.
diffugimus uisu exsangues. illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parua duorum
corpora natorum serpens amplexus uterque
implicat et miseros morsu depascitur artus;
post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
corripiunt spirisque ligant ingentibus; et iam
bis medium amplexi, bis collo squamea circum
terga dati superant capite et ceruicibus altis.
ille simul manibus tendit diuellere nodos
perfusus sanie uittas atroque ueneno,
clamores simul horrendos ad sidera tollit,
qualis mugitus, fugit cum saucius aram
taurus et incertam excussit ceruice securim.
at gemini lapsu delubra ad summa dracones

FMP 198 *desinit* **F**

195 peiurique **M** (*corr.* **M**^{A}), *respuit Seru.* **196** coacti **n**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$, *Non. 253, 25* **201** neptuni **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **202** aram **M** (*corr.* **M**^{A}) **207** exsuperant *Tib.* **208** sinuantque **adefgwz**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$ **221** «*est interpositus uersus; nam potest tolli saluo sensu*» *Seru.* **224** incerta **P** (*corr.* **P**^{1}); *cf. Sil. 5, 65*

effugiunt saeuaeque petunt Tritonidis arcem
sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
tum uero tremefacta nouus per pectora cunctis
insinuat pauor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
ducendum ad sedes simulacrum orandaque diuae
numina conclamant.
diuidimus muros et moenia pandimus urbis.
accingunt omnes operi pedibusque rotarum
subiciunt lapsus et stuppea uincula collo
intendunt; scandit fatalis machina muros
feta armis. pueri circum innuptaeque puellae
sacra canunt funemque manu contingere gaudent;
illa subit mediaeque minans inlabitur urbi.
o patria, o diuum domus Ilium et incluta bello
moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
substitit atque utero sonitum quater arma dedere;
instamus tamen immemores caecique furore
et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
ora dei iussu non umquam credita Teucris;
nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
ille dies, festa uelamus fronde per urbem.
  Vertitur interea caelum et ruit Oceano nox
inuoluens umbra magna terramque polumque
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
conticuere, sopor fessos complectitur artus.
et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
a Tenedo tacitae per amica silentia lunae
litora nota petens, flammas cum regia puppis
extulerat, fatisque deum defensus iniquis
inclusos utero Danaos et pinea furtim

MP 254 *redit* **F**

226 effugiunt **Pωγ**, *Macrob. 3, 4, 4* : diffugiunt **M** (d *eras.* **M**[x], i *in* e *non mutans ut uid.*), *Tib.* (*cf. u. 212*) **251** magnam **Pγ** (*corr.* **γ**[1])

laxat claustra Sinon. illos patefactus ad auras
reddit equus, laetique cauo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Vlixes,
demissum lapsi per funem, Acamasque Thoasque
Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon
et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.
inuadunt urbem somno uinoque sepultam;
caeduntur uigiles, portisque patentibus omnis
accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.
Tempus erat quo prima quies mortalibus aegris
incipit et dono diuum gratissima serpit.
in somnis ecce ante oculos maestissimus Hector
uisus adesse mihi largosque effundere fletus,
raptatus bigis ut quondam aterque cruento
puluere perque pedes traiectus lora tumentis.
ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore qui redit exuuias indutus Achilli
uel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis,
squalentem barbam et concretos sanguine crinis
uulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
accepit patrios! ultro flens ipse uidebar
compellare uirum et maestas expromere uoces:
'o lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
exspectate uenis? ut te post multa tuorum
funera, post uarios hominumque urbisque labores
defessi aspicimus! quae causa indigna serenos
foedauit uultus? aut cur haec uulnera cerno?'
ille nihil, nec me quaerentem uana moratur,
sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,
'heu fuge, nate dea, teque his' ait 'eripe flammis:

FMP 288 redit **V**

261 diuus **F** (*corr.* **F**^{2}), *Char. 273, 25* : dius *Macrob. 5, 17, 15* : durus *schol. Bern. ad georg. 4, 512*; *cf. u. 762* **262** acamasque **FP**, *Gramm.* : achamasque **M** (-maasque **M**$^{A?}$) **P**^{2}, *DSeru.*, *Tib.* : athamasque *Char. 283, 2* (*uariant codd. Prisc. 17, 9*) **275** achilli **F**^{2}**Mγhr** (*periit in* **P**), *Macrob. 5, 5, 6* : achillei **F** : achillis **γ**^{1}**ω**, *Arus. 479, 12*, *Seru. ad Aen. 11, 76* (*uariant codd. Seru. hic*)

hostis habet muros, ruit alto a culmine Troia.
sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
sacra suosque tibi commendat Troia penatis:
hos cape fatorum comites, his moenia quaere
magna, pererrato statues quae denique ponto.'
sic ait et manibus uittas Vestamque potentem
aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
    Diuerso interea miscentur moenia luctu,
et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
clarescunt sonitus armorumque ingruit horror.
excutior somno et summi fastigia tecti
ascensu supero atque arrectis auribus adsto:
in segetem ueluti cum flamma furentibus Austris
incidit, aut rapidus montano flumine torrens
sternit agros, sternit sata laeta boumque labores
praecipitesque trahit siluas; stupet inscius alto
accipiens sonitum saxi de uertice pastor.
tum uero manifesta fides, Danaumque patescunt
insidiae. iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Volcano superante domus, iam proximus ardet
Vcalegon; Sigea igni freta lata relucent.
exoritur clamorque uirum clangorque tubarum.
arma amens capio; nec sat rationis in armis,
sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
cum sociis ardent animi; furor iraque mentem
praecipitat, pulchrumque mori succurrit in armis.
    Ecce autem telis Panthus elapsus Achiuum,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,

FMPV 296–299 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 309 *desinit* **F** 313 *desinit* **V**

290 alta *D'Orville* a *om.* **Faj** (*add.* **F**²), *Tib.* **292** possent *dist.* **M**ˣ, «*melius*» *iudice Seru.* : etiam *dist.* «*multi*» *ap. Seru., Tib.* (etiam *i.q. 'adhuc' interpretati*) **294–295** magna *dist.* **M**ˣ, *schol. Ver., Tib.* : quaere *dist.* «*multi*» *ap. DSeru.*; *cf. Aen. 3, 159 sq.* **299** et] at **M** (*corr.* **M**²) **303** erectis **V** **305** rabidus **V** **307** stupet] sedet *Quint. 8, 6, 10* **317** praecipitat **Peγ** (*cf. Aen. 3, 269*; *4, 651*; *8, 67 et 9, 44*) : praecipitant **Mωγ**¹, *Seru., Tib.*

sacra manu uictosque deos paruumque nepotem
ipse trahit cursuque amens ad limina tendit.
'quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?'
uix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
'uenit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae. fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
gloria Teucrorum; ferus omnia Iuppiter Argos
transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.
arduus armatos mediis in moenibus adstans
fundit equus uictorque Sinon incendia miscet
insultans. portis alii bipatentibus adsunt,
milia quot magnis umquam uenere Mycenis;
obsedere alii telis angusta uiarum
oppositis; stat ferri acies mucrone corusco
stricta, parata neci; uix primi proelia temptant
portarum uigiles et caeco Marte resistunt.'
talibus Othryadae dictis et numine diuum
in flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
quo fremitus uocat et sublatus ad aethera clamor.
addunt se socios Ripheus et maximus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque
et lateri adglomerant nostro, iuuenisque Coroebus
Mygdonides – illis ad Troiam forte diebus
uenerat insano Cassandrae incensus amore
et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
infelix, qui non sponsae praecepta furentis
audierit!
quos ubi confertos audere in proelia uidi,

MP 330–333 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

321 curruque **P** (*corr.* **P**^{2}) : cursusque **i**; «cursu: *legitur et* cursum» *Seru.*; *cf. Lucr. 5, 631* **329** fudit **efhikvy** **333** oppositis **Mγaceqrw**, *Tib.* : oppositi $\boldsymbol{\gamma^1\omega}$ (*periit in* $\mathbf{P\Pi_{10}}$); *cf. Aen. 11, 612* **340** epytus **γ** (*periit in* **P**) : aepytus **M** (aephitus *Tib.*); *cf. Aen. 5, 547 et 579* **342** illis qui ad *Macrob. 5, 5, 7* («*deest 'qui'*» *DSeru.*) **346** audierat **cdefhijnwz** (*om.* **bgqr**) **347** audere **Mωγ** (auder **P**), *Arus. 458, 8, Tib.* (*cf. Stat. Theb. 1, 439 sq.*) : ardere *Gronovius ad Sen. Herc. fur. 779, quod non displicet* (*cf. Aen. 12, 71*), *sed poeta iterationem eiusdem uerbi* (audere / *349* audentem) *consulto persequi uidetur*

incipio super his: ‘iuuenes, fortissima frustra
pectora, si uobis audentem extrema cupido
certa sequi, quae sit rebus fortuna uidetis.
excessere omnes adytis arisque relictis
di quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
incensae: moriamur et in media arma ruamus.
una salus uictis nullam sperare salutem.’
sic animis iuuenum furor additus. inde, lupi ceu
raptores atra in nebula, quos improba uentris
exegit caecos rabies catulique relicti
faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis
uadimus haud dubiam in mortem mediaeque tenemus
urbis iter; nox atra caua circumuolat umbra.
quis cladem illius noctis, quis funera fando
explicet aut possit lacrimis aequare labores?
urbs antiqua ruit multos dominata per annos;
plurima perque uias sternuntur inertia passim
corpora perque domos et religiosa deorum
limina. nec soli poenas dant sanguine Teucri:
quondam etiam uictis redit in praecordia uirtus
uictoresque cadunt Danai. crudelis ubique
luctus, ubique pauor et plurima mortis imago.
    Primus se Danaum magna comitante caterua
Androgeos offert nobis, socia agmina credens
inscius, atque ultro uerbis compellat amicis:
‘festinate, uiri! nam quae tam sera moratur
segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: uos celsis nunc primum a nauibus itis?’
dixit et extemplo (neque enim responsa dabantur

MP

349 audentem **P** (*ut uid.*) **ω**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Seru.* : audendi **Mabc?d?fh?iqr?γ**, «*multi*» *ap. Seru.*, *Tib.* (*utrumque Isid. 1, 37, 20*) : audenti «*multi*» *ap. Seru.* **351** discessere *Aug. ciu. 2, 22* (*cf. Aen. 12, 696*) : abscessere *et* excessere *idem 3, 7* **360** nox – umbra *secl. Ribbeck* (*cf. Aen. 6, 866*) **362** laborem **b**, *Tib. in lemm.* : dolorem *Macrob. 5, 1, 10* : dolores *Orosius 2, 18, 4* **369** pauorque *Asper ap. schol. Ver. ad Aen. 9, 402* **371** androgeos $\boldsymbol{\gamma}^1$, *testatur Seru.* : androgeus **Mγ** (*periit in* **P**), *Tib.*; *cf. u. 382*

fida satis) sensit medios delapsus in hostis.
obstipuit retroque pedem cum uoce repressit.
improuisum aspris ueluti qui sentibus anguem
pressit humi nitens trepidusque repente refugit
attollentem iras et caerula colla tumentem,
haud secus Androgeos uisu tremefactus abibat.
inruimus densis et circumfundimur armis,
ignarosque loci passim et formidine captos
sternimus: adspirat primo Fortuna labori.
atque hic successu exsultans animisque Coroebus
'o socii, qua prima' inquit 'Fortuna salutis
monstrat iter quaque ostendit se dextra, sequamur:
mutemus clipeos Danaumque insignia nobis
aptemus. dolus an uirtus, quis in hoste requirat?
arma dabunt ipsi.' sic fatus deinde comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
induitur laterique Argiuum accommodat ensem.
hoc Ripheus, hoc ipse Dymas omnisque iuuentus
laeta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
uadimus immixti Danais haud numine nostro
multaque per caecam congressi proelia noctem
conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
diffugiunt alii ad nauis et litora cursu
fida petunt; pars ingentem formidine turpi
scandunt rursus equum et nota conduntur in aluo.
Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis!

MP

377 dilapsus **bdefgikwxyz**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Char. 269, 13* : illapsus *Prisc. quinquies* **382** androgeos **P**, *Macrob. 5, 5, 11* : androgeus **M**, *Tib.*, *Prisc. 3, 13*; *cf. u. 371* **383** circumfundimur **Mω**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Tib.* (*cf. Aen. 3, 635*) : -fudimus **Pγ** : -fundimus **abcdefnw** **387** qua $\boldsymbol{\gamma}^1$**ω** (*def.* **q**), *Seru.* («qua prima *non 'quae prima', sed 'qua primum'*; *est enim hypallage*») : quae **Mγar** (*periit in* **P**), *Tib.* **390** requirit *Macrob. 5, 16, 7* **391** arma *subdistinguere uult Seru., ut interrogantis sit* (arma? dabunt ipsi) **392** androgei **Mγω** (*periit in* **P**), *Char. 92, 11*, *DSeru. hic, ad Aen. 3, 468 et 6, 20*, *Tib.*; *cf. Aen. 6, 20* **394** ipse Dymas *iungunt «alii» ap. DSeru.* : ipse *dist.* $\mathbf{M}^x\mathbf{P}^2$, *«multi» ap. Seru.*, *Tib.* (ipse *ad Aenean referentes*) **396** immixtis **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{1?}$) nomine **aγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **398** demittimus **a**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Tib.* (*cf. u. 85 et Aen. 9, 527*) : dimittimus **MPωγ** **402** fidere] credere *DSeru. ad u. 396*

ecce trahebatur passis Priameia uirgo
crinibus a templo Cassandra adytisque Mineruae
ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
lumina, nam teneras arcebant uincula palmas.
non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus
et sese medium iniecit periturus in agmen.
consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
hic primum ex alto delubri culmine telis
nostrorum obruimur oriturque miserrima caedes
armorum facie et Graiarum errore iubarum.
tum Danai gemitu atque ereptae uirginis ira
undique collecti inuadunt, acerrimus Aiax
et gemini Atridae Dolopumque exercitus omnis:
aduersi rupto ceu quondam turbine uenti
confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois
Eurus equis; stridunt siluae saeuitque tridenti
spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
fudimus insidiis totaque agitauimus urbe,
apparent; primi clipeos mentitaque tela
agnoscunt atque ora sono discordia signant.
ilicet obruimur numero, primusque Coroebus
Penelei dextra diuae armipotentis ad aram
procumbit; cadit et Ripheus, iustissimus unus
qui fuit in Teucris et seruantissimus aequi
(dis aliter uisum); pereunt Hypanisque Dymasque
confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,

MP

408 moriturus **ω** (*praeter* **cfhijkxy**), *DSeru.* (*cf. u. 511*) **415** dolopumue **bcdfgjnrw**, *Tib.* (*cf. uu. 7 et 785*) **416** diuersi magno *Macrob. 6, 2, 28* (*sed* aduersi rupto *5, 13, 14*) **418** *om.* **M** (*u. ima pagina addiderat* $\mathbf{M}^{\mathbf{A}}$, *ut apparet e litteris in mg. appositis, postea erasit et denuo scripsit man. librario simillima* [*cf. Aen. 1, 169*]; *quem uersum item erasum rest.* $\mathbf{M}^{\mathbf{P}}$) **419** atque] aque (*cf. georg. 4, 347*) **γ?** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$, *periit in* **P**), *et sic coniecit Baehrens* («*'ab' minus est*» *Seru.*); *sed cf. Aen. 7, 530* **422** primi] priami **P** (*corr.* $\mathbf{P}^{\mathbf{x}}$) **425** peneleo **b?**, «*alii*» *ap. GLK V, 561, 17* (*cf. u. 392 et Aen. 6, 20*) **426** procubuit *Char. 92, 15*, *Macrob. 4, 3, 14*

labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres et flamma extrema meorum,
testor, in occasu uestro nec tela nec ullas
uitauisse uices, Danaum et, si fata fuissent
ut caderem, meruisse manu. diuellimur inde,
Iphitus et Pelias mecum (quorum Iphitus aeuo
iam grauior, Pelias et uulnere tardus Vlixi),
protinus ad sedes Priami clamore uocati.
hic uero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
sic Martem indomitum Danaosque ad tecta ruentis
cernimus obsessumque acta testudine limen.
haerent parietibus scalae postisque sub ipsos
nituntur gradibus clipeosque ad tela sinistris
protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tota domorum
culmina conuellunt – his se, quando ultima cernunt,
extrema iam in morte parant defendere telis –
auratasque trabes, ueterum decora illa parentum,
deuoluunt; alii strictis mucronibus imas
obsedere fores, has seruant agmine denso.
instaurati animi regis succurrere tectis
auxilioque leuare uiros uimque addere uictis.
    Limen erat caecaeque fores et peruius usus
tectorum inter se Priami postesque relicti
a tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
saepius Andromache ferre incomitata solebat

MP 437 *redit* **F**

430 nec] neque **Phγ** **433** uices *dist. Peerlkamp* (Danaum … manu *coniungens*) : uices Danaum *coniungunt* **M**, *DSeru. ad Aen. 3, 376, Tib.* **434** manum «*nonnulli*» *ap. Tib.* **436** ulixei **P**^{1}, *Quint. 9, 3, 35* **443** ad tela **ωγ**^{1}, *Seru.* : ad tecta **F** : ac tela **F**^{c}**MParγ**, *Tib.*, *respuit DSeru.* **445** tota **Pγ**, *Tib.*, *agnoscit DSeru.* : tecta **FMP**$^{2?}$ (*correctio postea erasa*) **ωγ**^{1}, *Cledon. 47, 9, Seru. hic* («tecta *participium est*») *et ad Aen. 9, 530, Prisc. 7, 27* (*cf. Aen. 12, 132*) : tuta **ar** (*cf. Aen. 11, 882*) **448** illa **FPanrγ**, *Tib.* : alta **F**^{c}**Mωγ**^{1}, *Prisc. 7, 79* (*cf. Aen. 1, 429 et Stat. Theb. 5, 424*); illa *pathetice dictum* (*cf. u. 503*) **450** has seruant] asseruant **Pγ** (*corr.* **P**^{1}**γ**^{1}) : ac seruant *dubitanter Ribbeck* **455** dum] cum «*alii*» *ap. Seru.*

ad soceros et auo puerum Astyanacta trahebat.
euado ad summi fastigia culminis, unde
tela manu miseri iactabant inrita Teucri.
turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
eductam tectis, unde omnis Troia uideri
et Danaum solitae naues et Achaica castra,
adgressi ferro circum, qua summa labantis
iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis
sedibus impulimusque: ea lapsa repente ruinam
cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
incidit. ast alii subeunt, nec saxa nec ullum
telorum interea cessat genus.
    Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
exsultat telis et luce coruscus aëna:
qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
nunc positis nouus exuuiis nitidusque iuuenta,
lubrica conuoluit sublato pectore terga,
arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
succedunt tecto et flammas ad culmina iactant.
ipse inter primos correpta dura bipenni
limina perrumpit postisque a cardine uellit
aeratos; iamque excisa trabe firma cauauit
robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

FMP 468 *desinit* **F** 470 *redit* **V**

458 «euado: *minus est 'hac'*» *Seru.*; euado hac summi *Guyet ad Ter. Andr. 356* (*cf. Aen. 4, 685*) **460** turrem **F**, *Char. 39, 19*; turrim *testantur Probus ap. Gell. 13, 21, 6*, *Prisc. 7, 52 et 59* **462** achaica **MPωγ**, *DSeru.*, *Tib.* : achaia **Fcy**; *cf. u. 27* **463** labentis **Mgy**, *Cons. 400, 18* (*contra metrum*) **465** ea lapsa **MP²ω** (ea labsa **F**), *Tib.* : elapsa **Pab?fhrvxγ** : ea elapsa **i** : lapsa (*om.* ea) **z**; *cf. Aen. 12, 356* repente] ruente **P** (*corr.* **P²**) ruina **M** (*corr.* **M^A**) **473** nunc] *non cum* conuoluit, *sed cum* positis nouus exuuiis *iungendum, ita ut amplo circuitu ducta currat oratio* (ubi in lucem … conuoluit … terga) **474** conuoluens **V** (*cf. georg. 3, 426*) : conuoluent **V²** **476** achilles **P** : achilli **V** **478** muro *Seru. ad u. 723* (*sed* tecto *hic et ad Aen. 4, 10*)

apparet domus intus et atria longa patescunt,
apparent Priami et ueterum penetralia regum,
armatosque uident stantis in limine primo.
    At domus interior gemitu miseroque tumultu
miscetur, penitusque cauae plangoribus aedes
femineis ululant: ferit aurea sidera clamor.
tum pauidae tectis matres ingentibus errant
amplexaeque tenent postes atque oscula figunt.
instat ui patria Pyrrhus: nec claustra nec ipsi
custodes sufferre ualent; labat ariete crebro
ianua et emoti procumbunt cardine postes.
fit uia ui; rumpunt aditus primosque trucidant
immissi Danai et late loca milite complent.
non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
exiit oppositasque euicit gurgite moles,
fertur in arua furens cumulo camposque per omnis
cum stabulis armenta trahit. uidi ipse furentem
caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas,
uidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras
sanguine foedantem quos ipse sacrauerat ignis.
quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
barbarico postes auro spoliisque superbi
procubuere; tenent Danai qua deficit ignis.
    Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.
urbis uti captae casum conuulsaque uidit
limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
arma diu senior desueta trementibus aeuo
circumdat nequiquam umeris et inutile ferrum

MPV 496 *desinit* **V**

485 uident **MPωγ**, *Seru.*, *Tib.* : uidet **Vn** **487** plangoribus **MPV**^{2}**ωγ**, *schol. Ver.* : clangoribus **P**$^{1?}$**Vz**, *Tib.*; *cf. Aen. 4, 668 et 12, 607* **491** nec^{2}] neque **Mdfgijxyz** **497** exit **cg**, *Non. 296, 24*, *DSeru. ad buc. 5, 82*, *schol. Bern. ad georg. 1, 116* : exilit **a**?; *cf. Aen. 10, 817* euicit] erupit *Macrob. 5, 5, 13* **503** tanta **Mωγ**^{1}, *DSeru. hic et ad Aen. 5, 645*, *Tib.* : ampla **Prγ** (*cf. Prop. 3, 22, 41*) **508** medium in **Mωγ**^{1} (medium et **P**), *Seru.*, *Tib.* : mediis in (*cf. u. 665*) **P**^{2}**cfhiwγ**, *agnoscit Seru.* («*si* mediis *legeris, non stat uersus, nisi excluso* s») : mediis (*om.* in) **d**

cingitur ac densos fertur moriturus in hostis.
aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
ingens ara fuit, iuxtaque ueterrima laurus
incumbens arae atque umbra complexa penates.
hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum,
praecipites atra ceu tempestate columbae,
condensae et diuum amplexae simulacra sedebant.
ipsum autem sumptis Priamum iuuenalibus armis
ut uidit, ‘quae mens tam dira, miserrime coniunx,
impulit his cingi telis? aut quo ruis?’ inquit;
‘non tali auxilio nec defensoribus istis
tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
aut moriere simul.’ sic ore effata recepit
ad sese et sacra longaeuum in sede locauit.
    Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
unus natorum Priami, per tela, per hostis
porticibus longis fugit et uacua atria lustrat
saucius. illum ardens infesto uulnere Pyrrhus
insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.
ut tandem ante oculos euasit et ora parentum,
concidit ac multo uitam cum sanguine fudit.
hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
non tamen abstinuit nec uoci iraeque pepercit:
‘at tibi pro scelere’ exclamat, ‘pro talibus ausis
di, si qua est caelo pietas quae talia curet,
persoluant grates dignas et praemia reddant
debita, qui nati coram me cernere letum
fecisti et patrios foedasti funere uultus.
at non ille, satum quo te mentiris, Achilles
talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
supplicis erubuit corpusque exsangue sepulcro
reddidit Hectoreum meque in mea regna remisit.’
sic fatus senior telumque imbelle sine ictu

MP

517 sedebant] tenebant **Mdw** (*corr.* **M**^{A}) **532** fundit *Bentley*

coniecit, rauco quod protinus aere repulsum
ex summo clipei nequiquam umbone pependit.
cui Pyrrhus: ‘referes ergo haec et nuntius ibis
Pelidae genitori; illi mea tristia facta
degeneremque Neoptolemum narrare memento:
nunc morere.’ hoc dicens altaria ad ipsa trementem
traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
implicuitque comam laeua dextraque coruscum
extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
haec finis Priami fatorum, hic exitus illum
sorte tulit Troiam incensam et prolapsa uidentem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
regnatorem Asiae. iacet ingens litore truncus
auulsumque umeris caput et sine nomine corpus.
At me tum primum saeuus circumstetit horror.
obstipui; subiit cari genitoris imago,
ut regem aequaeuum crudeli uulnere uidi
uitam exhalantem, subiit deserta Creusa
et direpta domus et parui casus Iuli.
respicio et quae sit me circum copia lustro:
deseruere omnes defessi et corpora saltu
ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae

MP 567–588 *deficiunt* **MP**

546 ex *Wakefield* (ec *Ribbeck*) : et *codd., Seru. ad georg. 1, 403, DSeru., Tib.* **552** comam **Mωγ^1**, *Tib.* : coma **Pcγ** laeuam **Pc** **554** haec] hic **in**, *respuit Probus ap. Gell. 13, 21, 12* fatorum *dist.* **M^{2}P^2**, *Gell. 13, 21, 12, schol. Ver. ad Aen. 2, 165, Tib., Gramm.* : Priami *dist. Probus 124, 16, Char. 266, 34* **559** circuminstitit *ut uid.* **P** (in *del.* **P^x**, *in* -stetit *corr.* **P^1**) **562** subiit] subit et **b?degjkwxyγ^1** **567–588** «*in secundo hos uersus constat esse detractos:* aut ignibus aegra dedere (*566*). iamque adeo (*567*) – furiata mente ferebar (*588*), cum mihi se non ante oculos (*589*)» *Seru. in praef. Aen. comm.* (*cf. etiam ad Aen. 2, 592*); «*post hunc uersum hi uersus fuerunt, qui a Tucca et Vario obliti sunt:* iamque adeo (*567*) – furiata mente ferebar (*588*)» *DSeru. ad u. 566*; *hos uersus om. omnes codices uetustiores* (*sed post Georgicon libros add.* **g**, *e Seruio*), *Tib.*; *non laudant Gramm. neque alii auctores antiqui, sed imitatur Lucanus* (*10, 59–62*) *una cum uu. 601–603, necnon Ouidius* (*her. 16, 333*); *in textum receperunt recc. pauci et edd. inde ab editione Romana an. 1469*; *abiudicauerunt multi, inter quos Goold* («*HSCP*» *74,*

seruantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem
erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros
et Danaum poenam et deserti coniugis iras
praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
abdiderat sese atque aris inuisa sedebat.
exarsere ignes animo; subit ira cadentem
ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.
'scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
aspiciet partoque ibit regina triumpho?
coniugiumque domumque patris natosque uidebit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
non ita. namque etsi nullum memorabile nomen
feminea in poena est nec habet uictoria laudem,
exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
laudabor poenas, animumque explesse iuuabit

1970, 101–168), *Murgia* («*CSCA*» *4, 1971, 203–217*; «*HSCP*» *101, 2003, 405–426*), *Horsfall* («*ICS*» *31, 2006, 1–27*); *adiudicauerunt Austin* («*CQ*» *n.s. 9, 1961, 185–198*), *Timpanaro* (*Virgilianisti antichi e tradizione indiretta, Firenze 2001, 2*), *Delvigo* («*MD*» *57, 2006, 207–210*) *aliique. Primum opinor hoc esse conamen extrema poetae manu carens, et ideo a Vergilio ipso sepositum uel a Vario editore praetermissum*; *formam multasque notas Vergiliani ingenii profecto exhibet, atque corpori narrationis adeo inhaeret ut una et sola excogitatione conceptum esse uideatur. De tota quaestione disserui «RFIC» 106, 1978, 53–62, et denuo «MD» 56, 2006, 157–179; ud. nunc Conte, 'Critical Notes', 69–87*

569 claram *Ribbeck* **572** Danaum poenam *Seru. codd. plerique* (*et* **g**) : Danaum poenas *Seru. codd. VWN, DSeru.* : poenas Danaum *recc. pauci, ed. Rom.* **576** celeratas *Seru. cod. M* : sceleratae *Valesius* **579** *secl. Wagner* patris *recc.* : patres *Seru.* (*et* **g**), *DSeru.* **584** nec habet *Seru. codd. VW* : habet haec *Seru. codd. reliqui* (*et* **g**), *DSeru.*; *dicolon est abundans, schema Vergilio proprium* (in poena ~ uictoria; memorabile nomen ~ laudem); *si autem Aeneas adfirmatiue proclamaret* habet haec uictoria laudem, *uix hoc enuntiatum cum aduersatiua coniunctione* tamen (*585*) *congrueret, pro qua 'nam' uel 'enim' exspectarem* **585** merentis *Seru. codd. aliquot* (*et* **g**) : merentes *Seru. codd. plerique, DSeru.* **586** *post hunc uersum lac. statuit Nettleship*

ultricis famae et cineres satiasse meorum.'
talia iactabam et furiata mente ferebar,
cum mihi se, non ante oculis tam clara, uidendam
obtulit et pura per noctem in luce refulsit
alma parens, confessa deam qualisque uideri
caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
continuit roseoque haec insuper addidit ore:
'nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
non prius aspicies ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen, superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae
circum errant acies et, ni mea cura resistat,
iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacaenae
culpatusue Paris, diuum inclementia, diuum
has euertit opes sternitque a culmine Troiam.
aspice (namque omnem, quae nunc obducta tuenti
mortalis hebetat uisus tibi et umida circum
caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
iussa time neu praeceptis parere recusa):
hic, ubi disiectas moles auulsaque saxis
saxa uides mixtoque undantem puluere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
fundamenta quatit totamque a sedibus urbem
eruit. hic Iuno Scaeas saeuissima portas
prima tenet sociumque furens a nauibus agmen
ferro accincta uocat.
iam summas arces Tritonia, respice, Pallas

589 *redeunt* **MP**

587 famae *Seru. codd. VW*, *DSeru.* : flammae *Seru. cod. N* : famam *Seru. codd. reliqui* (*et* **g**) : ultricique manu (*del.* et) *Schoell*; ultricis famae *probari potest, equidem ego in suspenso teneor* **588** ferebar *Seru.* (*et* **g**) : loquebar *DSeru.* (loquebatur *cod. C*) **589** cum] 'cum *inuersum*', *si interpositos uu. 567–588 deleas, nullo modo uu. 564–566 subsequi potest* (*lac. statuit Ribbeck*) oculos **Mvz**, *Seru. in praef. Aen. comm.* (*ubi* alias *codd. nonnulli*) **592** dextramque **M** **594** indomitus tantas **cg** **598** omnes **M** **611** a] ab **Paeinqγ**

insedit nimbo effulgens et Gorgone saeua.
ipse pater Danais animos uiresque secundas
sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
eripe, nate, fugam finemque impone labori;
nusquam abero et tutum patrio te limine sistam.'
dixerat et spissis noctis se condidit umbris.
apparent dirae facies inimicaque Troiae
numina magna deum.
Tum uero omne mihi uisum considere in ignis
Ilium et ex imo uerti Neptunia Troia:
ac ueluti summis antiquam in montibus ornum
cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
eruere agricolae certatim, illa usque minatur
et tremefacta comam concusso uertice nutat,
uulneribus donec paulatim euicta supremum
congemuit traxitque iugis auulsa ruinam.
descendo ac ducente deo flammam inter et hostis
expedior; dant tela locum flammaeque recedunt.
Atque ubi iam patriae peruentum ad limina sedis
antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
optabam primum montis primumque petebam,
abnegat excisa uitam producere Troia
exiliumque pati. 'uos o, quibus integer aeui
sanguis' ait 'solidaeque suo stant robore uires,
uos agitate fugam.
me si caelicolae uoluissent ducere uitam,
has mihi seruassent sedes. satis una superque

MP 623 *redit* **V**

616 nimbo *codd., ps. Acro ad Hor. carm. 1, 15, 11, Seru., DSeru. ad Aen. 9, 110, Tib.* (*cf. Hom. Il. 15, 308*) : limbo «*alii*» *ap. Seru.* **620** nusquam **M**^{2}**Pωγ**, *schol. Ver. ad Aen. 2, 633, Seru. hic et ad Aen. 1, 382, Tib.* : numquam **M**, *DSeru. ad u. 801* **627** quam ferro excisam *DSeru. ad Aen. 1, 54* **630** uicta **V** (*corr.* **V**^{2}) **632** discedo *Macrob. 3, 8, 1* ac ducente] adducente **γ** (*corr.* **γ**^{1}), *DSeru. ad Aen. 7, 498, Tib.* deo **M**^{2}**V**^{2}**abdkwγ**^{1}, *Char. 154, 14, schol. Ver. ad Aen. 5, 467, Seru. hic, ad Aen. 4, 228 et 7, 498* : dea **MP**^{2} (de **P**) **Vωγ**, *Sac. 447, 17, Tib.* (deo *et* dea *codd. DSeru. ad Aen. 1, 382*) : *utrumque agnoscunt schol. Ver. ad loc., Macrob. 3, 8, 1* (*qui* deo *probat*); ducente deo *indistincte dictum, quasi sit 'diuino numine ducente'*

uidimus excidia et captae superauimus urbi.
sic o sic positum adfati discedite corpus.
ipse manu mortem inueniam: miserebitur hostis
exuuiasque petet; facilis iactura sepulcri.
iam pridem inuisus diuis et inutilis annos
demoror, ex quo me diuum pater atque hominum rex
fulminis adflauit uentis et contigit igni.'
Talia perstabat memorans fixusque manebat.
nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnisque domus, ne uertere secum
cuncta pater fatoque urgenti incumbere uellet.
abnegat inceptoque et sedibus haeret in isdem.
rursus in arma feror mortemque miserrimus opto:
nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
'mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
sperasti tantumque nefas patrio excidit ore?
si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
et sedet hoc animo perituraeque addere Troiae
teque tuosque iuuat, patet isti ianua leto,
iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
arma, uiri, ferte arma; uocat lux ultima uictos.
reddite me Danais, sinite instaurata reuisam
proelia: numquam omnes hodie moriemur inulti.'

MPV

644 *om.* **M** (*u. ima pagina addiderat* **M**^{A}, *postea erasit et denuo scripsit man. librario simillima*; *cf. Aen. 1, 169*) **645** manu mortem **Mωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : manum morti **PV?** : manum mortem **P**^{1}**ar?γ**; ipse manu *i.e. hostem lacessendo ad pugnam*; manum morti inueniam *non est callida iunctura, sed Latina parum* **660** haec **V** **661** istic **ω** (*praeter* **hjknvz**) : ista **a?**; «isti … *pro 'istic'*» *Seru.* **663** patrem qui] patremque **Mcdnwzγ** **664** ignis] hostes (*cf. uu. 358 et 527*) **b**, *Tib. in lemm.*, *Prisc. 12, 25* (*sed* ignes *13, 9*) **667** mactatos **V**^{2}**ωγ**, *Tib.* : mactato **MPV**

Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram
insertabam aptans meque extra tecta ferebam.
ecce autem complexa pedes in limine coniunx
haerebat paruumque patri tendebat Iulum:
‘si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
hanc primum tutare domum. cui paruus Iulus,
cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?’
Talia uociferans gemitu tectum omne replebat,
cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
namque manus inter maestorumque ora parentum
ecce leuis summo de uertice uisus Iuli
fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
lambere flamma comas et circum tempora pasci.
nos pauidi trepidare metu crinemque flagrantem
excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.
at pater Anchises oculos ad sidera laetus
extulit et caelo palmas cum uoce tetendit:
‘Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
aspice nos: hoc tantum; et si pietate meremur,
da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.’
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
intonuit laeuum, et de caelo lapsa per umbras
stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
illam summa super labentem culmina tecti
cernimus Idaea claram se condere silua
signantemque uias; tum longo limite sulcus
dat lucem et late circum loca sulpure fumant.

MPV 673 *redit* **F**

671 cingor **P** (*corr.* **P**^{2}) **677** hac **V** (*corr.* **V**^{2}) **678** relinquar **M** (*corr.* **M**^{2}) **679** replerat **F** (*corr.* **F**^{2}) **680** subitum **F**^{2}**ωγ**^{1}, *DSeru.* («subitum *pro ‘subito’*»), *Tib. in interpr.* : subitu **Fa** : subito **MPVbdhjnrwγ**, *Tib. in lemm.*; *cf. georg. 4, 554, Aen. 5, 522 et 8, 81* miserabile **Par?vγ** **682** leui **V** (*corr.* **V**^{2}) **683** molli **V**, *Tib. in lemm.* (*sed* mollis *explicatur*) **686** sanctos] sacros **j?**, *Seru.* **691** auxilium *codd.*, *DSeru. ad u. 686*, *Tib.* : augurium *ps. Probus ad buc. 6, 31* (*cf. u. 703 et Aen. 3, 89*)

hic uero uictus genitor se tollere ad auras
adfaturque deos et sanctum sidus adorat:
‘iam iam nulla mora est: sequor et qua ducitis adsum,
di patrii; seruate domum, seruate nepotem;
uestrum hoc augurium, uestroque in numine Troia est.
cedo equidem nec, nate, tibi comes ire recuso.’
dixerat ille, et iam per moenia clarior ignis
auditur, propiusque aestus incendia uoluunt.
‘ergo age, care pater, ceruici imponere nostrae;
ipse subibo umeris nec me labor iste grauabit;
quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
una salus ambobus erit. mihi paruus Iulus
sit comes, et longe seruet uestigia coniunx.
uos, famuli, quae dicam animis aduertite uestris.
est urbe egressis tumulus templumque uetustum
desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus
religione patrum multos seruata per annos:
hanc ex diuerso sedem ueniemus in unam.
tu, genitor, cape sacra manu patriosque penatis;
me bello e tanto digressum et caede recenti
attrectare nefas, donec me flumine uiuo
abluero.’
haec fatus latos umeros subiectaque colla
ueste super fuluique insternor pelle leonis
succedoque oneri; dextrae se paruus Iulus
implicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
pone subit coniunx. ferimur per opaca locorum,
et me, quem dudum non ulla iniecta mouebant
tela neque aduerso glomerati examine Grai,
nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis

FMPV 699 *desinit* **F** 717–718 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$ 726 *desinit* **V**

699 tollere **Parγ** : tollit **FMVωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 10, 458 sq. ‘ire prior Pallas … magnumque ita ad aethera fatur’* (*infinitiuus historicus cum praes. indic. coniunctus*) **702** di patrii *superioribus iungit Tib.* : *inferioribus iungunt Macrob. 3, 4, 13, DSeru.* **706** propriusque **Pbrγ** **709** cadet **Vk** **723** dextra *schol. Ver.* **727** neque] nec **Paqrvγ** examine **giyz** (exagmine *Housman, Class. Pap. I, 176–178*) : ex agmine **MPωγ**, *Sen. ep. 56, 12–13, Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 7, 703*

suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis omnemque uidebar
euasisse uiam, subito cum creber ad auris
uisus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
prospiciens ‘nate’ exclamat, ‘fuge, nate; propinquant:
ardentis clipeos atque aera micantia cerno.’
hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
confusam eripuit mentem. namque auia cursu
dum sequor et nota excedo regione uiarum,
heu misero coniunx fatone erepta Creusa
substitit, errauitne uia seu lapsa resedit –
incertum; nec post oculis est reddita nostris.
nec prius amissam respexi animumue reflexi
quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
uenimus: hic demum collectis omnibus una
defuit et comites natumque uirumque fefellit.
quem non incusaui amens hominumque deorumque,
aut quid in euersa uidi crudelius urbe?
Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque penatis
commendo sociis et curua ualle recondo;
ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.
stat casus renouare omnis omnemque reuerti
per Troiam et rursus caput obiectare periclis.
principio muros obscuraque limina portae,
qua gressum extuleram, repeto et uestigia retro
obseruata sequor per noctem et lumine lustro:
horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.
inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,

MP

731 uiam] uicem *Markland ad Stat. silu. 5, 2, 152* **734** ardentis – cerno *Aeneae* (*non Anchisae*) *tribuunt* «*nonnulli*» *ap. DSeru.* **738** fatone] fato mi *Ribbeck* **739** lapsa **Mnq** : lassa **P**^{2}**ωγ**, *Tib.* : rapta **Padrwγ**^{1} (*ex u. sup.*); lapsa *i.e. languescens quia uiribus relicta* **741** animumue **Pωγ** : animumque **Macnqr**, *Tib.* **749** *om.* **g**, *post Peerlkamp secl. Ribbeck* **754** lumina **γa** (*corr.* **γ**^{1}, *periit in* **P**); *cf. Aen. 8, 153* **755** animo **MPanγ**, *Tib.* : animos **ωγ**^{1}

me refero: inruerant Danai et tectum omne tenebant.
ilicet ignis edax summa ad fastigia uento
uoluitur; exsuperant flammae, furit aestus ad auras.
procedo et Priami sedes arcemque reuiso:
et iam porticibus uacuis Iunonis asylo
custodes lecti Phoenix et dirus Vlixes
praedam adseruabant. huc undique Troia gaza
incensis erepta adytis mensaeque deorum
crateresque auro solidi captiuaque uestis
congeritur. pueri et pauidae longo ordine matres
stant circum.
ausus quin etiam uoces iactare per umbram
impleui clamore uias maestusque Creusam
nequiquam ingeminans iterumque iterumque uocaui.
quaerenti et tectis urbis sine fine furenti
infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
uisa mihi ante oculos et nota maior imago.
obstipui, steteruntque comae et uox faucibus haesit.
[tum sic adfari et curas his demere dictis]
‘quid tantum insano iuuat indulgere dolori,
o dulcis coniunx? non haec sine numine diuum
eueniunt; nec te comitem hinc portare Creusam
fas aut ille sinit superi regnator Olympi.
longa tibi exilia, et uastum maris aequor arandum;
et terram Hesperiam uenies, ubi Lydius arua
inter opima uirum leni fluit agmine Thybris.

MP 765–766 *habet et* $\mathbf{\Pi}_5$

757 tenebant] replebant **q** (*cf. u. 679*) : replerant *Tib. in lemm.* (*sed* tenebant *in interpr.*); *periit in* **P** **758** uento] tecti (*cf. u. 302*) **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}$) **762** durus **c**; *cf. u. 261* **770** iterumque iterumque **Pω**, *Seru.* : iterum iterumque **Macdehrvγ** : iterumque *semel* **z**, *Tib.*; *cf. Aen. 3, 436* **771** furenti $\mathbf{M\omega\gamma}^{1}$, *Tib.* (*cf. u. 776* insano … dolori) : ruenti **Pcdwγ** **775** *secl. Ribbeck* (= *Aen. 3, 153*; *8, 35*); «*hic uersus in plerisque dicitur non fuisse*» *DSeru.* **776** labori **bdjwxz**, *Arus. 478, 16* (*cf. Aen. 6, 135*) **778** portare $\mathbf{M}^{P}$ *ut uid.* (pr[.]tare **M**, *erasa una littera*) $\mathbf{\omega\gamma}^{1}$ (*simplex pro composito*) : asportare **Pabdjkrvγ**, *Seru.*, *Tib.*; «*caret scansione hic uersus, unde multi ei* hinc, *multi* as *syllabam detrahunt; si tamen uis fide seruata scandere, sit conuersio, ut* eueniunt nec te hinc comitem» *Seru.* (hinc comitem asportare *recc.*); *cf. Aen. 12, 709* **781** et] ad *recc.*

illic res laetae regnumque et regia coniunx
parta tibi. lacrimas dilectae pelle Creusae:
non ego Myrmidonum sedes Dolopumue superbas
aspiciam aut Grais seruitum matribus ibo,
Dardanis et diuae Veneris nurus;
sed me magna deum genetrix his detinet oris.
iamque uale et nati serua communis amorem.'
haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa uolentem
dicere deseruit tenuisque recessit in auras.
ter conatus ibi collo dare bracchia circum;
ter frustra comprensa manus effugit imago,
par leuibus uentis uolucrique simillima somno.
Sic demum socios consumpta nocte reuiso.
atque hic ingentem comitum adfluxisse nouorum
inuenio admirans numerum, matresque uirosque,
collectam exilio pubem, miserabile uulgus.
undique conuenere animis opibusque parati
in quascumque uelim pelago deducere terras.
iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae
ducebatque diem, Danaique obsessa tenebant
limina portarum, nec spes opis ulla dabatur.
cessi et sublato montis genitore petiui.

MP 788–789 *habet et* $\mathbf{\Pi_5}$

783 laetae **Pωγ**, *Tib.* : italae **MP²** (*cf. Aen. 8, 626*) **787** «*sane hunc uersum quidam ita suppleuit:* et tua coniunx» *DSeru.* **793** compressa **b?γ**, *Seru. ad Aen. 6, 370, Tib.* (*qui post* manus *dist.*); *cf. Aen. 6, 701* **794** par] pars **M** (*corr.* $\mathbf{M^x}$, *correctionem renouauit* $\mathbf{M^P}$) **P** (*corr.* $\mathbf{P^x}$); *cf. Aen. 6, 702* somno] fumo *Macrob. 5, 5, 14* **798** exilio] ex Ilio «*contra metrum*» *Donatus ap. Seru.* **804** montis **Madrw** (-tes **M²**), *Tib.* : montem **Pωγ**, *Seru.*

LIBER III

Postquam res Asiae Priamique euertere gentem
immeritam uisum superis, ceciditque superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
diuersa exilia et desertas quaerere terras
auguriis agimur diuum, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,
incerti quo fata ferant, ubi sistere detur,
contrahimusque uiros. uix prima inceperat aestas
et pater Anchises dare fatis uela iubebat,
litora cum patriae lacrimans portusque relinquo
et campos ubi Troia fuit. feror exul in altum
cum sociis natoque penatibus et magnis dis.
    Terra procul uastis colitur Mauortia campis
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo,
hospitium antiquum Troiae sociique penates,
dum fortuna fuit. feror huc et litore curuo
moenia prima loco fatis ingressus iniquis,
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
sacra Dionaeae matri diuisque ferebam
auspicibus coeptorum operum, superoque nitentem
caelicolum regi mactabam in litore taurum.
forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
uirgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
accessi uiridemque ab humo conuellere siluam
conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
horrendum et dictu uideo mirabile monstrum.
nam quae prima solo ruptis radicibus arbos

MP   1 *redit* **F**

3 fumat] «*ait Probus, ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intelligamus 'fumauit'*» *Seru.*; *cf. Char. 267, 13*   **7** ferunt **P** (*corr.* **P**²) **26** et *om. Non. 319, 7* (*cf. Aen. 4, 454 et 8, 565*)   dictum **F** (*corr.* **F**²) : dictu et uisu *Macrob. 3, 10, 6*   **27** nam qu(a)e **FMPω**, *Non. 335, 8, Tib.* : namque ubi **evxz** : nam **d**

uellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae
et terram tabo maculant: mihi frigidus horror
membra quatit gelidusque coit formidine sanguis.
rursus et alterius lentum conuellere uimen
insequor et causas penitus temptare latentis:
ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
multa mouens animo Nymphas uenerabar agrestis
Gradiuumque patrem, Geticis qui praesidet aruis,
rite secundarent uisus omenque leuarent.
tertia sed postquam maiore hastilia nisu
adgredior genibusque aduersae obluctor harenae,
(eloquar an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
auditur tumulo et uox reddita fertur ad auris:
'quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto,
parce pias scelerare manus. non me tibi Troia
externum tulit aut cruor hic de stipite manat.
heu fuge crudelis terras, fuge litus auarum:
nam Polydorus ego; hic confixum ferrea texit
telorum seges et iaculis increuit acutis.'
tum uero ancipiti mentem formidine pressus
obstipui steteruntque comae et uox faucibus haesit.
    Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi, cum iam diffideret armis
Dardaniae cingique urbem obsidione uideret.
ille, ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit,
res Agamemnonias uictriciaque arma secutus
fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat et auro
ui potitur. quid non mortalia pectora cogis,
auri sacra fames? postquam pauor ossa reliquit,
delectos populi ad proceres primumque parentem
monstra deum refero et quae sit sententia posco.

FMP 54 *desinit* **F**

28 linquuntur **F** (*corr.* **F²**), *Porph. ad Hor. epod. 5, 65* : linguntur **P** **33** ater] alter **Fγ** (*corr.* **γ¹**), *Tib.* **37** tertio *Char. 222, 2* **39** eloquor **P¹** (eloquaf **P**) **47** tunc **bcdjwxyz** **57** relinquit **by?**, *GLK V, 585, 19*, *Tib.*

omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
linqui pollutum hospitium et dare classibus Austros.
ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae
caeruleis maestae uittis atraque cupresso,
et circum Iliades crinem de more solutae;
inferimus tepido spumantia cymbia lacte
sanguinis et sacri pateras, animamque sepulcro
condimus et magna supremum uoce ciemus.
    Inde ubi prima fides pelago, placataque uenti
dant maria et lenis crepitans uocat Auster in altum,
deducunt socii nauis et litora complent;
prouehimur portu terraeque urbesque recedunt.
sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,
quam pius arquitenens oras et litora circum
errantem Mycono e celsa Gyaroque reuinxit
immotamque coli dedit et contemnere uentos.
huc feror, haec fessos tuto placidissima portu
accipit; egressi ueneramur Apollinis urbem.
rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
uittis et sacra redimitus tempora lauro
occurrit, ueterem Anchisen agnouit amicum.
iungimus hospitio dextras et tecta subimus.
    Templa dei saxo uenerabar structa uetusto:
'da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis
et genus et mansuram urbem; serua altera Troiae

MP   79 *redit* **F**

61 linquere *recc.*   austrum *recc.*   **71** et litora complent *deleri uult Novák* (*cf. u. 676*); *nisi* deducunt … complent *pro hyst. prot. accipiendum est*   **73** medio colitur **abdehjvwxyzγ**   **75** prius *Tib.*, *agnoscit DSeru.* (*qui tamen* pius *probat*)   **76** e *del. Ladewig,* celsa *ad* Gyaro *referens: nam hoc epitheton minime idoneum est insulae Mycono quae locis editis omnino caret* (*cf. Ou. met. 7, 463*). *Attamen mihi uidetur Ouidius hac uoluntate 'humilem Myconon' scripsisse ut Vergilianum lapsum aperte castigaret*; *id quod fidem facit ut* Mycono e celsa *sit uera lectio*   Gyaro celsa Myconoque *recc.*   **82** accurrit **M**[x]   a(d)gnouit **FPωγ**, *Don. ad Ter. Phorm. 67*, *Seru. hic et ad u. 183*, *Tib.* : agnoscit **Mact**   **84** ueneramur **cfgirv**

Pergama, reliquias Danaum atque immitis Achilli.
quem sequimur? quoue ire iubes? ubi ponere sedes?
da, pater, augurium atque animis inlabere nostris.'
uix ea fatus eram: tremere omnia uisa repente,
liminaque laurusque dei, totusque moueri
mons circum et mugire adytis cortina reclusis.
summissi petimus terram; uox fertur ad auris:
'Dardanidae duri, quae uos a stirpe parentum
prima tulit tellus, eadem uos ubere laeto
accipiet reduces. antiquam exquirite matrem.
hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris
et nati natorum et qui nascentur ab illis.'
haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu
laetitia, et cuncti quae sint ea moenia quaerunt,
quo Phoebus uocet errantis iubeatque reuerti.
tum genitor ueterum uoluens monumenta uirorum
'audite, o proceres,' ait 'et spes discite uestras.
Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae.
centum urbes habitant magnas, uberrima regna,
maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est aduectus in oras,
optauitque locum regno. nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant uallibus imis.
hinc mater cultrix Cybeli Corybantiaque aera
Idaeumque nemus, hinc fida silentia sacris,
et iuncti currum dominae subiere leones.

FMP

87 achilli **F**^{2}**Mωγ**, *DSeru.*, *Tib.* : achillei **F** : achillis **cn** (*periit in* **P**); *cf. Aen. 1, 30* **90** erat **Fb** (*corr.* **F**^{2}) **93** uox **FP**, *Tib.* : et uox **F**^{2}**MP**^{2}**ωγ**, *Non. 390, 2* aureas (*ex duplici lectione?*) **P** (aures *corr.* **P**^{x}) : auras **a**, *Tib.* **98** nascuntur **P** (*corr.* **P**^{2}) **105** ubi] ibi **b** gentis] genti **b** **106** urbis **P** (*corr.* **P**^{2}); «*contra in tertio Aeneidis* urbes *dixit per* e *litteram:* centum urbes» *Probus ap. Gell. 13, 21, 5* **108** Rhoetias «*alii*» *ap. DSeru.* primus est **M** : est *om. Char. 84, 25* in] ad **M** **111** hic *Non. 250, 11*, *Seru. ad Aen. 10, 220* cybeli **Fb?jrvy**, *Non.*, *Seru.* : cybele **F**^{2}**MPωγ** (cybile **fgi**), «*nonnulli*» *ap. Seru.* («*ut sit quasi 'Cybeleia'*»), *Seru. ad Aen. 10, 220*, *Tib.*; Cybelae *Heinsius*; *cf. Aen. 11, 768*

ergo agite et, diuum ducunt qua iussa, sequamur:
placemus uentos et Cnosia regna petamus.
nec longo distant cursu: modo Iuppiter adsit,
tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.'
sic fatus meritos aris mactauit honores,
taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama uolat pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae,
hoste uacare domum sedesque adstare relictas.
linquimus Ortygiae portus, pelagoque uolamus,
bacchatamque iugis Naxon uiridemque Donusam,
Olearon niueamque Paron sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
nauticus exoritur uario certamine clamor:
hortantur socii Cretam proauosque petamus.
prosequitur surgens a puppi uentus euntis,
et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
ergo auidus muros optatae molior urbis
Pergameamque uoco, et laetam cognomine gentem
hortor amare focos arcemque attollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes,
conubiis aruisque nouis operata iuuentus,
iura domosque dabam; subito cum tabida membris
corrupto caeli tractu miserandaque uenit

FMP

115 cnosia **a** (canosia **F**) : gnosia **F**^{2}**MPωγ**, *Seru.*, *Tib.* **118** mactabit **F** (*corr.* **F**^{2}) : mactabat *Non. 320, 24*, *Macrob. 3, 4, 6* **123** domum **FPtγ** : domos **Mωγ**^{1} (domus **b**), *Tib.* **124–127** *post 129 transp. Peerlkamp et Ribbeck, post 130 Wagner* **125** naxon **M**^{A} (naxo **M**) **ωγ**^{1}, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 3, 43, Probus 31, 10, Seru., Tib.* : naxum **FPγ** donusam **F**^{2}**i** : donysam **FMPjkntxy**, *Seru.*, *Tib.* : donisam **ωγ** **126** olearon **Mωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : olearum **F**^{2} (*ex* ollarum) **Parγ** paron **M**^{x} (*signum expunctionis postea erasum*) **ωγ**^{1}, *Seru.* : pharon **Mny**, *Tib.* : parum **FPγ** **127** consita *recc. pauci* (*Sporades insulae, quasi disseminatae, significantur? cf. schol. in Ael. Arist., Pan. 96, 12* Σποράδες διὰ τὸ ἐσπαρμένως κεῖσθαι) : concita *codd.*, *Non. 205, 24*, *Seru.*, *Tib.* **131** et] si **M** (*corr.* **M**^{A}) adlabimur **FM**^{1}**P**^{2} (adcabimur **P**) **ωγ**, *DSeru.*, *Tib.* : adlabitur **M** **137** dabam **F**^{2}**MP**^{2}**ωγ**, *Tib.* : dabant **F** (debant **P**)

arboribusque satisque lues et letifer annus.
linquebant dulcis animas aut aegra trahebant
corpora; tum sterilis exurere Sirius agros:
arebant herbae et uictum seges aegra negabat.
rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
hortatur pater ire mari ueniamque precari,
quam fessis finem rebus ferat, unde laborum
temptare auxilium iubeat, quo uertere cursus.
   Nox erat et terris animalia somnus habebat:
effigies sacrae diuum Phrygiique penates,
quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
extuleram, uisi ante oculos adstare iacentis
in somnis, multo manifesti lumine, qua se
plena per insertas fundebat luna fenestras;
tum sic adfari et curas his demere dictis:
'quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
hic canit et tua nos en ultro ad limina mittit.
nos te Dardania incensa tuaque arma secuti,
nos tumidum sub te permensi classibus aequor,
idem uenturos tollemus in astra nepotes
imperiumque urbi dabimus. tu moenia magnis
magna para longumque fugae ne linque laborem.
mutandae sedes. non haec tibi litora suasit
Delius aut Cretae iussit considere Apollo.
est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae;
Oenotri coluere uiri; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
hae nobis propriae sedes, hinc Dardanus ortus
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.

FMP

142 negabat **F**^{2}**MPωγ**^{1}, *Non. 395, 17* : negare **F** : negabant **aγ**, *Probus 225, 27* **145** quem **ceht** **146** temptari **M**^{x}**n**, *Seru. codd. aliquot* : temptaret **F** (*corr.* **F**^{2}) **149** a **MP**^{x}**ωγ**, *Tib.* : ab **FP** **151** insomnis *multos legisse testatur Seru.* («*id est 'uigilantis'*»)*, ita Tib.* manifesto **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **153** (= *Aen. 2, 775*; *8, 35*) «*in multis non inuenitur*» *Seru.* **157** permesi **M** (*corr.* **M**^{2}), «*multi*» *ap. DSeru.* **166** duxisse **F**

surge age et haec laetus longaeuo dicta parenti
haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias; Dictaea negat tibi Iuppiter arua.'
talibus attonitus uisis et uoce deorum
(nec sopor illud erat, sed coram agnoscere uultus
uelatasque comas praesentiaque ora uidebar;
tum gelidus toto manabat corpore sudor)
corripio e stratis corpus tendoque supinas
ad caelum cum uoce manus et munera libo
intemerata focis. perfecto laetus honore
Anchisen facio certum remque ordine pando.
agnouit prolem ambiguam geminosque parentes,
seque nouo ueterum deceptum errore locorum.
tum memorat: 'nate, Iliacis exercite fatis,
sola mihi talis casus Cassandra canebat.
nunc repeto haec generi portendere debita nostro
et saepe Hesperiam, saepe Itala regna uocare.
sed quis ad Hesperiae uenturos litora Teucros
crederet? aut quem tum uates Cassandra moueret?
cedamus Phoebo et moniti meliora sequamur.'
sic ait, et cuncti dicto paremus ouantes.
hanc quoque deserimus sedem paucisque relictis
uela damus uastumque caua trabe currimus aequor.
Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae
apparent terrae, caelum undique et undique pontus,
tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber
noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
continuo uenti uoluunt mare magnaque surgunt
aequora, dispersi iactamur gurgite uasto;
inuoluere diem nimbi et nox umida caelum
abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
excutimur cursu et caecis erramus in undis.

FMP 191 *redit* **G**

170 requiras **afgvγ** (*corr.* **γ**^{1}, *periit in* **P**) : require **t** **172** et] ac **bcdijktwxyz** **174** uidebam **M** (*corr.* **M**^{A}) **187** moneret **cdefgjnvwxz** **189** dictis **bcdhjktwxyz** **199** abruptis **FMPωγ**, *Macrob. 6, 1, 27, Tib.* : abrupti (*ut Lucr. 2, 214*) **Gn** : a ruptis *Hos. Get. 319*

ipse diem noctemque negat discernere caelo
nec meminisse uiae media Palinurus in unda.
tris adeo incertos caeca caligine soles
erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
quarto terra die primum se attollere tandem
uisa, aperire procul montis ac uoluere fumum.
uela cadunt, remis insurgimus; haud mora, nautae
adnixi torquent spumas et caerula uerrunt.
    Seruatum ex undis Strophadum me litora primum
excipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae
insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
clausa domus mensasque metu liquere priores.
tristius haud illis monstrum, nec saeuior ulla
pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
uirginei uolucrum uultus, foedissima uentris
proluuies uncaeque manus et pallida semper
ora fame.
huc ubi delati portus intrauimus, ecce
laeta boum passim campis armenta uidemus
caprigenumque pecus nullo custode per herbas.
inruimus ferro et diuos ipsumque uocamus
in partem praedamque Iouem; tum litore curuo
exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.
at subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas,

FGMP 209 *periit in* **G** 216 *desinit* **F**

204 *post hunc uersum teste DSeru. hi uersus circumducti* (*tamquam non recipiendi?*) *inuenti dicuntur et extra paginam in mundo* (*id est in margine*)*:* hinc Pelopis gentes Maleaeque sonantia saxa / circumstant pariterque undae terraeque minantur; / pulsamur saeuis et circumsistimur undis; *cf. M. L. Delvigo, «RFIC» 117, 1989, 297–315* **209** prima **M**$^{\mathbf{A}}$ (a *suprascripta*; a *et* -um *erasis*, prima *in textu man. al.*) **γ**, *Tib.* (*periit in* **P**) **210** *u. om.* **F** (*add.* **F**^{2}) accipiunt **Ma?bdhjknwxy**, *Non. 387, 28, Seru. ad u. 569, Tib.* **221** herbam **Mn** (*corr.* **M**$^{\mathbf{A}}$, s *suprascripta*; s *et* -m *erasis*, herbas *in textu man. al.*), *Seru.*, *Prisc. 6, 3 et 7, 9* (*cf. u. 236*) **226** magnis – alas] «*hic uersus... talis auditur:* resonant magnis stridoribus alae» *DSeru.* (*non uaria lectio, ut uidetur, sed interpretatio*) alas] auras **abevγ**

diripiuntque dapes contactuque omnia foedant
immundo; tum uox taetrum dira inter odorem.
rursum in secessu longo sub rupe cauata
[arboribus clausam circum atque horrentibus umbris]
instruimus mensas arisque reponimus ignem;
rursum ex diuerso caeli caecisque latebris
turba sonans praedam pedibus circumuolat uncis,
polluit ore dapes. sociis tunc arma capessant
edico, et dira bellum cum gente gerendum.
haud secus ac iussi faciunt tectosque per herbam
disponunt enses et scuta latentia condunt.
ergo ubi delapsae sonitum per curua dedere
litora, dat signum specula Misenus ab alta
aere cauo. inuadunt socii et noua proelia temptant,
obscenas pelagi ferro foedare uolucres.
sed neque uim plumis ullam nec uulnera tergo
accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsae
semesam praedam et uestigia foeda relinquunt.
una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
infelix uates, rumpitque hanc pectore uocem:
‘bellum etiam pro caede boum stratisque iuuencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis
et patrio Harpyias insontis pellere regno?
accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,
quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
praedixit, uobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis uentisque uocatis:
ibitis Italiam portusque intrare licebit.
sed non ante datam cingetis moenibus urbem

GMP 227 *desinit* **G**

230 (= *Aen. 1, 311*) *non interpr. Seru., secl. Ribbeck* clausam **M** (-sa **M**^{A}, m *expuncta eodem subrubro post rasuram atramento quod in uu. 209 et 221 apparet*; -si *man. al.*, i *suprascripta*; *correctiones ambae postea erasae*) **Pωγ** : clausa **b?hγ**^{1} : clausi **dert**, *Tib.* **236** haud] aut **Ma** (*corr.* **M**$^{1?}$, *periit in* **P**) : non *Prisc. 18, 257* (*sed* haut *alibi*) **238** dilapsae **Pdgjkwyzγ** **252** pendo **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) : mando **P**^{2} **253** *post* uocatis *dist. Kvičala, ita ut fiat* cursu … uentisque uocatis : uentisque uocatis ibitis Italiam *coniungunt alii*

quam uos dira fames nostraeque iniuria caedis
ambesas subigat malis absumere mensas.'
dixit et in siluam pinnis ablata refugit.
at sociis subita gelidus formidine sanguis
deriguit: cecidere animi, nec iam amplius armis,
sed uotis precibusque iubent exposcere pacem,
siue deae seu sint dirae obscenaeque uolucres.
et pater Anchises passis de litore palmis
numina magna uocat meritosque indicit honores:
'di, prohibete minas; di, talem auertite casum
et placidi seruate pios!' tum litore funem
deripere excussosque iubet laxare rudentis.
tendunt uela Noti: fugimus spumantibus undis,
qua cursum uentusque gubernatorque uocabat.
iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos
Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.
effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
et terram altricem saeui exsecramur Vlixi.
mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
et formidatus nautis aperitur Apollo.
hunc petimus fessi et paruae succedimus urbi;
ancora de prora iacitur, stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti
lustramurque Ioui uotisque incendimus aras
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
exercent patrias oleo labente palaestras
nudati socii; iuuat euasisse tot urbes
Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis.
interea magnum sol circumuoluitur annum
et glacialis hiems Aquilonibus asperat undas.
aere cauo clipeum, magni gestamen Abantis,
postibus aduersis figo et rem carmine signo:

MP

260 diriguit **aefginrvwx** **262** *hunc u. in suspicionem uocat Ribbeck* **263** et] at $\mathbf{M^{A?}}$**bdefgijvw**, *Tib.*, *Prisc. 10, 27* (*sed* et *alibi*) **266** placide **Pγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma^1}$) **267** deripere **Paefghirv**, *Tib.* : diripere **Mω** **268** fugimus] ferimur $\mathbf{P^2}$**hγ** **269** uocabant **jnz** **273** ulixis **bcijknx**, *Tib.*

AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.
linquere tum portus iubeo et considere transtris;
certatim socii feriunt mare et aequora uerrunt.
protinus aërias Phaeacum abscondimus arces,
litoraque Epiri legimus portuque subimus
Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem.
    Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
obstipui, miroque incensum pectus amore
compellare uirum et casus cognoscere tantos.
progredior portu classes et litora linquens,
sollemnis cum forte dapes et tristia dona
ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
libabat cineri Andromache manisque uocabat
Hectoreum ad tumulum, uiridi quem caespite inanem
et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras.
ut me conspexit uenientem et Troia circum
arma amens uidit, magnis exterrita monstris
deriguit uisu in medio, calor ossa reliquit,
labitur et longo uix tandem tempore fatur:
‘uerane te facies, uerus mihi nuntius adfers,
nate dea? uiuisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est?’ dixit lacrimasque effudit et omnem
impleuit clamore locum. uix pauca furenti
subicio et raris turbatus uocibus hisco:
‘uiuo equidem uitamque extrema per omnia duco;
ne dubita, nam uera uides.
heu! quis te casus deiectam coniuge tanto

MP 300 *redit* **F**

290 uertunt **c** **292** portuque **Pωγ**, *ps. Acro ad Hor. epist. 1, 7, 33, Asper p. 535, 19, Seru.* : portusque **Mdhtwγ**^{1}, *Probus 227, 35, Tib.* **293** chaonio **Mωγ** (*periit in* **P**), *Probus, Asper, Seru.* : chaonios **M**^{A}**dγ**^{1}, *Tib., agnoscunt Probus et Seru.* (*qui metri causa reicit*); *cf. Aen. 7, 161* urbem] arcem *Seru. ad Aen. 1, 244 et 3, 441* (*sed* urbem *hic et alibi*) **310** uerum **M** (*corr.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) **312** effundit **Pg** **315** omina **F** **317** heu *dist. DSeru., Tib.*

excipit? aut quae digna satis fortuna reuisit,
Hectoris Andromache? Pyrrhin conubia seruas?’
deiecit uultum et demissa uoce locuta est:
‘o felix una ante alias Priameia uirgo,
hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos
nec uictoris eri tetigit captiua cubile!
nos patria incensa diuersa per aequora uectae
stirpis Achilleae fastus iuuenemque superbum
seruitio enixae tulimus; qui deinde secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos
me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
ast illum ereptae magno flammatus amore
coniugis et scelerum furiis agitatus Orestes
excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.
morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
sed tibi qui cursum uenti, quae fata dedere?
aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?
quid puer Ascanius? superatne et uescitur aura,
quem tibi iam Troia…?
ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
ecquid in antiquam uirtutem animosque uirilis
et pater Aeneas et auunculus excitat Hector?’

FMP 341 *desinit* **F**

319 andromache **FMPωγ**, *Seru. ad Aen. 1, 41 et 73, Tib., Prisc. 16, 12 et 18, 68* : andromachen **F**^{2}**acr**; *utrumque agnoscit Seru. hic* («*si* Andromache*, sequentibus iunge, si* Andromachen*, superioribus*»); *post* Andromache *dist.* **M**^{A}**P**^{2} pyrrhin **M**$^{2?}$**P**^{2}**ωγ**, *Seru. ad Aen. 1, 73 et 3, 294, Tib., Prisc. 16, 12 et 18, 68* : pyrrin **F**^{2}**Minz**, *GLK VI, 615, 2, Prisc. part. 125* : pyrr(h)i **FPc** : phyr(r)in **gq** : pirrhine **j** **327** enixe **acw**, *Don. ad Ter. Andr. 674, Char. 71, 18, Tib.* **330** flammatus **FPahγ** : inflammatus **Mωγ**^{1}, *Tib.*; *cf. Aen. 4, 54* **336** pergamaque **FPωγ**^{1}, *Tib.*, *probat Seru.* : pergameamque **P**^{2} (pergameam **q**), «*plerique contra metrum*» *ap. Seru.* : pergamiamque **M** (-que *exp.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) **γ** **340** «*hemistichium nec in sensu plenum*» *Seru.* **341** ecqua tamen] quae tamen et **dwz**

talia fundebat lacrimans longosque ciebat
incassum fletus, cum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
agnoscitque suos laetusque ad limina ducit,
et multum lacrimas uerba inter singula fundit.
procedo et paruam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine riuum
agnosco, Scaeaeque amplector limina portae;
nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
illos porticibus rex accipiebat in amplis:
aulai medio libabant pocula Bacchi,
impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
    Iamque dies alterque dies processit, et aurae
uela uocant tumidoque inflatur carbasus Austro;
his uatem adgredior dictis ac talia quaeso:
‘Troiugena interpres diuum, qui numina Phoebi,
qui tripodas laurusque Clari, qui sidera sentis
et uolucrum linguas et praepetis omina pinnae,
fare age (namque omnis cursum mihi prospera dixit
religio, et cuncti suaserunt numine diui
Italiam petere et terras temptare repostas;
sola nouum dictuque nefas Harpyia Celaeno

MP

346 helenus multis **P** **348** *secl. Ribbeck, cl.* laetus *u. 347*; *sed de lacrimis gaudio et perturbatione animi excussis agitur* lacrimans **M**$^{A?}$ (*correctio postea erasa*) **Pqγ** (*corr.* **γ**^{1}), *respuit Seru.* **354** in medio **abdqtwz**, *Velius 57, 26*, *Sac. 449, 2* **360** tripodas laurusque Clari *S. Ottaviano* («*MD*» *62, 2009, 231–237*) *collato Stat. Theb. 7, 707 ‘qui tripodas laurusque sequi, qui doctus …’* ; *Statius ab Heleno uate proprietates uatis Amphiarai tam obsequenter sumit, ut ex hac studiosissima imitatione uera Vergiliani hemistichi facies restitui possit* : tr. clari lurus **M** (laurus *corr.* **M**^{2}, clarii lauros *corr. man. al.*), tr. clari laurus **Phrγ**, *DSeru. ad u. 260*, *Tib.*, *Gramm.* : tr. clarii laurus (-os) **ωγ**^{1}, *Seru. hic* («*sane quaeritur utrum* Clarii *geminandum sit* i *et sciendum aliter non procedere, nam* cla *breuis inuenitur*»), *ad Aen. 1, 120 et 10, 175* : tr. clarii et laurus *recc.* : tripoda ac Clarii laurus *Mackail* (*cl. Lucr. 1, 739*) **362** omnis **Pnγ**, *Tib.* : omnem **Mωγ**^{1}, *Seru.* («*hypallage est, nam non ‘omnem cursum prospera dixit religio’, sed ‘omnis religio dixit prosperum cursum’*»); omnis … religio et cuncti … diui *dicolon abundans est, schema Vergilio gratissimum*

prodigium canit et tristis denuntiat iras
obscenamque famem): quae prima pericula uito?
quidue sequens tantos possim superare labores?’
hic Helenus caesis primum de more iuuencis
exorat pacem diuum uittasque resoluit
sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
ipse manu multo suspensum numine ducit,
atque haec deinde canit diuino ex ore sacerdos:
‘Nate dea (nam te maioribus ire per altum
auspiciis manifesta fides: sic fata deum rex
sortitur uoluitque uices, is uertitur ordo),
pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
aequora et Ausonio possis considere portu,
expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
scire Helenum farique uetat Saturnia Iuno.
principio Italiam, quam tu iam rere propinquam
uicinosque, ignare, paras inuadere portus,
longa procul longis uia diuidit inuia terris.
ante et Trinacria lentandus remus in unda
et salis Ausonii lustrandum nauibus aequor
infernique lacus Aeaeaeque insula Circae,
quam tuta possis urbem componere terra.
signa tibi dicam, tu condita mente teneto:
cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
triginta capitum fetus enixa iacebit,
alba solo recubans, albi circum ubera nati,
is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
nec tu mensarum morsus horresce futuros:
fata uiam inuenient aderitque uocatus Apollo.
has autem terras Italique hanc litoris oram,
proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,

MP

372 «*si* suspensus, *ipse numinis plenus*; *si* suspensum, *me sollicitum et attentum*» *Seru.* **380** Helenum *dist.* **P**[2], *quidam ap. Seru.* (*qui hanc distinctionem non probat*) : scire *dist.* **M**[x] (*ut uid.*), *Seru.*

effuge: cuncta malis habitantur moenia Grais.
hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
parua Philoctetae subnixa Petelia muro.
quin ubi transmissae steterint trans aequora classes
et positis aris iam uota in litore solues,
purpureo uelare comas adopertus amictu,
ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
hostilis facies occurrat et omina turbet.
hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
hac casti maneant in religione nepotes.
ast ubi digressum Siculae te admouerit orae
uentus et angusti rarescent claustra Pelori,
laeua tibi tellus et longo laeua petantur
aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
haec loca ui quondam et uasta conuulsa ruina
(tantum aeui longinqua ualet mutare uetustas)
dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
una foret: uenit medio ui pontus et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque et urbes
litore diductas angusto interluit aestu.
dextrum Scylla latus, laeuum implacata Charybdis
obsidet atque imo barathri ter gurgite uastos
sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
erigit alternos et sidera uerberat unda.
at Scyllam caecis cohibet spelunca latebris
ora exsertantem et nauis in saxa trahentem.
prima hominis facies et pulchro pectore uirgo
pube tenus, postrema immani corpore pistrix
delphinum caudas utero commissa luporum.
praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni

MP

402 petelia **M** : petilia **Pωγ**, *Seru.*, *Tib.* **407** omnia **Macy** (*corr.* **M**[1]) **419** diductas **Phrtγ** : deductas **Mω**, *Tib.* **421** uasto **P** (*corr.* **P**[2]), *DSeru.* (*cf. Aen. 1, 118 al.*)

cessantem, longos et circumflectere cursus,
quam semel informem uasto uidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.
praeterea, si qua est Heleno prudentia uati,
si qua fides, animum si ueris implet Apollo,
unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
praedicam et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora,
Iunoni cane uota libens dominamque potentem
supplicibus supera donis; sic denique uictor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem
diuinosque lacus et Auerna sonantia siluis,
insanam uatem aspicies, quae rupe sub ima
fata canit foliisque notas et nomina mandat.
quaecumque in foliis descripsit carmina uirgo
digerit in numerum atque antro seclusa relinquit.
illa manent immota locis neque ab ordine cedunt;
uerum eadem, uerso tenuis cum cardine uentus
impulit et teneras turbauit ianua frondes,
numquam deinde cauo uolitantia prendere saxo
nec reuocare situs aut iungere carmina curat;
inconsulti abeunt sedemque odere Sibyllae.
hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
quamuis increpitent socii et ui cursus in altum
uela uocet possisque sinus implere secundos,
quin adeas uatem precibusque oracula poscas
ipsa canat uocemque uolens atque ora resoluat.
illa tibi Italiae populos uenturaque bella

MP 457 *redit* **G**

433 *post* prudentia *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru.* (*ut uid.*), *Tib.*, uati fides *iungentes* **435** proque **MPdhj?knrtwy**, *Seru. ad u. 546*, *Tib.* : praeque **ωγ**^{1} (pro quo **γ**) **436** praedico *Seru. ad u. 546* iterumque iterumque **MPhjknrt** : iterum iterumque **ωγ**, *GLK VII, 253, 31* (*cf. Aen. 2, 770*) **440** mittere **Mωγ**^{1}, *Tib.* : misere **P** : miscere **P**^{2}**γ** **444** facta **agx** **449** teneras] terris **P** (*corr.* **P**^{2}) **455** uocet **MPdkntw** : uocent **M**^{A}**P**^{2}**ωγ**, *Tib.* **457** canet **b?** resoluet **γb?** (*periit in* **P**)

et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem
expediet, cursusque dabit uenerata secundos.
haec sunt quae nostra liceat te uoce moneri.
uade age et ingentem factis fer ad aethera Troiam.'
Quae postquam uates sic ore effatus amico est,
dona dehinc auro grauia ac secto elephanto
imperat ad nauis ferri, stipatque carinis
ingens argentum Dodonaeosque lebetas,
loricam consertam hamis auroque trilicem
et conum insignis galeae cristasque comantis,
arma Neoptolemi. sunt et sua dona parenti.
addit equos additque duces,
remigium supplet, socios simul instruit armis.
Interea classem uelis aptare iubebat
Anchises, fieret uento mora ne qua ferenti.
quem Phoebi interpres multo compellat honore:
'coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe uelis.
et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est:
Ausoniae pars illa procul quam pandit Apollo.
uade,' ait 'o felix nati pietate. quid ultra
prouehor et fando surgentis demoror Austros?'
nec minus Andromache digressu maesta supremo
fert picturatas auri subtemine uestes

GMP 475 *periit in* **G**

460 secundos] sacerdos *recc., Bentley* (*cf. supra 455*) **464** grauia ac secto *Schaper, cl. Hom. Od. 18, 196 et 19, 564* : grauia sectoque *codd., Seru.* («grauia: a *finalitatis ratione producitur, sed satis aspere*»), *Tib., Gramm.*; *adfabre imitatus est Vergilius Homericam clausulam hiatu insignem* (secto elephanto = πριστοῦ ἐλέφαντος), *at ineptus scriba, hiatum fastidiens, copulam transposuit et* sectoque *scripsit* **469** parentis **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **473** furenti **P** (*corr.* **P**$^{2?}$) **bdegn** **475** anchisa **M**^{x}**ωγ**^{1}, *Gell. 15, 13, 10, Non. 281, 3, Seru. hic et ad Aen. 1, 335, DSeru. ad Aen. 11, 169, Tib.* : anchisae **MP**^{1}**fhtγ**, *Cons. 401, 5* : anchise **Pab?**, *Arus. 463, 27, Prisc. 7, 6* (*quid habeat Quint. 8, 6, 42 dubium est*) **476** erepta **P** **477** ausonia et **G** (*corr.* **G**^{2}) **478** praeterlabere **M** (*corr.* **M**^{A}) **ain** : praeterlabre **P** (*corr.* **P**^{2}) : propterlabare **c** : propter labore **b** **480** ait] age **M** (*corr.* **M**^{1} *alio atramento?*); *cf. u. 462* **483** subtemine **M**^{x}**Pωγ**^{1}, *Seru.* : subtegmine **GMg?nγ**; *utrumque Tib.*

et Phrygiam Ascanio chlamydem (nec cedit honore)
textilibusque onerat donis ac talia fatur:
'accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
coniugis Hectoreae. cape dona extrema tuorum,
o mihi sola mei super Astyanactis imago:
sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
et nunc aequali tecum pubesceret aeuo.'
hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
'uiuite felices, quibus est fortuna peracta
iam sua: nos alia ex aliis in fata uocamur.
uobis parta quies: nullum maris aequor arandum,
arua neque Ausoniae semper cedentia retro
quaerenda. effigiem Xanthi Troiamque uidetis
quam uestrae fecere manus, melioribus, opto,
auspiciis, et quae fuerit minus obuia Grais.
si quando Thybrim uicinaque Thybridis arua
intraro gentique meae data moenia cernam,
cognatas urbes olim populosque propinquos,
Epiro Hesperiam (quibus idem Dardanus auctor
atque idem casus), unam faciemus utramque
Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes.'
Prouehimur pelago uicina Ceraunia iuxta,
unde iter Italiam cursusque breuissimus undis.
sol ruit interea et montes umbrantur opaci.
sternimur optatae gremio telluris ad undam
sortiti remos passimque in litore sicco
corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.
necdum orbem medium Nox Horis acta subibat:

GMP 494 *periit in* **G**

484 honore **Phγ** (honorem **z**), *Scaurus ap. Seru.* («*'honore non cedit Heleno'*») : honori **GMω**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Sil. 12, 412* **492** adfabor **P** (*corr.* **P**^{2}) **cdj**$\boldsymbol{\gamma}^1$ **496** neque] nec **G**$\boldsymbol{\gamma}^1$ **499** fuerit **G**^{2} (-ris **G**) **ω**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Seru.*, *Tib.* : fuerint **MPbcgzγ**, «*alii*» *ap. Seru.* **503** hesperiam **GMPabcehnrγ**, *Tib.* : hesperia **ω**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Seru. hic et ad Aen. 4, 36*; «*distinguendum autem* populosque propinquos Epiro...; Hesperia *hoc est* Ἑσπερόθεν» *Seru., qui hos uersus non recte intellegit* **504** faciamus **Gb?** (*corr.* **G**^{2})

haud segnis strato surgit Palinurus et omnis
explorat uentos atque auribus aëra captat;
sidera cuncta notat tacito labentia caelo,
Arcturum pluuiasque Hyadas geminosque Triones
armatumque auro circumspicit Oriona.
postquam cuncta uidet caelo constare sereno,
dat clarum e puppi signum; nos castra mouemus
temptamusque uiam et uelorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
cum procul obscuros collis humilemque uidemus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam laeto socii clamore salutant.
tum pater Anchises magnum cratera corona
induit impleuitque mero diuosque uocauit
stans prima in puppi:
'di maris et terrae tempestatumque potentes,
ferte uiam uento facilem et spirate secundi.'
crebrescunt optatae aurae portusque patescit
iam propior, templumque apparet in arce Mineruae;
uela legunt socii et proras ad litora torquent.
portus ab euroo fluctu curuatus in arcum,
obiectae salsa spumant aspargine cautes,
ipse latet: gemino demittunt bracchia muro
turriti scopuli refugitque ab litore templum.
quattuor hic, primum omen, equos in gramine uidi
tondentis campum late, candore niuali.
et pater Anchises 'bellum, o terra hospita, portas:
bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.
sed tamen idem olim curru succedere sueti
quadrupedes et frena iugo concordia ferre:

GMP 513 *periit in* **G** 531 *desinit* **G**

516 (= *Aen. 1, 744*) pluuiasque] pliadasque **dnwγ¹**, *Macrob. 5, 11, 10* **517** Orionem *Macrob.* **527** stant **Mg** (*periit in* **GP**) (pr)ima **Pγ¹** (*cf. Il. Lat. 800, Sil. 15, 158*) : celsa **MP²ω** (celsam **γ**, *pro* celsa in), *Tib.*, *Prisc. 7, 59* (*uide Aen. 8, 680 adn.*); *periit in* **G** **531** propior **cfghiknwxy**, *DSeru. ad u. 275*, *Tib.* : proprior **MPωγ** (*periit in* **G**) **535** demittunt **Mωγ¹**, *Tib.* : dimittunt **Pdfghjwxyzγ**

spes et pacis' ait. tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ouantis,
et capita ante aras Phrygio uelamur amictu,
praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite
Iunoni Argiuae iussos adolemus honores.
    Haud mora, continuo perfectis ordine uotis
cornua uelatarum obuertimus antemnarum,
Graiugenumque domos suspectaque linquimus arua.
hinc sinus Herculei (si uera est fama) Tarenti
cernitur, attollit se diua Lacinia contra
Caulonisque arces et nauifragum Scylaceum.
tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
audimus longe fractasque ad litora uoces,
exsultantque uada atque aestu miscentur harenae.
et pater Anchises: 'nimirum haec illa Charybdis:
hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
eripite, o socii, pariterque insurgite remis.'
haud minus ac iussi faciunt, primusque rudentem
contorsit laeuas proram Palinurus ad undas:
laeuam cuncta cohors remis uentisque petiuit.
tollimur in caelum curuato gurgite, et idem
subducta ad Manis imos desedimus unda.
ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere,
ter spumam elisam et rorantia uidimus astra.
interea fessos uentus cum sole reliquit,
ignarique uiae Cyclopum adlabimur oris.
    Portus ab accessu uentorum immotus et ingens

MP   559–563 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 561 *redit* **V**

543 et **MPrtvxyγ**, *DSeru. ad u. 537, Tib.* : est **ω**, *Seru. ad Aen. 1, 443* (*uariant codd. Seru. hic*) : ea **c**   **545** capita **M**^{2} (capit **M**) **P**^{2}**ωγ**, *Tib.* : capite **Pa?**, *Rufin. 57, 20*   aras **Mωγ**^{1}, *Tib. in interpr.* : aram **Pnrγ**, *Rufin.*, *Tib. in lemm.*   **556** ab litore **M**^{A}**cγ**^{1} (ab litora **γ**), *Diom. 420, 23*   **558** haec **ωγ**^{1} : hic **MPdnrtwγ**, *Tib.*; *cf. Aen. 7, 128 'haec erat illa fames'*; *7, 255*   **561** rudentem] tridentem *Heinsius, Bentley, cl. Aen. 5, 143*; «rudentem proram, *id est 'stridentem et sonantem' ut in tempestate*» *DSeru.*   **563** uentis remisque **M** (*ord. rest.* **M**^{A})   **564** turbato **y**

ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
interdumque atram prorumpit ad aethera nubem
turbine fumantem piceo et candente fauilla,
attollitque globos flammarum et sidera lambit:
interdum scopulos auulsaque uiscera montis
erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.
fama est Enceladi semustum fulmine corpus
urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
impositam ruptis flammam exspirare caminis,
et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem
murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.
noctem illam tecti siluis immania monstra
perferimus, nec quae sonitum det causa uidemus.
nam neque erant astrorum ignes nec lucidus aethra
siderea polus, obscuro sed nubila caelo,
et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera iamque dies primo surgebat Eoo
umentemque Aurora polo dimouerat umbram,
cum subito e siluis macie confecta suprema
ignoti noua forma uiri miserandaque cultu
procedit supplexque manus ad litora tendit.
respicimus: dira inluuies immissaque barba,
consertum tegumen spinis, at cetera Graius,
et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
isque ubi Dardanios habitus et Troia uidit
arma procul, paulum aspectu conterritus haesit
continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
cum fletu precibusque tulit: ‘per sidera testor,
per superos atque hoc caeli spirabile lumen,

MPV 586 *desinit* **V** 591–595 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

571 sonat **ω** (*praeter* **adhnrtwz**) **576** sub] per **V** **581** mutet **MPVabfgnz**, *Tib.* : mutat **M**^{A}**P**^{2}**irγ**, *agnoscit Seru.* (*cf. Stat. Theb. 3, 595*) : motet **cdev** : motat **hjktxyγ**^{1}, *Seru.* : nitet **w** **593** promissaque **γ**^{1} (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **595** *u. om. recc., secl. Ribbeck auctore Heyne* **600** sperabile **M** (*corr.* **M**^{A}) lumen **M**^{A}**P**^{1}**ωγ**, *DSeru. ad u. 607, Tib.* (*cf. Aen. 6, 363*; *Ou. met. 14, 172 et 175*) : numen **MP** (*ex* nomen), *Char. 233, 21*

tollite me, Teucri; quascumque abducite terras:
hoc sat erit. scio me Danais e classibus unum
et bello Iliacos fateor petiisse penates.
pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
spargite me in fluctus uastoque immergite ponto:
si pereo, hominum manibus periisse iuuabit.'
dixerat et genua amplexus genibusque uolutans
haerebat. qui sit fari, quo sanguine cretus,
hortamur, quae deinde agitet fortuna fateri.
ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
dat iuueni atque animum praesenti pignore firmat.
ille haec deposita tandem formidine fatur:
'sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlixi,
nomine Achaemenides, Troiam genitore Adamasto
paupere (mansissetque utinam fortuna!) profectus.
hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
immemores socii uasto Cyclopis in antro
deseruere. domus sanie dapibusque cruentis,
intus opaca, ingens. ipse arduus, altaque pulsat
sidera (di talem terris auertite pestem!)
nec uisu facilis nec dictu adfabilis ulli;
uisceribus miserorum et sanguine uescitur atro.
uidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
prensa manu magna medio resupinus in antro
frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent
limina; uidi atro cum membra fluentia tabo
manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.

MP

601 adducite **Mn** (*corr.* **M**^{A}) **603** petisse **MPaγ** **606** perisse **M** (*corr.* **M**^{A}) **Paxyzγ** **608** qui] quae **γ** (*corr.* **γ**^{1}) : quis **i**, *recc.* **613** ulixei *ex* ulixi (*minuta* e *interposita*) **P**^{1} (*dein, minuta* e *non deleta, manus librario simillima alteram* i *in* e *mutauit et* i *add., ut sit* ulix(e)ei) **614** nomine **Mγ** (*periit in* **P**) **bc** : nomen **ω**, *Tib.* **618** cruenta *Heyne* **621** affabilis **M**^{A} (afeab- **M**) **djrw**, *Macrob. 6, 1, 55, Tib.* : effabilis **Pωγ**, *GLK V, 649, 16, Seru., DSeru. ad u. 644, Prisc. 18, 156* **622** pascitur **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **625** respersa **b?r**, *DSeru., Tib. in lemm.* (aspersa *in interpr.*) : ex(s)persa **ijty**, «*uera lectio*» *iudice Seru.* **627** tepidi **M**^{x}**Pωγ**^{1} : trepidi **MP**^{2}**abfrvxγ**, *Tib.*; *utrumque agnoscit Seru., qui* tepidi *praefert*

haud impune quidem, nec talia passus Vlixes
oblitusue sui est Ithacus discrimine tanto.
nam simul expletus dapibus uinoque sepultus
ceruicem inflexam posuit, iacuitque per antrum
immensus saniem eructans et frusta cruento
per somnum commixta mero, nos magna precati
numina sortitique uices una undique circum
fundimur et telo lumen terebramus acuto
ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
sed fugite, o miseri, fugite atque ab litore funem
rumpite.
nam qualis quantusque cauo Polyphemus in antro
lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
centum alii curua haec habitant ad litora uulgo
infandi Cyclopes et altis montibus errant.
tertia iam lunae se cornua lumine complent,
cum uitam in siluis inter deserta ferarum
lustra domosque traho uastosque ab rupe Cyclopas
prospicio sonitumque pedum uocemque tremesco.
uictum infelicem, bacas lapidosaque corna,
dant rami, et uulsis pascunt radicibus herbae.
omnia conlustrans hanc primum ad litora classem
conspexi uenientem. huic me, quaecumque fuisset,
addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
uos animam hanc potius quocumque absumite leto.’
   Vix ea fatus erat, summo cum monte uidemus
ipsum inter pecudes uasta se mole mouentem

MP 630–633 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

629 oblitusque **Pahγ** (*corr.* $\mathbf{P^1}$, *fide Sabb. et Geym.*, $\boldsymbol{\gamma^1}$) sui est] suis **P** (*corr.* $\mathbf{P^1}$) : sui (*om.* est) **abefgrv** **632** immensus $\mathbf{M\omega\gamma^1}$ (*cf. Quint. 8, 3, 84*) : immensum $\mathbf{P^{(1)}}$ (*in ras.*, *ex* immensam) **ajrγ**, *Seru.*, *Tib.* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) frustra **MPaγ** (*corr.* $\mathbf{M^x\gamma^1}$) **634** nomina **M** (*corr.* $\mathbf{M^A}$) **635** tenebramus *agnoscunt Seru.*, *Tib.* **644** et **MPω** : atque $\mathbf{M^AP^2n\gamma}$: atque et *Tib.* **652** prospexi $\mathbf{M\gamma^1}$ (*ex u. 648*) **655** cum] cum in $\mathbf{P^2aehnrv\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma^1}$) **656** uasta] magna *Seru. ad Aen. 5, 118* (*cf. Aen. 8, 199*)

pastorem Polyphemum et litora nota petentem,
monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
trunca manum pinus regit et uestigia firmat;
lanigerae comitantur oues, ea sola uoluptas
solamenque mali.
postquam altos tetigit fluctus et ad aequora uenit,
luminis effossi fluidum lauit inde cruorem
dentibus infrendens gemitu, graditurque per aequor
iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
nos procul inde fugam trepidi celerare recepto
supplice sic merito tacitique incidere funem,
uertimus et proni certantibus aequora remis.
sensit et ad sonitum uocis uestigia torsit.
uerum ubi nulla datur dextra adfectare potestas
nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
intremuere undae penitusque exterrita tellus
Italiae curuisque immugiit Aetna cauernis.
at genus e siluis Cyclopum et montibus altis
excitum ruit ad portus et litora complent.
cernimus adstantis nequiquam lumine toruo
Aetnaeos fratres caelo capita alta ferentis,

MP 660 *redit* **F** 662–666 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

659 manum **M**^{2}**bcntwz**, *Quint. 8, 4, 24*, *Tib.* (*cf. Prud. ditt. 137*) : manu **MPωγ**, *DSeru.* **661** de collo fistula pendet *add.* **F**^{c} (*erasis tribus uel quattuor litteris*) **Pω** (*praeter* **bft**) **γ** **663** effosi **P** (*corr.* **P**^{2}) : effusi **M**^{x} (-so **M**); *periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$ **664** gemitum **P**^{2}**γ** (*corr.* **γ**^{1}) **665** fluctus **F**^{2} (-tur **F**) **Mωγ**^{1}, *Tib.* : fluctu **M**^{x}**Pinrγ** (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$); *utrumque agnoscit Seru.* **666** fuga **P** (*corr.* **P**^{2}); *periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$ **668** uertimus **FMPωγ**, *Tib.* : uerrimus **i**, *recc.*; *iunctura 'aequora uerrere', alibi frequenter usurpata, hic mutari uidetur: cf. Hom. Od. 7, 328* ἀναρρίπτειν ἅλα πηδῷ **670** dextra **Pkw**, *schol. Bemb. ad Ter. Heaut. 301*, *Tib. in interpr.*, *respuit Seru.* : dextram **FM**$^{A?}$ (*ex* dextrum, dextram *in* dextra *corr. man. al.*) **P**^{1}**ωγ**, *Seru.* («dextram adfectare: *dextram intendere ... sic ut posset nauem tenere*»), *Tib. in lemm.* attrectare **dw** **673** contremuere **Mγ**, *sed cf. Sil. 5, 387 'intremuere simul tellus et pontus et aether'* **674** Italiae] Trinacriae *recc.*, *Bentley* inmugiit **F**^{2}**MP**^{2}**deikntvyzγ** : inmugit **FPωγ**^{1}, *Tib.* **675** *u. om.* **M** (*addiderat ima pagina* **M**^{A}, *postea erasit et denuo scripsit man. librario simillima*; *cf. Aen. 1, 169*) **676** complet **F**^{2}**n**, *Tib.*, *Prisc. 10, 55*

concilium horrendum: quales cum uertice celso
aëriae quercus aut coniferae cyparissi
constiterunt, silua alta Iouis lucusue Dianae.
praecipitis metus acer agit quocumque rudentis
excutere et uentis intendere uela secundis.
contra iussa monent Heleni 'Scyllamque Charybdinque
inter – utramque uiam leti discrimine paruo –
ni teneant cursus'; certum est dare lintea retro.
ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
missus adest; uiuo praeteruehor ostia saxo
Pantagiae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.
talia monstrabat relegens errata retrorsus
litora Achaemenides, comes infelicis Vlixi.
   Sicanio praetenta sinu iacet insula contra
Plemyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
occultas egisse uias subter mare, qui nunc
ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
iussi numina magna loci ueneramur, et inde
exsupero praepingue solum stagnantis Helori.

FMP 682 *redit* **p** 685 *redit* **R** 689 *desinit* **F** 691 *redit* **V**

681 constiterant **F^{2}i^{2}ny** **682** ruentis **F** (*corr.* **F^2**) **684** mouent **Fγ** : monet **P** (*corr.* **P^1**) Scyllamque Charybdinque *Heinsius* (*cf. georg. 2, 344*; *Aen. 1, 218*) : sc. atque ch. *codd.* scyllam **M^x** (sgyllam **M**) **P^{1}ρωγ**, *DSeru.*, *Tib.* : scylla **FP** : scyllae **wz** charybdin **Pp^2** (carybdin **pkx**) **ωγ** : charybdim **Mj** (caribdim **f**, carypdim **i**), *DSeru.*, *Tib.* : charybdis **Fadwz?** **685** Scyllam atque Charybdim inter *dist.* «*nonnulli*» *ap. DSeru.* : *post* Charybdim *dist. Seru.* (*ut uid.*), *Prisc. 18, 79* utrimque *Nisbet, qui nimis rationaliter statuit unicam indicari uiam* (*i.e. transitum per Siculum fretum*). *At bene* utramque uiam: *significatur enim duplex et par in freto esse periculum mortis* **686** ni **FMR** (*ut uid.*) **ρωγ^1**, *Seru. hic, ad Aen. 3, 283 et 4, 299*, *DSeru. ad Aen. 5, 1*, *Tib.*, *Prisc. 18, 79*; ni *pro 'ne' positum testantur Seru.*, *Don. ad Ter. Eun. 508*, *Prisc. 15, 2* (*qui Donatum laudat*) : nec **P** : ne **P^{x}R^{2}cγ.** *Particula prisca* ni, *religionis obsecrationibus propria, bene ad deprecationem Heleni uatis conuenit, qui ne Troiani per fretum Siculum naues mittant sollicita uoce dehortatur: ud. Conte, "Critical Notes", 38* teneant *codd.*, *Seru. hic, ad Aen. 3, 283 et 4, 299*, *DSeru. ad Aen. 5, 1*, *Tib.*, *Prisc.* : teneam *duo codd. DSeru.* (*F et G*) **690–691** *post Wagner secl. Ribbeck* **691** ulixei **P^1** **693** plemyrium **MV^{2}p**, *schol. Ver.*, *Tib. in lemm.* : plemyreum **R** : plemurium **PV**, *Tib. in interpr.* **696** effunditur **p** : perfunditur *Tib.*

hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
radimus, et fatis numquam concessa moueri
apparet Camerina procul campique Geloi
immanisque Gela fluuii cognomine dicta.
arduus inde Acragas ostentat maxima longe
moenia, magnanimum quondam generator equorum;
teque datis linquo uentis, palmosa Selinus,
et uada dura lego saxis Lilybeia caecis.
hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
accipit. hic pelagi tot tempestatibus actus,
heu, genitorem, omnis curae casusque leuamen,
amitto Anchisen. hic me, pater optime, fessum
deseris, heu, tantis nequiquam erepte periclis!
nec uates Helenus, cum multa horrenda moneret,
hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
hic labor extremus, longarum haec meta uiarum,
hinc me digressum uestris deus appulit oris.»
Sic pater Aeneas intentis omnibus unus
fata renarrabat diuum cursusque docebat.
conticuit tandem factoque hic fine quieuit.

MPRVp 716 *desinit* **V**

702 *u. secl. Wagner* **703** acragas] agragans **M** : agragas **M**[x]**P**, *Seru.*, *Tib.* **705** uentis] uelis *Ribbeck* **708** actus **M** (*cf. Aen. 7, 199*) : actis **PRρωγ**, *Seru.*, *Tib.* (*syllaba finalis erasa in* **V**) **714–718** *horum uersuum lineamenta iam euanida renouauit man. rec.* (*scriptura capitali litteris uncialibus mixta*) *in* **P** **717** cursuque **Pγ** (*corr.* **P**[2]**γ**[1])

LIBER IV

At regina graui iamdudum saucia cura
uulnus alit uenis et caeco carpitur igni.
multa uiri uirtus animo multusque recursat
gentis honos; haerent infixi pectore uultus
uerbaque nec placidam membris dat cura quietem.
postera Phoebea lustrabat lampade terras
umentemque Aurora polo dimouerat umbram,
cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
'Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
quis nouus hic nostris successit sedibus hospes,
quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!
credo equidem, nec uana fides, genus esse deorum.
degeneres animos timor arguit. heu, quibus ille
iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!
si mihi non animo fixum immotumque sederet
ne cui me uinclo uellem sociare iugali,
postquam primus amor deceptam morte fefellit,
si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,
huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna (fatebor enim) miseri post fata Sychaei
coniugis et sparsos fraterna caede penates
solus hic inflexit sensus animumque labantem
impulit. agnosco ueteris uestigia flammae.
sed mihi uel tellus optem prius ima dehiscat
uel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,

MPRp 1 *redeunt* **FG** 19 *periit in* **G**

2 igne **F**^{2} (*periit in* **G**) **8** tum **R** (*periit in* **GP**) unaanimem **M** (*corr.* **M**^{A}) : unianimam **P** : unanimem **ω** (*praeter* **r**), *Seru.*, *Tib.* **9** suspensa **M** (*corr.* **M**^{A}) «*et* terret *et* terrent *legitur; sed si* terret…, insomnia *erit uigilia*» *Seru.* (*periit in* **G**) **11** quam] quem **F** (*corr.* **F**^{2}) **18** fuisset **FP**^{x}**Rpinγ**^{1}, *Arus. 500, 10*, *Seru. hic et ad Aen. 5, 714*, *Tib.*, *Prisc. 18, 91* : fuissent **F**^{2}**MPωγ**, *DSeru. ad u. 55* (*periit in* **G**) **22** labentem **Rpafwγ** (*corr.* **γ**^{1}), *respuit Seru.* (*contra metrum*) **25** adigat **GMPRpωγ**^{1}, *Seru. ad Aen. 1, 230*, *DSeru. ad u. 26*, *Tib.* : abigat **Fγ**

pallentis umbras Erebo noctemque profundam,
ante, Pudor, quam te uiolo aut tua iura resoluo.
ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
abstulit; ille habeat secum seruetque sepulcro.'
sic effata sinum lacrimis impleuit obortis.
    Anna refert: 'o luce magis dilecta sorori,
solane perpetua maerens carpere iuuenta,
nec dulcis natos Veneris nec praemia noris?
id cinerem aut manis credis curare sepultos?
esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas
ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
diues alit: placitone etiam pugnabis amori?
nec uenit in mentem quorum consederis aruis?
hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis;
hinc deserta siti regio lateque furentes
Barcaei. quid bella Tyro surgentia dicam
germanique minas?
dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
hunc cursum Iliacas uento tenuisse carinas.
quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
coniugio tali! Teucrum comitantibus armis
Punica se quantis attollet gloria rebus!
tu modo posce deos ueniam, sacrisque litatis
indulge hospitio causasque innecte morandi,
dum pelago desaeuit hiems et aquosus Orion,
quassataeque rates, dum non tractabile caelum.'

FGMPRp 37 *desinit* **G**

26 erebo **FGPpijkntγ** (eribo **R**), *Seru.* («*'in Erebo'*»), *DSeru.* : erebi **MP**[2?]**ωγ**[1], «*alii*» *ap. Seru., Tib.* **28** primum **FP** (*corr.* **P**[1]) **36** libya **P** (*corr.* **P**[2]), «*quidam*» *ap. DSeru.* **39** consideris **Rx** **40** intractabile **R**, *ex Aen. 1, 339* **42** furentes] uagantes **cd**, *Hieron. in Esaiam 5, 21, 13 et alibi, Isid. 9, 2, 107* **43** Vaccei *Isid.* **46** huc *DSeru.* **51** causasque] et causas **F** **53** dum – caelum *secl. Ribbeck*

His dictis impenso animum flammauit amore
spemque dedit dubiae menti soluitque pudorem.
principio delubra adeunt pacemque per aras
exquirunt; mactant lectas de more bidentis
legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui uincla iugalia curae.
ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
candentis uaccae media inter cornua fundit,
aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,
instauratque diem donis, pecudumque reclusis
pectoribus inhians spirantia consulit exta.
heu uatum ignarae mentes! quid uota furentem,
quid delubra iuuant? est mollis flamma medullas
interea et tacitum uiuit sub pectore uulnus.
uritur infelix Dido totaque uagatur
urbe furens, qualis coniecta cerua sagitta,
quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
pastor agens telis liquitque uolatile ferrum
nescius: illa fuga siluas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis harundo.
nunc media Aenean secum per moenia ducit
Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam;
incipit effari mediaque in uoce resistit.
nunc eadem labente die conuiuia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
exposcit pendetque iterum narrantis ab ore.
post ubi digressi, lumenque obscura uicissim
luna premit suadentque cadentia sidera somnos,
sola domo maeret uacua stratisque relictis
incubat. illum absens absentem auditque uidetque,

FMPRp

54 impenso **F** (inpenso **p**), «*alii*» *ap. DSeru.* : penso **P** : incensum **MP**^{1}**Rωγ** (imcensum **F**^{2}), *Seru.*, *Tib.* flammauit **FPRpc**, *DSeru.* : inflammauit **MP**$^{2?}$**ωγ**, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 3, 330* **55** mentis **Rγ**, *DSeru.* **58** legiferae **F**^{2}**Mpωγ**, *Macrob. 3, 12, 10*, *Seru.*, *Tib.* : frugiferae **F** (*ex* fugif-) **Rabdehwxzγ**^{1} (*periit in* **P**, *ubi uix satis est spatii ut* legiferae *suspiceris*) **66** molli … medulla **p** **72** saltus siluasque **F** (*cf. georg. 4, 53*)

aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
detinet, infandum si fallere possit amorem.
non coeptae adsurgunt turres, non arma iuuentus
exercet portusue aut propugnacula bello
tuta parant: pendent opera interrupta minaeque
murorum ingentes aequataque machina caelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
cara Iouis coniunx nec famam obstare furori,
talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
'egregiam uero laudem et spolia ampla refertis
tuque puerque tuus: magnum et memorabile nomen,
una dolo diuum si femina uicta duorum est!
nec me adeo fallit ueritam te moenia nostra
suspectas habuisse domos Karthaginis altae.
sed quis erit modus, aut quo nunc certamine tanto?
quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
exercemus? habes tota quod mente petisti:
ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.
communem hunc ergo populum paribusque regamus
auspiciis; liceat Phrygio seruire marito
dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.'
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
quo regnum Italiae Libycas auerteret oras)
sic contra est ingressa Venus: 'quis talia demens
abnuat aut tecum malit contendere bello,
si modo quod memoras factum fortuna sequatur?

FMPRp 92 *desinit* **F** *perierunt in* **F** *et additi sunt in margine a Carolinae aetatis manu*; *has lectiones nota* **F**^{c} *signaui*

85 amorem] amantem **F** (*ex u. 296*) : imago **R** (*ex u. 84 uel buc. 2, 27*) **87** portusque **P**$^{1?}$ (-isque **P**) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **91** pudori **R**, *DSeru.* **94** nomen **pin** (*imitatur Ou. met. 10, 607 sq. 'habebis / Hippomene uicto magnum et memorabile nomen'*; *cf. Sil. 4, 184*)*; adeo inridetur Venus a Iunone ut eadem ficta gratulatio, quasi dicolo abundanti effecto, dupliciter proferatur* (egregiam laudem ~ magnum et memorabile nomen) : numen **F**^{c}**MPRωγ**, *Tib.*; *cf. Aen. 2, 583* **98** certamina tanta *Heinsius* **106** aduerteret *Seru. hic* («*absolutior quidem est haec lectio, sed uerior et figuratior* auerteret») *et ad Aen. 3, 379, Tib. ad u. 128* (*sed* auerteret *hic*) **107** est] rem **pe**

sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
esse uelit Tyriis urbem Troiaque profectis,
misceriue probet populos aut foedera iungi.
tu coniunx, tibi fas animum temptare precando.
perge, sequar.' tum sic excepit regia Iuno:
'mecum erit iste labor. nunc qua ratione quod instat
confieri possit, paucis (aduerte) docebo.
uenatum Aeneas unaque miserrima Dido
in nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
extulerit Titan radiisque retexerit orbem.
his ego nigrantem commixta grandine nimbum,
dum trepidant alae saltusque indagine cingunt,
desuper infundam et tonitru caelum omne ciebo.
diffugient comites et nocte tegentur opaca;
speluncam Dido dux et Troianus eandem
deuenient. adero et, tua si mihi certa uoluntas,
[conubio iungam stabili propriamque dicabo]
hic hymenaeus erit.' non aduersata petenti
adnuit atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
it portis iubare exorto delecta iuuentus;
retia rara, plagae, lato uenabula ferro,
Massylique ruunt equites et odora canum uis.
reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant, ostroque insignis et auro
stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.
tandem progreditur, magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;
cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,

F^{c}MPRp 115 *desinit* **P**, *subditur* **γ** 120 *desinit* **F^{c}**

112 miscerique **R** (*corr.* **R^{x}**) foedere **p**, *agnoscit Seru.* (*cf. Aen. 8, 56*) **116** confieri **γRjknt** (comfieri **M^{A}**, confier **p**), *Seru. hic et ad Aen. 3, 717, Tib.* : quod fieri **Mγ^{1}h?** : quo fieri **F^{c}ω** **118** primus **MR** **122** mouebo **γ** (*corr.* **γ^{1}**) **126** (= *Aen. 1, 73*) *secl. cum Peerlkamp Ribbeck*; propriam *congruens et aptum in Aen. 1, 73, ab hoc contextu uidetur abhorrere; ud. Conte, 'Critical Notes', 30–31* **127** auersata **R**, *agnoscit Seru.* **129** relinquit **M** (*corr.* **M$^{A?}$**), *Diom. 496, 7*; *cf. Aen. 11, 1* **131** et lato *Char. 61, 25* **135** mordet *recc.*

aurea purpuream subnectit fibula uestem.
nec non et Phrygii comites et laetus Iulus
incedunt. ipse ante alios pulcherrimus omnis
infert se socium Aeneas atque agmina iungit.
qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
deserit ac Delum maternam inuisit Apollo
instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem
fronde premit crinem fingens atque implicat auro,
tela sonant umeris: haud illo segnior ibat
Aeneas, tantum egregio decus enitet ore.
postquam altos uentum in montis atque inuia lustra,
ecce ferae saxi deiectae uertice caprae
decurrere iugis; alia de parte patentis
transmittunt cursu campos atque agmina cerui
puluerulenta fuga glomerant montisque relinquunt.
at puer Ascanius mediis in uallibus acri
gaudet equo iamque hos cursu, iam praeterit illos,
spumantemque dari pecora inter inertia uotis
optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.
    Interea magno misceri murmure caelum
incipit, insequitur commixta grandine nimbus,
et Tyrii comites passim et Troiana iuuentus
Dardaniusque nepos Veneris diuersa per agros
tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
speluncam Dido dux et Troianus eandem
deueniunt. primae Tellus et pronuba Iuno
dant signum; fulsere ignes et conscius aether
conubiis, summoque ulularunt uertice Nymphae.
ille dies primus leti primusque malorum
causa fuit; neque enim specie famaue mouetur

MγRp 144 *redit* **V** 162 *redit* **P**

144 ac] aut *Quint. 8, 3, 73* Delon *Tib.* **166** primae *Hensius* : prima et **MPRVpωγ**, *Seru. hic et ad u. 59* (prima – signum *om Tib.*) : prima **bdhjktvwyz** **168** conubiis **MPpωγ**^{1}, *Tib.* : conubii **P**^{x}**RVijkwγ** **169** laborum **P** (*corr.* **P**^{1}) **pb?z**, *schol. Bern. ad georg. 2, 168* (*cf. Aen. 7, 481*)

nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
coniugium uocat, hoc praetexit nomine culpam.
  Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,
Fama, malum qua non aliud uelocius ullum:
mobilitate uiget uiresque adquirit eundo,
parua initu primo, mox sese attollit in auras
ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
illam Terra parens ira inritata deorum
extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
progenuit pedibus celerem et pernicibus alis,
monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumae,
tot uigiles oculi subter (mirabile dictu),
tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.
nocte uolat caeli medio terraeque per umbram
stridens, nec dulci declinat lumina somno;
luce sedet custos aut summi culmine tecti
turribus aut altis, et magnas territat urbes,
tam ficti prauique tenax quam nuntia ueri.
haec tum multiplici populos sermone replebat
gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
uenisse Aenean Troiano sanguine cretum,
cui se pulchra uiro dignetur iungere Dido;
nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fouere
regnorum immemores turpique cupidine captos.
haec passim dea foeda uirum diffundit in ora.
protinus ad regem cursus detorquet Iarban
incenditque animum dictis atque aggerat iras.
  Hic Hammone satus rapta Garamantide nympha

MPRVp 195 *desinit* **V**

174 qua **MPRV**^{2}**p**^{2} (quia **p**) **htwγ**, *Tert. apol. 7, 8, «alii» ap. Seru., Isid. 5, 27, 26* : quo **P**$^{2?}$**Vωγ**^{1}, *Tert. ad nat. 1, 7, 2, Seru., Tib., Prisc. praeex. 12* **176** initu *Baehrens cl. Lucr. 1, 383 'unde initum primum capiat'* : metu *codd., Macrob. 5, 13, 31, DSeru., Tib.* primum *Tib. in lemm.* (primo *in interpr.*) **179** extrema **R** (*corr.* **R**^{2}) **184** umbra **p** : umbras **bxy** **187** magnas et **M** (*corr.* **M**^{A}) **191** a sanguine **Rω** (*praeter* **abcfinr**) **γ**^{1}, *Tib.* **193** longe **ajrwxyz** **195** foeda *ad* ora *refert Tib.* **196** cursu **P**^{x}**γ** : cursum **nγ**^{1}, *Non. 377, 16, Tib. in interpr.* (cursus *in lemm.*)

templa Ioui centum latis immania regnis,
centum aras posuit uigilemque sacrauerat ignem,
excubias diuum aeternas, pecudumque cruore
pingue solum et uariis florentia limina sertis.
isque amens animi et rumore accensus amaro
dicitur ante aras media inter numina diuum
multa Iouem manibus supplex orasse supinis:
'Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
aspicis haec? an te, genitor, cum fulmina torques,
nequiquam horremus, caecique in nubibus ignes
terrificant animos et inania murmura miscent?
femina, quae nostris errans in finibus urbem
exiguam pretio posuit, cui litus arandum
cuique loci leges dedimus, conubia nostra
reppulit ac dominum Aenean in regna recepit.
et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
subnexus, rapto potitur; nos munera templis
quippe tuis ferimus famamque fouemus inanem.'
Talibus orantem dictis arasque tenentem
audiit Omnipotens, oculosque ad moenia torsit
regia et oblitos famae melioris amantis.
tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat:
'uade age, nate, uoca Zephyros et labere pinnis
Dardaniumque ducem, Tyria Karthagine qui nunc
exspectat fatisque datas non respicit urbes,
adloquere et celeris defer mea dicta per auras.
non illum nobis genetrix pulcherrima talem

MPRp 216 *desinit* **R**

201 excubiasque **R** : excubiasque deum *recc.* **204** numina] nomina **p** (*corr.* **p**²) : munera **p**² *in mg.*, «*multi*» *ap. DSeru.* **217** subnexus *recc.* : subnixus *codd.*, *Non. 405, 27, Seru. ad u. 216 et ad Aen. 3, 402, DSeru. ad u. 216, Tib.; cf. Stat. silu. 5, 3, 115* **224** Tyrias *Winbolt* («*CR*» *2, 1888, 226*) **225** exspectat] Hesperiam *Housman* (*Class. Pap. II, 628 sq.*) : res captat *Courtney* («*BICS*» *28, 1981, 20 sq.*) : res spectat *Kraggerud* («*SO*» *83, 2008, 59 sq.*) perspicit **cdhijkwxyz** **227** genetrix nobis **Pr** (*ord. rest.* **P**ˣ)

promisit Graiumque ideo bis uindicat armis;
sed fore qui grauidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
si nulla accendit tantarum gloria rerum
nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas inuidet arces?
quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur
nec prolem Ausoniam et Lauinia respicit arua?
nauiget: haec summa est, hic nostri nuntius esto.'
Dixerat. ille patris magni parere parabat
imperio; et primum pedibus talaria nectit
aurea, quae sublimem alis siue aequora supra
seu terram rapido pariter cum flamine portant.
tum uirgam capit: hac animas ille euocat Orco
pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
dat somnos adimitque et lumina morte resignat.
illa fretus agit uentos et turbida tranat
nubila. iamque uolans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri caelum qui uertice fulcit,
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
piniferum caput et uento pulsatur et imbri;
nix umeros infusa tegit, tum flumina mento
praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
hic primum paribus nitens Cyllenius alis
constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
misit aui similis, quae circum litora, circum
piscosos scopulos humilis uolat aequora iuxta.

MPp 234 *redit* **F** 248–497 *habet et* **Π_5**

230 ab **P** (*corr.* **P**[x]) : *om.* **γ** **233** laborem **M**[1]**Pρωγ**[1], *schol. Bemb. ad Ter. Ad. 692*, *Tib.*, *Gramm.* : laborum **MP**[2]**γ** **236** *secl. Ribbeck* **241** portent **M** (*corr.* **M**[A]) **243** mittit] ducit **Pn** (*corr.* **P**[2]) **245** *u. om.* **Fa** (*ima pagina add.* **F**[2]) **246** iamque] namque **abw** **254** circum quae *Cunningham*; *cf. 10, 143; 12, 229*

haud aliter terras inter caelumque uolabat
litus harenosum ad Libyae, uentosque secabat
materno ueniens ab auo Cyllenia proles.
ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta nouantem
conspicit. atque illi stellatus iaspide fulua
ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena
demissa ex umeris, diues quae munera Dido
fecerat, et tenui telas discreuerat auro.
continuo inuadit: ‘tu nunc Karthaginis altae
fundamenta locas pulchramque uxorius urbem
exstruis? heu, regni rerumque oblite tuarum!
ipse deum tibi me claro demittit Olympo
regnator, caelum et terras qui numine torquet,
ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus
debetur.’ tali Cyllenius ore locutus
mortalis uisus medio sermone reliquit
et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.
At uero Aeneas aspectu obmutuit amens,

FMPp 257 *desinit* **F**

256–258 *post Heyne secl. ed. Parm. 1793. At similitudo bis enuntiata* (aui similis … haud aliter) *in suspicionem uocanda non est: Vergilius enim exemplo Homerico studiosissime est obsecutus: sicut Mercurius ad Aeneam admonendum nunc uolat, ita Hermes ad Odysseum Calypsonis hospitem uolauerat: cf. Od. 5, 51 sqq.* λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς … τῷ ἴκελος **256** uolabat] legebat (*deleto* ad *u. 257*) *Bentley ad Hor. carm. 1, 34, 5* **257** *post 258 collocant* **cdhijktwxz** ad $\mathbf{P}^{2?}$ (ao **P**) **ptγ**, *Seru.* : at **M** : ac $\mathbf{M}^{A}\mathbf{p}^{2}\boldsymbol{\omega\gamma}^{1}$, *schol. Ver. ad georg. 2, 105, Tib. in lemm.* : *om.* $\mathbf{\Pi}_5$, *DSeru. ad georg. 2, 105, Tib. in interpr.* (*periit in* **F**) **267** oblite] ignare **P** (*corr.* $\mathbf{P}^{2}$) **268** dimittit **Ppcdhrtwzγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$), *Seru. ad Aen. 5, 726* (*om.* $\mathbf{\Pi}_5$) **269** et **Mpω**, *DSeru.*, *Tib.* : ac **Paervwγ** (*om.* $\mathbf{\Pi}_5$) terram **Prwγ** (*om.* $\mathbf{\Pi}_5$) **273** (= *u. 233 substituto uerbo* moliris *pro* molitur) *om.* $\mathbf{MPp\Pi}_5$**abfghinrγ**, *fortasse* **A** (*ut demonstrat Sabbadini in ‘Addendis’*), *Hist. Aug. 16, 8, 7* (*ubi laudantur uu. 272–276*), *Seru.*, *Tib.* : *add.* $\boldsymbol{\omega\gamma}^{1}$ **276** debetur $\mathbf{M}^{x}\mathbf{P}^{x}$**w**, *Hist. Aug.*, *Tib.* : debentur $\mathbf{MPp\Pi}_5$**ωγ**, «*honestius*» *iudice Seru.* (*ita et ad Aen. 1, 678 et 10, 47*); *cf. Sil. 13, 60*

arrectaeque horrore comae et uox faucibus haesit.
ardet abire fuga dulcisque relinquere terras,
attonitus tanto monitu imperioque deorum.
heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
atque animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc
in partisque rapit uarias perque omnia uersat.
haec alternanti potior sententia uisa est:
Mnesthea Sergestumque uocat fortemque Serestum,
classem aptent taciti, socios ad litora cogant,
arma parent et, quae rebus sit causa nouandis,
dissimulent; sese interea, quando optima Dido
nesciat et tantos rumpi non speret amores,
temptaturum aditus et quae mollissima fandi
tempora, quis rebus dexter modus. ocius omnes
imperio laeti parent et iussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem?)
praesensit, motusque excepit prima futuros
omnia tuta timens. eadem impia Fama furenti
detulit armari classem cursumque parari.
saeuit inops animi totamque incensa per urbem
bacchatur, qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
orgia nocturnusque uocat clamore Cithaeron.
tandem his Aenean compellat uocibus ultro:
'dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
posse nefas tacitusque mea decedere terra?

MPp 286 *redit* **F** 302 *inchoat* **A** 305 *desinit* **A**

280 (= *12, 868*) *secl. Ribbeck* **283** quo nunc] quonam *Non. 30, 24 et 242, 16* **284** quae] et quae **ω** (*praeter* **cgrt**) **285–286** (= *Aen. 8, 20–21*) *non interpretatur Seru., om. Tib. in lemm.* (*sed explicat*), *damnat Heyne cui adsentiri uelim* **285** atque] utque *Heinsius* **286** *habent* **F^cMpΠ_5ωγ^1**, *fortasse* **A** (*ut demonstrat Sabbadini in 'Addendis'*) : *om.* **FPγ**, *secl. Ribbeck* **288** serestum] cloanthum **pw^2** (*cf. Aen. 1, 510*) **289** socios **Ppcdrγ**, *DSeru., Tib.* : sociosque **FMω**, *schol. Ver. ad Aen. 1, 1* (*om.* **Π_5**) litoraque **p** **290** sit rebus **ω** (*praeter* **cgqr**); *cf. Aen. 2, 350* **295** et **FMPpacejrvyγ** : ac **M^Aω**, *Non. 306, 31, Tib.* (*om.* **Π_5**) **304** conpellit **an**

nec te noster amor nec te data dextera quondam
nec moritura tenet crudeli funere Dido?
quin etiam hiberno moliri sidere classem
et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
crudelis? quid? si non arua aliena domosque
ignotas peteres, et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
mene fugis? per ego has lacrimas dextramque tuam te
(quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui),
per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,
si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
dulce meum, miserere domus labentis et istam,
oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
odere, infensi Tyrii; te propter eundem
exstinctus pudor et, qua sola sidera adibam,
fama prior. cui me moribundam deseris, hospes
(hoc solum nomen quoniam de coniuge restat)?
quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
destruat aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
ante fugam suboles, si quis mihi paruulus aula
luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
non equidem omnino capta ac deserta uiderer.'
    Dixerat. ille Iouis monitis immota tenebat
lumina et obnixus curam sub corde premebat.
tandem pauca refert: 'ego te, quae plurima fando
enumerare uales, numquam, regina, negabo
promeritam, nec me meminisse pigebit Elissae,
dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
pro re pauca loquar. neque ego hanc abscondere furto
speraui (ne finge) fugam, nec coniugis umquam

FMPp 310 *desinit* **F**

309 moliri **FMPp²ω** : moliris **pbcdeijtwzγ**, *Seru. ad Aen. 1, 279, DSeru.*, *Tib.* (*om.* **Π₅**) **312** et **MPˣωγ**, *Tib.* : sed **P** : se **p** : si *recc.* (*om.* **Π₅**) **320** numidumque *recc.* **323** morituram **n**, *Prisc. 13, 24* **329** tamen] tantum *recc.* **337** furtim **Π₅**

praetendi taedas aut haec in foedera ueni.
me si fata meis paterentur ducere uitam
auspiciis et sponte mea componere curas,
urbem Troianam primum dulcisque meorum
reliquias colerem [Priami tecta alta manerent]
et recidiua manu posuissem Pergama uictis.
sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes;
hic amor, haec patria est. si te Karthaginis arces
Phoenissam Libycaeque aspectus detinet urbis,
quae tandem Ausonia Teucros considere terra
inuidia est? et nos fas extera quaerere regna.
me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris
nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
admonet in somnis et turbida terret imago;
me puer Ascanius capitisque iniuria cari,
quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus aruis.
nunc etiam interpres diuum Ioue missus ab ipso
(testor utrumque caput) celeris mandata per auras
detulit: ipse deum manifesto in lumine uidi
intrantem muros uocemque his auribus hausi.
desine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam non sponte sequor.'
    Talia dicentem iamdudum auersa tuetur
huc illuc uoluens oculos totumque pererrat
luminibus tacitis et sic accensa profatur:
'nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor,
perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
nam quid dissimulo aut quae me ad maiora reseruo?
num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
num lacrimas uictus dedit aut miseratus amantem est?

MPp

343 Priami – manerent *post Peerlkamp secl. Ribbeck* (*cf. Aen. 2, 56*) **348** detinet] demeret **p**², «*in nouis et emendatis libris*» *quosdam inuenisse testatur DSeru.* **349** consistere **q**, *recc.* **361** sponte forte sequor **p**

quae quibus anteferam? iam iam nec maxima Iuno
nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.
nusquam tuta fides. eiectum litore, egentem
excepi et regni demens in parte locaui.
amissam classem, socios a morte reduxi
(heu furiis incensa feror!): nunc augur Apollo,
nunc Lyciae sortes, nunc et Ioue missus ab ipso
interpres diuum fert horrida iussa per auras.
scilicet is superis labor est, ea cura quietos
sollicitat. neque te teneo neque dicta refello:
i, sequere Italiam uentis, pete regna per undas.
spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
supplicia hausurum scopulis et nomine Dido
saepe uocaturum. sequar atris ignibus absens
et, cum frigida mors anima seduxerit artus,
omnibus umbra locis adero. dabis, improbe, poenas.
audiam et haec Manis ueniet mihi fama sub imos.'
his medium dictis sermonem abrumpit et auras
aegra fugit seque ex oculis auertit et aufert,
linquens multa metu cunctantem et multa parantem
dicere. suscipiunt famulae conlapsaque membra
marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
solando cupit et dictis auertere curas,
multa gemens magnoque animum labefactus amore,
iussa tamen diuum exsequitur classemque reuisit.

MPp

373 numquam $\mathbf{\Pi_5}$ eiectum litore *coniungunt* **MP**, *DSeru.*, *Tib.*, *Prisc. 18, 306* : eiectum *dist. Seru.*, «*quidam*» *ap. Prisc.* (litore egentem *iungentes*) **374** suscepi *Prisc. ter* (*periit in* **P**) **375** *Bryant auctore uersum secl. Ribbeck* **376** auctor *recc.* **378** iussa] dicta **M** **381** uentis *dist.* $\mathbf{M^xP^2}$, *Quint. 9, 2, 48*, *Seru. hic et ad Aen. 7, 426*, *Tib.* : Italiam *dist.* «*multi*» *ap. DSeru.* (uentis pete *iungentes*) **387** ueniat *Probus 239, 4* **390** parantem $\mathbf{Pp^2\Pi_5\omega\gamma^1}$ (parentem $\mathbf{pi\gamma}$) : uolentem **Mcq**, *Seru. ad u. 388* (*cf. Aen. 2, 790 et georg. 4, 501*); *homoeoteleuton in arsi* (cunctantem … parantem) *non offendit: cf. Aen. 4, 260; 6, 467; 9, 703; 10, 572* **391** suscipiunt] succipiunt **P**, *GLK VII, 98, 6* (*cf. Aen. 1, 175 et 6, 249*) : suspiciunt $\mathbf{\Pi_5}$

tum uero Teucri incumbunt et litore celsas
deducunt toto nauis (natat uncta carina)
frondentisque ferunt remos et robora siluis
infabricata fugae studio.
migrantis cernas totaque ex urbe ruentis:
ac uelut ingentem formicae farris aceruum
cum populant hiemis memores tectoque reponunt,
it nigrum campis agmen praedamque per herbas
conuectant calle angusto; pars grandia trudunt
obnixae frumenta umeris, pars agmina cogunt
castigantque moras; opere omnis semita feruet.
quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus,
quosue dabas gemitus, cum litora feruere late
prospiceres arce ex summa, totumque uideres
misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis!
ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando
cogitur et supplex animos summittere amori,
ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
    ‘Anna, uides toto properari litore circum:
undique conuenere; uocat iam carbasus auras,
puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
et perferre, soror, potero. miserae hoc tamen unum
exsequere, Anna, mihi: solam nam perfidus ille
te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;

MPp

399 ramos *recc.* **402** uelut **Ppbdgjnqrtwγ** : ueluti **MΠ$_5$ω** **404** herbam **b**, *Non. 197, 18* **407** operae **M** (*corr.* **M**$^{2?}$) : operi **Π$_5$** : opera *Non. 251, 37* **408** tunc **Mdw** **418** (= *georg. 1, 304*) «*si hunc uersum omitteret, melius fecisset*» *Probus ap. DSeru.*

sola uiri mollis aditus et tempora noris.
i, soror, atque hostem supplex adfare superbum.
non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuraui classemue ad Pergama misi,
nec patris Anchisae cineres manesue reuelli:
cur mea dicta negat duras demittere in auris?
quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:
exspectet facilemque fugam uentosque ferentis.
non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat;
tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
dum mea me uictam doceat fortuna dolere.
extremam hanc oro ueniam (miserere sororis),
quam mihi cum dederit, cumulatam morte remittam.’
Talibus orabat, talisque miserrima fletus
fertque refertque soror. sed nullis ille mouetur
fletibus aut uoces ullas tractabilis audit:
fata obstant placidasque uiri deus obstruit auris.
ac uelut annoso ualidam cum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
eruere inter se certant; it stridor, et altae

MPp 443 *redit* **F**

423 noris **Π_5**, *diuinauerat Baehrens* : noras **MPpωγ**, *Non. 346, 35, DSeru. ad u. 293. Si* noras *legis, Anna dicitur antehac cum Aenea in familiaritate uersata esse, ut supra u. 422; hoc tamen alienum uidetur esse a uerbis* mollis aditus et tempora. *Bene* noris: *‘occasionem scite poteris inuenire ut blando sermone Aeneae animum mollias’. Iisdem uerbis paulo ante Aeneas secum quaesiuerat quantis adhibitis blanditiis consilium proficiscendi aperire Didoni posset: uu. 293 sq. ‘temptaturum aditus et quae mollissima fandi /tempora’* **427** cineres (*cf. Aen. 5, 55*) **PΠ_5ωγ**, *Seru., DSeru. ad Aen. 10, 150, Tib. ad Aen. 5, 80* (*deest ad loc.*) : cinerem **Mp**, *DSeru.* (*cf. u. 34*); ‘cinerem *ante uocalem tantum ponit Vergilius*’ *Ribbeck, Prol. 309* **428** negat **MP^2pωγ**, *ps. Acro ad Hor. epod. 17, 53, DSeru.* : neget **M^xPr**, «*quidam*» *ap. DSeru.* (*om.* **Π_5**) demittere **Mp$\Pi_5$dqrt** : dimittere **Pωγ**, *ps. Acro* **433** furoris **pq**, *Char. 547, 55* (furori *alibi*) **434** dolore **M** (*corr.* **M^2**) **$\Pi_5$acfjwyzγ^1** **436** dederit **MPpqwγ** (derit **Π_5**) : dederis **ωγ^1**, *Seru.* cumulatam **Ppωγ**, *Seru.* : cumulata **MΠ_5b?qw**; dederis cumulatam *probasse Tuccam et Varium testatur Seru.*; dederit cumulata «*male quidam*» *ap. Seru. Vd. Conte, «MD» 81, 2018, 201–205* **443** alte **bdgikwz** (altem **p**), *Macrob. 5, 6, 13, Seru.*

consternunt terram concusso stipite frondes;
ipsa haeret scopulis et quantum uertice ad auras
aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
haud secus adsiduis hinc atque hinc uocibus heros
tunditur et magno persentit pectore curas;
mens immota manet, lacrimae uoluuntur inanes.
    Tum uero infelix fatis exterrita Dido
mortem orat; taedet caeli conuexa tueri.
quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,
uidit, turicremis cum dona imponeret aris,
(horrendum dictu) latices nigrescere sacros
fusaque in obscenum se uertere uina cruorem;
hoc uisum nulli, non ipsi effata sorori.
praeterea fuit in tectis de marmore templum
coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
uelleribus niueis et festa fronde reuinctum:
hinc exaudiri uoces et uerba uocantis
uisa uiri, nox cum terras obscura teneret,
solaque culminibus ferali carmine bubo
saepe queri et longas in fletum ducere uoces;
multaque praeterea uatum praedicta priorum
terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
in somnis ferus Aeneas, semperque relinqui
sola sibi, semper longam incomitata uidetur
ire uiam et Tyrios deserta quaerere terra,
Eumenidum ueluti demens uidet agmina Pentheus
et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas,
aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes,

FMPp 450–457 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

445 ipsa] illa *Macrob.*, *DSeru. ad u. 449* **446** radice **FP**^{x}$\mathbf{\Pi_5}$**ajnqry** (*cf. georg. 2, 292*) : radicem **MPρωγ**, *Macrob.*, *Seru.* **448** persensit **dknwxz?**, *Seru. ad u. 443* **456** sorori est **F** (es sorori $\mathbf{\Pi_5}$, *periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **459** festa] sacra $\mathbf{\Pi_5}$ **460** uoces] gemitus *Seru. ad Aen. 12, 638* (*cf. Aen. 6, 557*; *7, 15*) **462** seraque *Non. 194, 3* **464** priorum **FPρωγ**, *Hos. Get. 88 et 110*, *Seru. ad u. 65*, *Prisc. 7, 77* : piorum **M**, *Lact. diu. inst. 2, 17, 2*; *utrumque agnoscit Seru. hic* (*om.* $\mathbf{\Pi_5}$); *cf. Aen. 6, 662* **469** Euhiadum *Allen ap. Tyrrell ad Eur. Bacch. 918* **471** scaenis] furiis *recc.* (*ex Aen. 3, 331*) : poenis *Markland ad Stat. silu. 3, 3, 15* agitatur **p**

armatam facibus matrem et serpentibus atris
cum fugit ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo ubi concepit furias euicta dolore
decreuitque mori, tempus secum ipsa modumque
exigit, et maestam dictis adgressa sororem
consilium uultu tegit ac spem fronte serenat:
‘inueni, germana, uiam (gratare sorori)
quae mihi reddat eum uel eo me soluat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
axem umero torquet stellis ardentibus aptum:
hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
quae dabat et sacros seruabat in arbore ramos,
spargens umida mella soporiferumque papauer.
haec se carminibus promittit soluere mentes
quas uelit, ast aliis duras immittere curas,
sistere aquam fluuiis et uertere sidera retro,
nocturnosque mouet Manis; mugire uidebis
sub pedibus terram et descendere montibus ornos.
testor, cara, deos et te, germana, tuumque
dulce caput, magicas inuitam accingier artis.
tu secreta pyram tecto interiore sub auras
erige et arma uiri, thalamo quae fixa reliquit
impius, exuuiasque omnis lectumque iugalem,
quo perii, super imponas: abolere nefandi

FMPp 483–490 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

473 diuae **FPγ** (*corr.* $\mathbf{F}^2\boldsymbol{\gamma}^1$); *cf. Aen. 8, 701* **476** et] ac **M** **481** atlas **F**, *testatur Seru.* («*nullum nomen Graecum* ns *terminatur*») : atlans **MPp** (*om.* $\mathbf{\Pi_5}$); *uide Pease, Aeneidos liber quartus, Cambridge (Mass.) 1935, 391* **482** attorquet **M** (*corr.* $\mathbf{M}^x$) fulgentibus *DSeru. ad Aen. 1, 108* (*sed* ardentibus *ad Aen. 1, 552 et 2, 512*); *cf. Aen. 11, 202* **486** *secl. Schrader, post u. 517 transp. Ribbeck*; soporiferumque papauer «*incongrue uidetur positum*» *iudice Seru., del. Kvičala* (*una cum u. 485*) soporiferumue **bjxy** **490** mouet **MPpt** (mouit **F**) : ciet $\mathbf{F}^c\mathbf{P}^2\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Aug. ciu. 21, 6, Isid. 8, 9, 6* (*om.* $\mathbf{\Pi_5}$, *periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **497** imponas **Pωγ** (inponas $\mathbf{M}^A\mathbf{\Pi_5}$), *Diom. 439, 4, DSeru.* : inponant **FMp**, «*quidam*» *ap. DSeru.* («*scilicet famulae*») : imponens **c**

cuncta uiri monumenta iuuat, monstratque sacerdos.'
haec effata silet, pallor simul occupat ora.
non tamen Anna nouis praetexere funera sacris
germanam credit, nec tantos mente furores
concipit aut grauiora timet quam morte Sychaei.
ergo iussa parat.
    At regina, pyra penetrali in sede sub auras
erecta ingenti taedis atque ilice secta,
intenditque locum sertis et fronde coronat
funerea; super exuuias ensemque relictum
effigiemque toro locat haud ignara futuri.
stant arae circum et crinis effusa sacerdos
ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
tergeminamque Hecaten, tria uirginis ora Dianae.
sparserat et latices simulatos fontis Auerni;
falcibus et messae ad lunam quaeruntur aënis
pubentes herbae nigri cum lacte ueneni;
quaeritur et nascentis equi de fronte reuulsus
et matri praereptus amor.
ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,
unum exuta pedem uinclis, in ueste recincta,
testatur moritura deos et conscia fati
sidera; tum, si quod non aequo foedere amantis
curae numen habet iustumque memorque, precatur.
    Nox erat et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras, siluaeque et saeua quierant
aequora, cum medio uoluuntur sidera lapsu,
cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque uolucres,
quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
rura tenent, somno positae sub nocte silenti.

FMPp 517–521 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 521 *desinit* **F**

498 iuuat **F**^{2} (iuat **F**) **M**^{A} (*correctio postea erasa*) **P** (*fide Sabb. et Geym.*) **padγ**, *DSeru.* : iubet **MP**^{1} (*in ras.*) **$\omega\gamma^1$** : iubat **P**^{2}**w** **500** protexere **Ma** (*corr.* **M**^{A}) **504–521** *totus hic locus extrema manu uidetur carere* **516** praeruptus **pcγ** (*corr.* **p**^{2}**γ^1**) **517** mola **F$\rho\omega\gamma^1$**, *Seru.* : molam **MPrwγ**, *GLK V, 477, 23*, *DSeru. hic et ad buc. 8, 82* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **522** placidam carpebant membra quietem *Seru. ad Aen. 1, 388* (*cf. Aen. 1, 691 et 7, 414*) **523** quierunt **afgn**

at non infelix animi Phoenissa, neque umquam
soluitur in somnos oculisue aut pectore noctem
accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens
saeuit amor magnoque irarum fluctuat aestu.
sic adeo insistit secumque ita corde uolutat:
'en, quid ago? rursusne procos inrisa priores
experiar, Nomadumque petam conubia supplex,
quos ego sim totiens iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum
iussa sequar? quiane auxilio iuuat ante leuatos
et bene apud memores ueteris stat gratia facti?
quis me autem, fac uelle, sinet ratibusue superbis
inuisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
quid tum? sola fuga nautas comitabor ouantis?
an Tyriis omnique manu stipata meorum
inferar et, quos Sidonia uix urbe reuelli,
rursus agam pelago et uentis dare uela iubebo?
quin morere ut merita es, ferroque auerte dolorem.
tu lacrimis euicta meis, tu prima furentem
his, germana, malis oneras atque obicis hosti.
non licuit thalami expertem sine crimine uitam
degere more ferae, talis nec tangere curas;
non seruata fides cineri promissa Sychaeo.'
tantos illa suo rumpebat pectore questus.
    Aeneas celsa in puppi iam certus eundi
carpebat somnos rebus iam rite paratis.

MPp   552–559 *habet et* **Π**$_{10}$ 555 *redit* **F**

528 (= *Aen. 9, 225, substituto uerbo* lenibant *pro* laxabant) *om.* **MPρωγ**, *add.* **bγ**^{1}, *non interpr. Seru.*   **529** neque **P** (naeque **M**) : nec **M**^{A}**P**^{x}**ρωγ**, *DSeru. ad u. 486*   **530** oculis **P** (ue *add.* **P**^{1}) : oculisque **aefgjnrv**, *Macrob. 6, 6, 7*   **533** exsistit **p**   **539** et] aut **abcegknvxy**   **540** sinat **P** (*corr.* **P**^{2})   ratibusque **bdikntwxz**   **541** inrisam **M**^{A}**bdwγ**^{1} **543** *ante 540 transp. Baehrens*   **548–549** *deleri uult Kvičala, post u. 418 transp. Ribbeck*   **551** «*multi* fere *aduerbium uolunt, ut sit sensus: more scilicet, quo iam uiduitatem ferre consueuerat*» *Seru.*   **552** sychaeo **P**^{2}**ωγ** (sicheo **p**), *Seru. hic* («Sychaeo *pro 'Sychaeio'*») *et alibi, DSeru. ad u. 458* : sychaei **Mbcw** : sychaeies (*scil.* sychaei est) **P**, *periit in* **Π**$_{10}$

huic se forma dei uultu redeuntis eodem
obtulit in somnis rursusque ita uisa monere est,
omnia Mercurio similis, uocemque coloremque
et crinis flauos et membra decora iuuenta:
‘nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos,
nec quae te circum stent deinde pericula cernis,
demens, nec Zephyros audis spirare secundos?
illa dolos dirumque nefas in pectore uersat,
certa mori, uariosque irarum concitat aestus.
non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
iam mare turbari trabibus saeuasque uidebis
conlucere faces, iam feruere litora flammis,
si te his attigerit terris Aurora morantem.
heia age, rumpe moras. uarium et mutabile semper
femina.’ sic fatus nocti se immiscuit atrae.
    Tum uero Aeneas subitis exterritus umbris
corripit e somno corpus sociosque fatigat
praecipites: ‘uigilate, uiri, et considite transtris;
soluite uela citi. deus aethere missus ab alto
festinare fugam tortosque incidere funis
ecce iterum instimulat. sequimur te, sancte deorum,
quisquis es, imperioque iterum paremus ouantes.
adsis o placidusque iuues et sidera caelo
dextra feras.’ dixit uaginaque eripit ensem
fulmineum strictoque ferit retinacula ferro.
idem omnis simul ardor habet, rapiuntque ruuntque;

FMPp

559 iuuenta **F**^{2} (iuenta **F**) **Mcht**, *Isid. 2, 21, 40* (*cf. Sil. 7, 631*) : iuuentae **Ppωγ**, *Seru.* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **561** te quae **c** **564** uariosque **FPpcgknrγ** : uarioque **M**^{x} (suarioque **M**) **ω**, *DSeru.* concitat aestus **FPpcrγ** : fluctuat aestu **Mωγ**^{1} (f. aestus **gkw**), *DSeru.* (*cf. u. 532*) **565** hinc] in **F**, *corr.* **F**^{2} (*cf. georg. 1, 203, Aen. 6, 578*) : hic **M** (*corr.* **M**^{A}) **572–573** praecipites *dist.* «*nonnulli*» *ap. DSeru.* («*ita … ut adlocutio hinc uideatur incipere* uigilate uiri … *et est usitata figura: fatigat et praecipites facit*») : fatigat *dist.* **F**^{2}**M**^{x}**P**^{2}, *Seru. ad Aen. 5, 144 et 456, edd. plerique*; *si* praecipites uigilate *legis, omni dicendi uarietate carere oratio uidetur, quia Aeneas, eadem uerborum structura usus, proximo in uersu* (*574*) *dicit* soluite … citi; *si uero legis* fatigat praecipites, *probanda est uariatio locutionis* **576** instimulat **FPpcγ** : stimulat **Mω**, *Seru.* **578** iubes **Fp** (*corr.* **F**^{2})

litora deseruere, latet sub classibus aequor;
adnixi torquent spumas et caerula uerrunt.
Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
regina e speculis ut primum albescere lucem
uidit et aequatis classem procedere uelis,
litoraque et uacuos sensit sine remige portus,
terque quaterque manu pectus percussa decorum
flauentisque abscissa comas 'pro Iuppiter! ibit
hic,' ait 'et nostris inluserit aduena regnis?
non arma expedient totaque ex urbe sequentur,
deripientque rates alii naualibus? ite,
ferte citi flammas, date tela, impellite remos!
quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat?
infelix Dido, nunc te facta impia tangunt?
tum decuit, cum sceptra dabas. en dextra fidesque,
quem secum patrios aiunt portare penates,
quem subiisse umeris confectum aetate parentem!
non potui abreptum diuellere corpus et undis
spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium patriisque epulandum ponere mensis?
uerum anceps pugnae fuerat fortuna. fuisset:
quem metui moritura? faces in castra tulissem
implessemque foros flammis natumque patremque
cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
tuque harum interpres curarum et conscia Iuno,
nocturnisque Hecate triuiis ululata per urbes

FMPp 583 *desinit* **F**

586 ut] cum **bdhikwxyz** primum **Mωγ**^{1}, *Seru. ad u. 584 et ad Aen. 5, 1* : primam **Ppaefgjvγ** **590** absciasa **P** : abscisa **pω** (*praeter* **dw**) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **591** hinc *recc.* **593** deripientque *Heinsius* : diripientque *codd.; cf. Aen. 1, 211* **594** flammas] ferrum **γ**^{1}, *Diom. 448, 9, Prisc. 17, 9* (*sed* flammas *17, 171*); *cf. Aen. 9, 37* impellite] incendite **p** **596** nun **P** (*corr.* **P**^{1}) : num *Probus 154, 26, Cledon. 67, 9* fata **kxy** **597** tum] tunc **Paefgijrvγ**, *Prisc. 8, 101* **598** portare **Pωγ**, *Seru. ad u. 597* : portasse **M**, *DSeru.* : portarese **p** **599** umeris **M**$^{2?}$ (umeras **M**) **P**^{2}**p**^{2}**ωγ**, *DSeru.* : umero **P** : umeros **p** **600** deuellere **Paefgtvγ** (*corr.* **γ**^{1})

et Dirae ultrices et di morientis Elissae,
accipite haec, meritumque malis aduertite numen
et nostras audite preces. si tangere portus
infandum caput ac terris adnare necesse est,
et sic fata Iouis poscunt, hic terminus haeret:
at bello audacis populi uexatus et armis,
finibus extorris, complexu auulsus Iuli
auxilium imploret uideatque indigna suorum
funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae
tradiderit, regno aut optata luce fruatur,
sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena.
haec precor, hanc uocem extremam cum sanguine fundo.
tum uos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
exercete odiis, cinerique haec mittite nostro
munera. nullus amor populis nec foedera sunto.
exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
nunc, olim, quocumque dabunt se tempore uires.
litora litoribus contraria, fluctibus undas
imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotesque.'
  Haec ait, et partis animum uersabat in omnis,
inuisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
tum breuiter Barcen nutricem adfata Sychaei,
namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
'Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem:
dic corpus properet fluuiali spargere lympha,
et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
sic ueniat, tuque ipsa pia tege tempora uitta.
sacra Ioui Stygio, quae rite incepta paraui,
perficere est animus finemque imponere curis
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.'

MPp

611 nomen **p** **613** ac] et *Seru. ad Aen. 6, 16* **614** et si *recc.* **615** at] et **Mbz** (*corr.* **M^A**) **616** conspectu *Non. 15, 2* **620** mediaque] -que *pace Sabbadini minime redundat: ad augendum et cumulandum ualet, quasi 'idemque', 'et insuper'* **629** nepotesque **MPpω**, *DSeru. ad u. 627, Tib., Gramm.* : nepotes (*om.* -que) **P^xdiwxγ** **638** parabam *Macrob. 3, 3, 2* **640** flammis **M**

sic ait. illa gradum studio celerabat anili.
at trepida et coeptis immanibus effera Dido
sanguineam uoluens aciem, maculisque trementis
interfusa genas et pallida morte futura,
interiora domus inrumpit limina et altos
conscendit furibunda rogos ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
hic, postquam Iliacas uestes notumque cubile
conspexit, paulum lacrimis et mente morata
incubuitque toro dixitque nouissima uerba:
'dulces exuuiae, dum fata deusque sinebat,
accipite hanc animam meque his exsoluite curis.
uixi et quem dederat cursum Fortuna peregi,
et nunc magna mei sub terras ibit imago.
urbem praeclaram statui, mea moenia uidi,
ulta uirum poenas inimico a fratre recepi;
felix, heu nimium felix, si litora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!'
dixit, et os impressa toro 'moriemur inultae,
sed moriamur' ait; 'sic, sic iuuat ire sub umbras.
hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus et nostrae secum ferat omina mortis.'
dixerat, atque illam media inter talia ferro
conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
spumantem sparsasque manus. it clamor ad alta
atria: concussam bacchatur Fama per urbem.

MPp 647–650 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 651 *redit* **F**

641 celerabat **Mpωγ**^{1}, *Tib.* (*cf. Aen. 5, 609*) : celebrabat **M**^{A}**Prγ**, «*alii*» *ap. DSeru.*; *cf. Apul. met. 6, 14.* Celebrabat *a nescioquo antiquario mihi uidetur excogitatum* anili **Mrtγ** (inili **P**^{2}), *Seru.*, *Tib.* : anilem **pωγ**^{1} (inilem **P**) **646** rogos **Mpωγ**^{1}, *Tib.* : gradus **P**^{1} (radus **P**) **γ**, *DSeru.* (*cf. u. 685*) **651** sinebat **MPbn**, *Seru.*, *Tib.* : sinebant **FP**^{2}**pωγ**, *Macrob. 4, 6, 10* **652** absoluite **cz**^{2}, *DSeru. ad u. 1* **654** meis **M** (s *del.* **M**^{x}) **656** *hunc u. ante 655 habent* **fg**; «*alii haec quasi per interrogationem uolunt accipi, ut nihil dicat esse perfectum*» *Seru.* **660** sic? sic *dist. Seru.* («*quasi interrogatio et responsio*») **662** secum nostrae **M** (*ord. rest.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) omnia **abcdfjknγ** (*corr.* **γ**^{1}) **663** atque] ast **p** (*cf. Aen. 9, 162*) **665** it] id **P** (*corr.* **P**^{2}) : et **FM** (*corr.* **F**^{2}**M**^{x}), *Tib.*

lamentis gemituque et femineo ululatu
tecta fremunt, resonat magnis plangoribus aether,
non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes
culmina perque hominum uoluantur perque deorum.
Audiit exanimis trepidoque exterrita cursu
unguibus ora soror foedans et pectora pugnis
per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
'hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
quid primum deserta querar? comitemne sororem
spreuisti moriens? eadem me ad fata uocasses,
idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.
his etiam struxi manibus patriosque uocaui
uoce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
exstinxti te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. date uulnera lymphis
abluam et, extremus si quis super halitus errat,
ore legam.' sic fata gradus euaserat altos,
semianimemque sinu germanam amplexa fouebat
cum gemitu atque atros siccabat ueste cruores.
illa grauis oculos conata attollere rursus
deficit; infixum stridit sub pectore uulnus.
ter sese attollens cubitoque adnixa leuauit,
ter reuoluta toro est oculisque errantibus alto
quaesiuit caelo lucem ingemuitque reperta.

FMPp 683–686 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 688 *desinit* **F**

668 tremunt **F** (*corr.* $\mathbf{F^2}$) clangoribus **Pabefgijv** (*cf. Aen. 2, 487 et 6, 561*) **669** ruit **P** (*corr.* $\mathbf{P^2}$) **671** uoluuntur **P** (*corr.* $\mathbf{P^{2?}}$) **cdhw**$\boldsymbol{\gamma^1}$: -entur **a** : uolantur **M** (*corr.* $\mathbf{M^2}$) **681** «crudelis … *dubium, tu an ego*» *DSeru.* **682** ex(s)tinxti **FPt** (extinxiti **M**, extincxti *ut uid.* $\mathbf{M^A}$, extinxit *ut uid.* $\mathbf{M^P}$), *DSeru.*, *Tib.*, *Gramm.* : extincti **p** : extinxi $\boldsymbol{\omega\gamma}$ me teque *Diom. 441, 29*, *DSeru.* **683–685** «date *aut aquam aut* date *id est 'permittite'*» *Seru. Interpretandum puto: 'sinite … abluam et … legam': cf. Aen. 2, 669 sq. 'sinite instaurata reuisam / proelia'* **684** et *om.* **P** (*add.* $\mathbf{P^2}$), *Tib.* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) erret **jnx** : esset **ky** **686** fouebat] tenebat **p** (*corr.* $\mathbf{p^2}$) **689** stridet **bcdgrz**, *Tib.* **690** attoll(l)it $\mathbf{P^1}$ *in ras.* (*ex* attollens?), attoll(l)ens $\mathbf{P^2}$ cubituque **acehvw** adnixa] innixa **dhwxz**, *Auson. cento 128* **692** reperta $\mathbf{M^x}$**Ppacehjvyz**, *Seru.*, *Tib.* : repertam $\mathbf{MP^x}$$\boldsymbol{\omega\gamma}$ (*cf. Aen. 6, 718*)

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem
difficilisque obitus Irim demisit Olympo
quae luctantem animam nexosque resolueret artus.
nam quia nec fato merita nec morte peribat,
sed misera ante diem subitoque accensa furore,
nondum illi flauum Proserpina uertice crinem
abstulerat Stygioque caput damnauerat Orco.
ergo Iris croceis per caelum roscida pinnis
mille trahens uarios aduerso sole colores
deuolat et supra caput adstitit. ‘hunc ego Diti
sacrum iussa fero teque isto corpore soluo’:
sic ait et dextra crinem secat, omnis et una
dilapsus calor atque in uentos uita recessit.

MPp

693 tunc *Seru.* **694** dimisit **cdgwγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$), *Tib.* : demittit **t** : dimittit *Seru.*
698 necdum **Pfiγ** **701** aduersa luce **pdwz** (*cf. Aen. 5, 89*)

LIBER V

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
certus iter fluctusque atros Aquilone secabat
moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
conlucent flammis. quae tantum accenderit ignem
causa latet; duri magno sed amore dolores
polluto, notumque furens quid femina possit,
triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla
occurrit tellus, maria undique et undique caelum,
olli caeruleus supra caput adstitit imber
noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
'heu, quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
quidue, pater Neptune, paras?' sic deinde locutus
colligere arma iubet ualidisque incumbere remis
obliquatque sinus in uentum ac talia fatur:
'magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.
mutati transuersa fremunt et uespere ab atro
consurgunt uenti, atque in nubem cogitur aër;
nec nos obniti contra nec tendere tantum
sufficimus. superat quoniam Fortuna, sequamur,
quoque uocat uertamus iter. nec litora longe
fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,
si modo rite memor seruata remetior astra.'
tum pius Aeneas: 'equidem sic poscere uentos
iamdudum et frustra cerno te tendere contra;
flecte uiam uelis. an sit mihi gratior ulla,

MPp 8–10 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

6 posset **M** **9** occurrit] apparet **p**, *Tib.* (*cf. Aen. 3, 193*) **19** atro] alto **M**²
23 quaque *Tib.* uacat **M** (*corr.* **M**²)

quoue magis fessas optem dimittere nauis,
quam quae Dardanium tellus mihi seruat Acesten
et patris Anchisae gremio complectitur ossa?'
haec ubi dicta, petunt portus et uela secundi
intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis,
et tandem laeti notae aduertuntur harenae.
At procul ex celso miratus uertice montis
aduentum sociasque rates occurrit Acestes,
horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae,
Troia Criniso conceptum flumine mater
quem genuit. ueterum non immemor ille parentum
gratatur reduces et gaza laetus agresti
excipit ac fessos opibus solatur amicis.
Postera cum primo stellas Oriente fugarat
clara dies, socios in coetum litore ab omni
aduocat Aeneas tumulique ex aggere fatur:
'Dardanidae magni, genus alto a sanguine diuum,
annuus exactis completur mensibus orbis,
ex quo reliquias diuinique ossa parentis
condidimus terra maestasque sacrauimus aras;
iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,
semper honoratum (sic di uoluistis) habebo.
hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exul
Argolicoue mari deprensus et urbe Mycenae,
annua uota tamen sollemnisque ordine pompas
exsequerer strueremque suis altaria donis.

MPp 37 *redit* **R** 44–46 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

29 quoque **dy**, *Prisc. 7, 84* dimittere **MPωγ**, *DSeru.*, *Prisc.* : demittere **pcksxy**, *Tib.*; dimittere *quasi nauibus fessis missionem dare* **35** excelso *an* ex celso *legendum quaerit DSeru.* miratur **p**, *Char. 272, 15* **36** occurrit] «*legitur et* accurrit» *Tib.* (*cf. u. 451*) **38** Criniso] «*a Crimisso fluuio, quem 'Crinisum' Vergilius poetica licentia uocat*» *Seru. ad Aen. 1, 550*; Crimiso *Heyne* (Crimisso *Brunck*); *sed Crinis*(*s*)*us flumen appellatur etiam ap. Nep. Timol. 2, 4 et Hyg. fab. 273, 14* **41** amicos **aerv** **43** *ante 42 habent* **Pγ** (*ord. rest.* $\mathbf{P}^1$, *renouauit* $\mathbf{P}^2$, γ^1) **45** a] ab **P** (*corr.* $\mathbf{P}^x$) : ex **c** : *om.* **abz** **52** depressus **ac**?, *Prisc. 5, 55* urbe] arce **P** (*corr.* $\mathbf{P}^2$) mycenae **MPωγ**, *Tib.*, *agnoscit Seru.* (*cf. Aen. 1, 247 'urbem Pataui'*) : mycenis **R** : mycaenam **p** : mycena **cz**, *Prisc.* : mycene *Seru.*, *fortasse recte*

nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis
(haud equidem sine mente, reor, sine numine diuum)
adsumus et portus delati intramus amicos.
ergo agite et laetum cuncti celebremus honorem:
poscamus uentos, atque haec me sacra quotannis
urbe uelit posita templis sibi ferre dicatis.
bina boum uobis Troia generatus Acestes
dat numero capita in nauis; adhibete penates
et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.
praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
prima citae Teucris ponam certamina classis;
quique pedum cursu ualet, et qui uiribus audax
aut iaculo incedit melior leuibusque sagittis,
seu crudo fidit pugnam committere caestu,
cuncti adsint meritaeque exspectent praemia palmae.
ore fauete omnes et cingite tempora ramis.'
    Sic fatus uelat materna tempora myrto.
hoc Helymus facit, hoc aeui maturus Acestes,
hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.
ille e concilio multis cum milibus ibat
ad tumulum magna medius comitante caterua.
hic duo rite mero libans carchesia Baccho
fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro,
purpureosque iacit flores ac talia fatur:
'salue, sancte parens; iterum saluete, recepti
nequiquam cineres animaeque umbraeque paternae!

MPRp 73 *redit* **V**

55 ossa] ora **Pp** (*corr.* **P**^{2}**p**^{2}) **67** uiribus audax *recte ad omnia sequentia pertinere censent Seru., DSeru.* : audax *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, «*quidam*» *ap. DSeru., Tib.* **68** leuibusue **Rω** (*praeter* **acdefgrv**); *cf. Aen. 9, 178* **71** tempora cingite **R**; *sed cf. Aen. 7, 135 et 8, 286* **75** e *om.* **Rpbchj** **78** humo **p** (*corr.* **p**^{2}) **80** parens *dist.* **P**^{2} : iterum *dist.* **M**^{x}, *Seru.*; *utramque distinctionem agnoscunt schol. Ver., Tib.*; iterum *ad* recepti cineres (*scil.* «*semel ex Troia, semel a Diomede*»: *cf. Seru. ad Aen. 4, 427*) *referunt* «*alii*» *ap. Seru.*; *cf. Catull. 64, 23–23b 'saluete … saluete iterum'* **81** animae *et* umbrae *ut uocatiuum pluralem interpretatur Seru., ut genetiuum singularem* «*alii*» *ap. Seru., Tib.*

non licuit finis Italos fataliaque arua
nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.’
dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis
septem ingens gyros, septena uolumina traxit
amplexus placide tumulum lapsusque per aras,
caeruleae cui terga notae maculosus et auro
squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
mille iacit uarios aduerso sole colores.
obstipuit uisu Aeneas; ille agmine longo
tandem inter pateras et leuia pocula serpens
libauitque dapes rursusque innoxius imo
successit tumulo et depasta altaria liquit.
hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
incertus geniumne loci famulumne parentis
esse putet; caedit binas de more bidentis
totque sues, totidem nigrantis terga iuuencos,
uinaque fundebat pateris animamque uocabat
Anchisae magni manisque Acheronte remissos.
nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
dona ferunt, onerant aras mactantque iuuencos;
ordine aëna locant alii fusique per herbam
subiciunt ueribus prunas et uiscera torrent.
    Exspectata dies aderat nonamque serena
Auroram Phaethontis equi iam luce uehebant,
famaque finitimos et clari nomen Acestae
excierat; laeto complerant litora coetu
uisuri Aeneadas, pars et certare parati.
munera principio ante oculos circoque locantur
in medio, sacri tripodes uiridesque coronae
et palmae pretium uictoribus, armaque et ostro

MPRVp 96 *desinit* **V** 109 *redit* **F**

89 iacit **MPpc?γ** : trahit (*cf. Aen. 4, 701*) **Rω**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$, *Tib.* (*euanuit in* **V**) **90** longe **p** (*euanuit in* **V**) **93** linquit **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{x}$) **96** caedit binas **M** (*cf. uu. 77 sq.*) : caeditq. (*i.e.* caeditque) binas **R** : caedit quinas **PVpωγ**, *Non. 272, 11*, *Seru. ad u. 78*, *Tib.* : mactat binas *DSeru. ad Aen. 4, 200* (*cf. Aen. 4, 57*) **101** onerantque **cz**, *Tib.* **107** exierat **PRc** (*corr.* $\mathbf{P}^{2}$) complebant **M** (*cf. Aen. 9, 382*)

perfusae uestes, argenti aurique talenta;
et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt grauibus certamina remis
quattuor ex omni delectae classe carinae.
uelocem Mnestheus agit acri remige Pristim,
mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi,
ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
urbis opus, triplici pubes quam Dardana uersu
impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna, Scyllaque Cloanthus
caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
litora, quod tumidis submersum tunditur olim
fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
tranquillo silet immotaque attollitur unda
campus et apricis statio gratissima mergis.
hic uiridem Aeneas frondenti ex ilice metam
constituit signum nautis pater, unde reuerti
scirent et longos ubi circumflectere cursus.
tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
ductores longe effulgent ostroque decori;
cetera populea uelatur fronde iuuentus
nudatosque umeros oleo perfusa nitescit.
considunt transtris, intentaque bracchia remis;
intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
corda pauor pulsans laudumque arrecta cupido.
inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
haud mora, prosiluere suis; ferit aethera clamor
nauticus, adductis spumant freta uersa lacertis.
infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit

FMPRp

112 talenta **FRω**, *Seru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 11, 333*) : talentum **MPpqγ** (*cf. u. 248*) **116** pristim **FR** : pristin **MP**^{2} (ristin **P**) : pristri **p** **120** terno – remi *secl. Ribbeck* **126** cori **dsw** : chori *cett.*, *codd. Seru. ad u. 125*, *Tib.* **139** funibus *Ribbeck*

conuulsum remis rostrisque tridentibus aequor:
non tam praecipites biiugo certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
nec sic immissis aurigae undantia lora
concussere iugis pronique in uerbera pendent.
tum plausu fremituque uirum studiisque fauentum
consonat omne nemus, uocemque inclusa uolutant
litora, pulsati colles clamore resultant.
   Effugit ante alios primisque elabitur undis
turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
consequitur, melior remis, sed pondere pinus
tarda tenet. post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
et nunc Pristis habet, nunc uictam praeterit ingens
Centaurus, nunc una ambae iunctisque feruntur
frontibus et longa sulcant uada salsa carina.
iamque propinquabant scopulo metamque tenebant,
cum princeps medioque Gyas in gurgite uictor
rectorem nauis compellat uoce Menoeten:
'quo tantum mihi dexter abis? huc derige cursum;
litus ama et laeua stringat sine palmula cautes;
altum alii teneant.' dixit; sed caeca Menoetes
saxa timens proram pelagi detorquet ad undas.
'quo diuersus abis?' iterum 'pete saxa, Menoete!'
cum clamore Gyas reuocabat: et ecce Cloanthum
respicit instantem tergo et propiora tenentem.
ille inter nauemque Gyae scopulosque sonantis

FMPRp 158 *desinit* **F**

143 rostris (*om.* -que) **c** tridentibus **FMPpabd** : stridentibus **F**^{2}**Rωγ**, *Tib.*, *Prisc. 1, 51*; *cf. Aen. 8, 690* **151** primusque **c** **154** aliquo **F** (*corr.* **F**^{2}) pistris **M** : pistrix *Non. 282, 32 et 411, 8*; *sed cf. u. 116* **156** habet] abit **r** **158** longae **d** (longe **w**) carinae **Fdw** (*corr.* **F**^{2}) **162** derige **PRγ** : dirige **Mpωγ**^{1}, *Sen. benef. 6, 7, 1*, *Tib.* cursum **M**$^{A?}$**pω**, *Sen.*, *Tib.* : gressum **MPRaevzγ** (*cf. Aen. 1, 401 et 11, 855*) **163** laeua **MPpbgrγ**, *schol. Med. ad buc. 9, 61*, *Tib.* : laeuas **Rωγ**^{1} **166** abis *et* iterum *dist.* **M**^{x} : abis *tantum dist.* **P**^{2}; «iterum: *hoc uerbum et a poeta potest dici, ut* iterum reuocabat, *et a Gya, ut* quo abis iterum, *non* iterum pete» *Seru.* **167** et *om.* **R** **168** propriora **Pbfjrtzγ** (*corr.* **γ**^{1})

radit iter laeuum interior subitoque priorem
praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.
tum uero exarsit iuueni dolor ossibus ingens
nec lacrimis caruere genae, segnemque Menoeten
oblitus decorisque sui sociumque salutis
in mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
ipse gubernaclo rector subit, ipse magister
hortaturque uiros clauumque ad litora torquet.
at grauis ut fundo uix tandem redditus imo est
iam senior madidaque fluens in ueste Menoetes,
summa petit scopuli siccaque in rupe resedit.
illum et labentem Teucri et risere natantem
et salsos rident reuomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum scopuloque propinquat,
nec tota tamen ille prior praeeunte carina:
parte prior, partem rostro premit aemula Pristis.
at media socios incedens naue per ipsos
hortatur Mnestheus: 'nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
delegi comites; nunc illas promite uires,
nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.
non iam prima peto Mnestheus neque uincere certo
(quamquam o! – sed superent quibus hoc, Neptune, dedisti);
extremos pudeat rediisse: hoc uincite, ciues,
et prohibete nefas.' olli certamine summo
procumbunt: uastis tremit ictibus aerea puppis
subtrahiturque solum, tum creber anhelitus artus

MPRp

184 mnestheique *Heinsius* : mnesthique **Pγ** (-tique **MRpgr**), *GLK IV, 528, 15*, *Tib.* : mnest(h)eoque **ωγ**[1] **187** partem **Mr**, *Arus. 499, 23*, *Tib.* : partim **PRpωγ**, *quod inepte illatum uidetur a librariis aduerbium post* parte *desiderantibus*; *poeta uero distinctis casibus structuram sententiarum scite uariauit* (*cf. uu. 277 sq. 'parte ferox … pars uulnere clauda retentat'*) **198** aurea **MP** (*corr.* **M**[2]**P**[2]) **199** tunc **M** (*corr.* **M**[1]), *Tib.*

aridaque ora quatit, sudor fluit undique riuis.
attulit ipse uiris optatum casus honorem:
namque furens animi dum proram ad saxa suburget
interior spatioque subit Sergestus iniquo,
infelix saxis in procurrentibus haesit.
concussae cautes, et acuto in murice remi
obnixi crepuere inlisaque prora pependit.
consurgunt nautae et magno clamore morantur
ferratasque trudes et acuta cuspide contos
expediunt fractosque legunt in gurgite remos.
at laetus Mnestheus successuque acrior ipso
agmine remorum celeri uentisque uocatis
prona petit maria et pelago decurrit aperto.
qualis spelunca subito commota columba,
cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
fertur in arua uolans plausumque exterrita pinnis
dat tecto ingentem, mox aëre lapsa quieto
radit iter liquidum celeris neque commouet alas:
sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
aequora, sic illam fert impetus ipse uolantem.
et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum breuibusque uadis frustraque uocantem
auxilia et fractis discentem currere remis.
inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
consequitur: cedit, quoniam spoliata magistro est.
solus iamque ipso superest in fine Cloanthus,
quem petit et summis adnixus uiribus urget.
tum uero ingeminat clamor, cunctique sequentem
instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
hi proprium decus et partum indignantur honorem
ni teneant, uitamque uolunt pro laude pacisci;

MPRp

202 animo **Pγ** (*corr.* **γ**[1]) prora **M**, *Arus. 473, 29* **205** in *om.* **Pγ** **208** trudes] sudes **M** **212** pelago] caelo *Quint. 7, 9, 10* (*fortasse ex Aen. 1, 155*) **220** in *om.* **M** **221** frustraque] et frustra **bdhnswxyz** **226** adnixus **MRpω**, *Non. 366, 32, Tib.* (*cf. Aen. 9, 744*) : enixus **Pf?γ** **228** resonantque **M** (*corr.* **M**[x]) : resonat (*om.* -que) **Pdfghitwγ** fragoribus **MRpbcgjkrsx**, *Tib.* : clamoribus **Pωγ**

hos successus alit: possunt, quia posse uidentur.
et fors aequatis cepissent praemia rostris,
ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
fudissetque preces diuosque in uota uocasset:
‘di, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro,
uobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
constituam ante aras uoti reus extaque salsos
proiciam in fluctus et uina liquentia fundam.’
dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque uirgo,
et pater ipse manu magna Portunus euntem
impulit: illa Noto citius uolucrique sagitta
ad terram fugit et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa cunctis ex more uocatis
uictorem magna praeconis uoce Cloanthum
declarat uiridique aduelat tempora lauro,
muneraque in nauis ternos optare iuuencos
uinaque et argenti magnum dat ferre talentum.
ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
uictori chlamydem auratam, quam plurima circum
purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit,
intextusque puer frondosa regius Ida
uelocis iaculo ceruos cursuque fatigat
acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
sublimem pedibus rapuit Iouis armiger uncis;
longaeui palmas nequiquam ad sidera tendunt
custodes, saeuitque canum latratus in auras.

MPRp 241 *redit* **V**

235 est pelagi **MPpabefgtvγ**, *Macrob. 3, 2, 5, Seru., Tib.* (*cf. Aen. 6, 264*) : pelagi est **M**^{x}**Rω** (est *om.* **i**) aequora **Mω**, *Tib.* : aequore **PRpab?gqxγ**, *Macrob.* **236** in *om.* **R** **238** proiciam **MPRωγ**, *Seru., Tib.* : poriciam **p** : porriciam *Macrob. 3, 2, 1 sqq., agnoscit Seru.* (*quid ad Aen. 3, 231 non liquet*); porriciam *lucubratio uidetur nesciocuius antiquarii*; *nam* in fluctus *potius* proiciam *postulat* (*cf. etiam u. 776*) et **MRpω**, *Macrob. 3, 2, 5, Tib.* : ac **Pabefgqrtvγ** (*cf. u. 776*) **241** neptunus **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **247** aptare **bcdefghvzγ**^{1} **249** praecipue **M**, *Non. 320, 26* **254** Ida] alto *Burman ad Anth. II 119, 91* (*propter u. 252*) : aethra *Schrader* (*cf. Val. Fl. 1, 156*) **257** in **MRVpωγ**^{1}, *Macrob. 6, 6, 19, Tib.* : ad **Paefvγ**

at qui deinde locum tenuit uirtute secundum,
leuibus huic hamis consertam auroque trilicem
loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
uictor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
donat habere, uiro decus et tutamen in armis.
uix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
multiplicem conixi umeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.
tertia dona facit geminos ex aere lebetas
cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
  Iamque adeo donati omnes opibusque superbi
puniceis ibant euincti tempora taenis,
cum saeuo e scopulo multa uix arte reuulsus,
amissis remis atque ordine debilis uno,
inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
qualis saepe uiae deprensus in aggere serpens,
aerea quem obliquum rota transiit aut grauis ictu
seminecem liquit saxo lacerumque uiator;
nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
parte ferox ardensque oculis et sibila colla
arduus attollens, pars uulnere clauda retentat
nixantem nodis seque in sua membra plicantem:
tali remigio nauis se tarda mouebat;

MPRVp

260 ipsi **M** (*corr.* **M**^{2}) **262** habere *dist. Schröter* : uiro *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru. ad u. 248, ad Aen. 10, 235 et 12, 97*; *sed coniungendum est* donat habere *cum 259* huic; uiro *autem cum* decus et tutamen *bene conectitur* (*cf. Aen. 10, 858 'hoc decus illi'*), *nam hoc nomen tamquam pronomen apud epicos ualet* **270** ex scopulo **R**^{x} (ex copulo **R**) : e *om.* **abg**, *Tib.* reuolsam **R** **272** habebat **p** **274** transit **Rz**, *DSeru. ad Aen. 1, 295* **275** saxi *recc.* **277** et] pars **R** **278** uulnera **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) clauda **M**^{A}**PRpωγ**^{1} (clausa **γ**), *Arus. 489, 9*, *Seru.* : cauda **MP**^{x}**Virz**, *Tib.*(?) **279** nixantem **MPpfhjsxyγ** : nexantem **M**^{2} (*correctionem erasam, ut uid., renouauit* **M**^{P}) **RVωγ**^{1}, *Gramm.* (nixantem *et* nexantem *codd. Tib.*) : nitentem **M**$^{A?}$; *Vergiliana uerba* clauda … nixantem nodis *pendere uidentur a Lucr. 6, 834 sqq. 'claudicat … pinnarum nisus … nixari nequeunt alis'* (*scil. aues aëre sublato delabentes*) **280** mouebat] ferebat **Pγ**

uela facit tamen et plenis subit ostia uelis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat
seruatam ob nauem laetus sociosque reductos:
olli serua datur operum haud ignara Mineruae,
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
    Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
gramineum in campum, quem collibus undique curuis
cingebant siluae, mediaque in ualle theatri
circus erat; quo se multis cum milibus heros
consessu medium tulit exstructoque resedit.
hic, qui forte uelint rapido contendere cursu,
inuitat pretiis animos et praemia ponit.
undique conueniunt Teucri mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi,
Euryalus forma insignis uiridique iuuenta,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
regius egregia Priami de stirpe Diores;
hunc Salius simul et Patron, quorum alter Acarnan,
alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
tum duo Trinacrii iuuenes, Helymus Panopesque
adsueti siluis, comites senioris Acestae;
multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:

MPRVp   292 *desinit* **V**

281 plenis ... uelis **Mpfg**^{2} (*cf. Aen. 1, 400*; *Prop. 4, 6, 23*) : uelis ... plenis **PRVωγ**, *Tib.*; *ea est uersus artificiosa structura ut in primo et ultimo pede idem iteretur uerbum: cf. e.g. Aen. 2, 314 'arma amens capio; nec sat rationis in armis'*, *nec non Aen. 5, 567*; *11, 358 et 392*   **285** chressa **M** : thressa *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 9, 9* (*sed* cressa *ad sat. 1, 5, 54*)   ubere **Vpω**, *Auson. cento 63*, *Tib. in lemm.* (*sed «ad ubera» in interpr.*), *Prisc. 18, 171* : ubera **MP**^{1} *in ras.* (*ex* ubere *ut uid. ex orig.*) **Rγ** (*cf. Aen. 3, 392 et 8, 45*)   **290** consensu **M** (*corr.* **M**^{2}) **a** (consesu **p**) : consessum *Gossrau*, consessum in *Klouček* (in *etiam* **cq**); *suspicor hunc uersum aliqua corruptela perturbatum esse*   *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck*   **295** insigni **Pγ** (*corr.* **γ**^{1})   uiridique] nitidusque *Tib.* (*ex Aen. 2, 473*)   **296** quem **Pγ** (*corr.* **γ**^{1})   **299** arcadio **MRefghijkvx** : arcadia **Ppbcdnrstwyzγ**, *Tib.* (archa **a**) tegeaeae **P** : tegeae de **M**^{A} (tegerede **M**) **P**^{2}**ωγ** : tegaea de **R** : tegeae **pafgk**, *Tib.* : tegeaeae *et* tegeae de *agnoscit Seru.* (*qui tamen illud probat cl. Aen. 8, 459*) **300** helymusque **Rp**   Panospesque **M**

‘accipite haec animis laetasque aduertite mentes.
nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Cnosia bina dabo leuato lucida ferro
spicula caelatamque argento ferre bipennem:
omnibus hic erit unus honos. tres praemia primi
accipient flauaque caput nectentur oliua.
primus equum phaleris insignem uictor habeto;
alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circum amplectitur auro
balteus et tereti subnectit fibula gemma;
tertius Argolica hac galea contentus abito.’
    Haec ubi dicta, locum capiunt signoque repente
corripiunt spatia audito limenque relinquunt,
effusi nimbo similes: simul ultima signant.
primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
emicat et uentis et fulminis ocior alis;
proximus huic, longo sed proximus interuallo,
insequitur Salius; spatio post deinde relicto
tertius Euryalus;
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso
ecce uolat calcemque terit iam calce Diores
incumbens umero, spatia et si plura supersint
transeat elapsus prior ambiguumue relinquat.
iamque fere spatio extremo fessique sub ipsam
finem aduentabant, leui cum sanguine Nisus
labitur infelix, caesis ut forte iuuencis
fusus humum uiridisque super madefecerat herbas.
hic iuuenis iam uictor ouans uestigia presso

MPRp

306 cnosia **Pγ**, *DSeru.* : gnosia **MRpω**, *Seru.*, *Tib.* **309** fuluaque *Seru. ad Aen. 4, 261* nitentur **M** (*corr.* **M**^{A}) : nectuntur **Pγ**^{1}, *Rufin. 57, 21* **310** equam **M** (*corr.* **M**^{A}) **312** plectitur **M** **317** *post* similes *fortius, post* signant *leuius dist. Slater*; «simul ultima signant *intuentes et notantes ultima spatia, id est finem cursus, auiditate uincendi*» *DSeru.* **323** quo **P**$^{2?}$**ρωγ**, *Diom. 413, 2*, *Dosith. 415, 29*, *Seru.*, *Tib.* : quod **MRbc** : quem **P** **325** (h)umeris **ω** (*praeter* **bcinrst**) **326** ambiguumue *codd. Heinsiani*, *Bentley* (*cf. Hom. Il. 23, 382* καί νύ κεν ἢ παρέλασσ᾽ ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν) : ambiguumque *codd.*, *Tib.* **327** ipsum **M**^{2}

haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
concidit immundoque fimo sacroque cruore.
non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
ille autem spissa iacuit reuolutus harena.
emicat Euryalus et munere uictor amici
prima tenet plausuque uolat fremituque secundo;
post Helymus subit et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caueae consessum ingentis et ora
prima patrum magnis Salius clamoribus implet
ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
tutatur fauor Euryalum lacrimaeque decorae
gratior et pulchro ueniens in corpore uirtus.
adiuuat et magna proclamat uoce Diores,
qui subiit palmae frustraque ad praemia uenit
ultima, si primi Salio reddentur honores.
tum pater Aeneas: ‘uestra’ inquit ‘munera uobis
certa manent, pueri et palmam mouet ordine nemo;
me liceat casus miserari insontis amici.’
sic fatus tergum Gaetuli immane leonis
dat Salio uillis onerosum atque unguibus aureis.
hic Nisus: ‘si tanta’ inquit ‘sunt praemia uictis,
et te lapsorum miseret, quae munera Niso
digna dabis, primam merui qui laude coronam,
ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset?’

MPRp

332 ipsum **p** **333** cruorem **Mp** (*corr.* **M**^{x}) *post* cruore *leuius dist. Ribbeck, non bene*; oblitus *i.q. ‘oblitus est’*; *nam Nisus non dum procumbit Euryalum adiuuare meditatus est, sed postquam humi iacuit* (*cf. u. 335* per lubrica surgens) **337** amico **M** (*corr.* **M**^{x}) **340** consessum **M**^{1}**Ppωγ**^{1} (-ssus **z**), *DSeru.*, *Tib.* : consensum **MRbgst?γ**; *cf. uu. 290 et 577* **347** reddentur **Pγ** : reddantur **MRωγ**^{1} : redduntur **M**^{A}**pbcdrwz**, *Tib.* **349** pueri et palmam *bene coniunxit C. W. Nauck* : pueri *uocatiuum faciunt edd. plerique*; *sed in hoc dicolo abundanti* uestra … munera … certa manent *et* pueri … palmam mouet … nemo *respondere inter se uidentur* (pueri *scil. Euryali* : *cf. u. 296*) **350** mi **c**; «me liceat: *‘liceat me miserari’: nam non ‘me liceat’, sed ‘mihi liceat’ dicimus*» *Seru.* miserari **MP**^{2}**pgijkrtvxyγ**, *Asper p. 536, 3, Don. ad Ter. Hec. 10, Seru., Tib.* : misereri **PRω** **354** munera] praemia **M** (*e u. 353*)

et simul his dictis faciem ostentabat et udo
turpia membra fimo. risit pater optimus olli
et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum:
hoc iuuenem egregium praestanti munere donat.
    Post, ubi confecti cursus et dona peregit:
'nunc, si cui uirtus animusque in pectore praesens,
adsit et euinctis attollat bracchia palmis'.
sic ait et geminum pugnae proponit honorem,
uictori uelatum auro uittisque iuuencum,
ensem atque insignem galeam solacia uicto.
nec mora: continuo uastis cum uiribus effert
ora Dares magnoque uirum se murmure tollit,
solus qui Paridem solitus contendere contra,
idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
uictorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat,
perculit et fulua moribundum extendit harena.
talis prima Dares caput altum in proelia tollit
ostenditque umeros latos alternaque iactat
bracchia protendens et uerberat ictibus auras.
quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto
audet adire uirum manibusque inducere caestus.
ergo alacris cunctosque putans excedere palma
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus
tum laeua taurum cornu tenet atque ita fatur:
'nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
quae finis standi? quo me decet usque teneri?
ducere dona iube.' cuncti simul ore fremebant
Dardanidae reddique uiro promissa iubebant.

MPRp

359 ferri **Rb** (eferri **R**^{x}) artes **Mpω**, *Seru.* : artis **M**$^{A?}$: artem **PRγ**, *Tib.* **363** pectore] corpore *Sen. ep. 92, 30* (*fortasse e u. 344*) **364** uinctis **Pabsvγ** (*corr.* **γ**^{1}) **372** *post* Buten *dist. Wakefield,* immani corpore *cum inferioribus coniungens* **374** pertulit **M** (*corr.* **M**^{2}) : percutit **Rb** **380** palma **MPRprγ**, *Tib.*, *Gramm.* : pugna **ω** : pugnae **cehjy** (*cf. Aen. 9, 789*) **381** moratur **pg** **382** laeuo **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **384** quae] qui **M**^{x}

Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes,
proximus ut uiridante toro consederat herbae:
'Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
tantane tam patiens nullo certamine tolli
dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
nequiquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam et spolia illa tuis pendentia tectis?'
ille sub haec: 'non laudis amor nec gloria cessit
pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
sanguis hebet, frigentque effetae in corpore uires.
si mihi quae quondam fuerat quaque improbus iste
exsultat fidens, si nunc foret illa iuuentas,
haud equidem pretio inductus pulchroque iuuenco
uenissem, nec dona moror.' sic deinde locutus
in medium geminos immani pondere caestus
proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
ferre manum duroque intendere bracchia tergo.
obstipuere animi: tantorum ingentia septem
terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
ante omnis stupet ipse Dares longeque recusat,
magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
huc illuc uinclorum immensa uolumina uersat.
tum senior talis referebat pectore uoces:
'quid, si quis caestus ipsius et Herculis arma
uidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?
haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat
(sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro),
his magnum Alciden contra stetit, his ego suetus,
dum melior uires sanguis dabat, aemula necdum

MPRp

387 his *Non. 251, 26* (*sed* hic *314, 36*) **388** herba **Rc** : herbam **p** **389** frustra *inferioribus iungunt* **M**^{x}**P**^{2} (*post* fortissime *distinguentes*), *Seru.*, *Tib.* **390** iam **M** (*corr.* **M**^{2}) **391** sinis **abfgs** magister *superioribus iungit Seru. et sic dist. Wagner* **396** habet **MRagx** (*corr.* **M**^{2}) **398** iuuentas **MP**^{1} (*fide Sabb. et Geym.*) **Rprt?γ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : iuuentus **Pgγ** : iuuenta **ω**, *Seru. codd. aliquot* (iuuentor **c**); *cf. Aen. 8, 160* **399** pulchroue **hjksvwxyz** (pulchro **d**) **403** manu **Rg** **413** fractoque **cehivxy** (*cf. u. 480*)

temporibus geminis canebat sparsa senectus.
sed si nostra Dares haec Troius arma recusat
idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,
aequemus pugnas: Erycis tibi terga remitto
(solue metus), et tu Troianos exue caestus.'
    Haec fatus duplicem ex umeris reiecit amictum
et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
exuit atque ingens media consistit harena.
tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos
et paribus palmas amborum innexuit armis.
constitit in digitos extemplo arrectus uterque
bracchiaque ad superas interritus extulit auras.
abduxere retro longe capita ardua ab ictu
immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt,
ille pedum melior motu fretusque iuuenta,
hic membris et mole ualens; sed tarda trementi
genua labant, uastos quatit aeger anhelitus artus.
multa uiri nequiquam inter se uulnera iactant,
multa cauo lateri ingeminant et pectore uastos
dant sonitus, erratque auris et tempora circum
crebra manus, duro crepitant sub uulnere malae.
stat grauis Entellus nisuque immotus eodem
corpore tela modo atque oculis uigilantibus exit.
ille, uelut celsam oppugnat qui molibus urbem
aut montana sedet circum castella sub armis,
nunc hos, nunc illos aditus omnemque pererrat
arte locum et uariis adsultibus inritus urget.
ostendit dextram insurgens Entellus et alte
extulit; ille ictum uenientem a uertice uelox
praeuidit celerique elapsus corpore cessit;

MPRp

421 deiecit **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* reiecit, *fide Sabb. et Geym.*; reiecit *rest.* **P**$^{2?}$) : proiecit *Tib.* **422** -que *del.* **P**^{x} **423** exuit] extulit *Macrob. 6, 1, 43* (*e u. 424 uel 427*) **425** intexuit **M** (*corr.* **M**^{A}) **426** *post 427 habent* **bchjksy** **428** adduxere **as** : redduxere *Apthon. 38, 31* **431** trementis *Tib.* (tementis **c?**) **434** pectora *recc.* uasto **c** **435** sonitum **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **437** *post* eodem *dist. aliqui edd.*

Entellus uires in uentum effudit et ultro
ipse grauis grauiterque ad terram pondere uasto
concidit, ut quondam caua concidit aut Erymantho
aut Ida in magna radicitus eruta pinus.
consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
it clamor caelo, primusque accurrit Acestes
aequaeuumque ab humo miserans attollit amicum.
at non tardatus casu neque territus heros
acrior ad pugnam redit ac uim suscitat ira;
tum pudor incendit uires et conscia uirtus,
praecipitemque Daren ardens agit aequore toto
nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
nec mora nec requies: quam multa grandine nimbi
culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
creber utraque manu pulsat uersatque Dareta.
    Tum pater Aeneas procedere longius iras
et saeuire animis Entellum haud passus acerbis,
sed finem imposuit pugnae fessumque Dareta
eripuit mulcens dictis ac talia fatur:
'infelix, quae tanta animum dementia cepit?
non uires alias conuersaque numina sentis?
cede deo.' dixitque et proelia uoce diremit.
ast illum fidi aequales genua aegra trahentem
iactantemque utroque caput crassumque cruorem
ore eiectantem mixtosque in sanguine dentes
ducunt ad nauis, galeamque ensemque uocati
accipiunt, palmam Entello taurumque relinquunt.

MPRp   448 *redit* **V**

446 effundit **P** (*corr.* **P**^{x})   **449** radicitus **RVcfgir?s**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$, *Tib. in lemm.*, *Prisc. 15, 23* (*cf. Hom. Il. 14, 415* πρόρριζος; *Catull. 64, 108*) : radicibus **MPρωγ**, *Tib. in interpr.* **451** primusque **PRVωγ**, *Tib.* : primus **Mph**   occurrit (*e u. 36*) **cdjktwxyγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$)   **455** tunc **M** (*corr.* **M**^{1}), *Non. 415, 18*   **457** ille] deinde **M** : illa **p** (*euanuit in* **V**); «ille *uacat, nam metri causa additum est*» *Seru.* (*uide etiam ad Aen. 6, 186*) **467** dixitque – diremit *secl. Peerlkamp;* «*uacat* -que *metri causa*» *Seru.* **469** iactantemque] quassantemque *Macrob. 4, 1, 2*   **470** eiectantem **Pρω**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$ (eiact- **n**), *Macrob.* (*cf. Sil. 12, 150*) : iectantem **MVcγ** : iactantem **R** : reiectantem **adefghvz**$\boldsymbol{\gamma}^{2}$, *Tib.*   mixtoque **M**   dente **M** (*corr.* **M**^{2})

hic uictor superans animis tauroque superbus:
'nate dea, uosque haec' inquit 'cognoscite, Teucri,
et mihi quae fuerint iuuenali in corpore uires
et qua seruetis reuocatum a morte Dareta.'
dixit et aduersi contra stetit ora iuuenci,
qui donum adstabat pugnae, durosque reducta
librauit dextra media inter cornua caestus
arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro:
sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
ille super talis effundit pectore uoces:
'hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
persoluo; hic uictor caestus artemque repono.'
    Protinus Aeneas celeri certare sagitta
inuitat qui forte uelint et praemia dicit,
ingentique manu malum de naue Seresti
erigit et uolucrem traiecto in fune columbam,
quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
conuenere uiri, deiectamque aerea sortem
accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
quem modo nauali Mnestheus certamine uictor
consequitur, uiridi Mnestheus euinctus oliua.
tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam iussus confundere foedus
in medios telum torsisti primus Achiuos.
extremus galeaque ima subsedit Acestes,
ausus et ipse manu iuuenum temptare laborem.
tum ualidis flexos incuruant uiribus arcus
pro se quisque uiri et depromunt tela pharetris,
primaque per caelum neruo stridente sagitta

MPRVp 499 *desinit* **V**

473 animo **Vγ** (*corr.* **γ**[1]) **477** auersi **Pbiγ** **480** in *om.* **R** **482** effudit **cn** **484** ultor **V** (*corr.* **V**[2]) repono **MPbnrstγ**, *Tib.* : reponit **RVpω** (*ita ut orationis rectae finis* persoluo *sit*); *item uariant codd. Seru.* **486** dicit **Ppγ** : ponit **MRVω**, *Non. 320, 37*, *Tib.* (*cf. u. 292*) **487** ingentemque *Bothe*; ingenti manu «*magna multitudine*» *male interpr. Seru.*; *nam cf. Aen. 11, 556 et clausulam* χειρὶ παχείῃ *ab Homero saepissime usurpatam* **491** primum **R** **499** manum … labore **V**

Hyrtacidae iuuenis uolucris diuerberat auras,
et uenit aduersique infigitur arbore mali.
intremuit malus, timuitque exterrita pinnis
ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
post acer Mnestheus adducto constitit arcu
alta petens pariterque oculos telumque tetendit.
ast ipsam miserandus auem contingere ferro
non ualuit: nodos et uincula linea rupit,
quis innexa pedem malo pendebat ab alto;
illa Notos atque atra uolans in nubila fugit.
tum rapidus, iamdudum arcu contenta parato
tela tenens, fratrem Eurytion in uota uocauit,
iam uacuo laetam caelo speculatus et alis
plaudentem nigra figit sub nube columbam.
decidit exanimis uitamque reliquit in astris
aetheriis fixamque refert delapsa sagittam.
  Amissa solus palma superabat Acestes,
qui tamen aërias telum contendit in auras
ostentans artemque pater arcumque sonantem.
hic oculis subitum obicitur magnoque futurum
augurio monstrum; docuit post exitus ingens
seraque terrifici cecinerunt omina uates.
namque uolans liquidis in nubibus arsit harundo
signauitque uiam flammis tenuisque recessit
consumpta in uentos, caelo ceu saepe refixa

MPRp

503 uolucris iuuenis **P**^{1} (uolucri i. **P**) **abeiγ** (*ord. rest.* **γ**^{1}) deuerberat **Mafgr** (*corr.* **M**^{x}) auras] alas **j**, *Tib.* **505** timuitque] *dubito an corruptum, cum iuxta* exterrita *redundet et male cum* pinnis *coniungatur*; micuitque *Slater non inepte, sed malim* fremuitque *uel* strepuitque (*ex haplogr.*) **510** linea uincula **p** rumpit **br** **512** atra] alta **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **515** *post* speculatus *dist. edd. aliquot, ita ut* uocauit … et … figit *coniungantur*; *sed uix* laetam … et alis plaudentem *disiungi possunt* **516** figit nigra **Paeiγ** (*ord. rest.* **P**^{x}) **517** relinquit *Tib.* **518** aetheriis **Pdvwγ** (*cf. u. 838*) : aeriis **MRpωγ**^{1}, *Macrob. 3, 8, 4, Tib.* **520** contendit **MRpω** (condit **c**), *Non. 260, 4, Tib.* : contorsit **M**^{A}**Pabefgnrzγ** (*cf. Aen. 12, 266, ubi tamen de hasta agitur*) **522** subitum *recc.* : subito *codd.*, *Tib.*; *cf. Aen. 2, 680 et 8, 81* **524** omnia **padefj?rwx** **526** flammis] lamnis **M** (*corr.* **M**^{A})

transcurrunt crinemque uolantia sidera ducunt.
attonitis haesere animis superosque precati
Trinacrii Teucrique uiri; nec maximus omen
abnuit Aeneas, sed laetum amplexus Acesten
muneribus cumulat magnis ac talia fatur:
'sume, pater: nam te uoluit rex magnus Olympi
talibus auspiciis exsortem ducere honores.
ipsius Anchisae longaeui hoc munus habebis,
cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.'
sic fatus cingit uiridanti tempora lauro
et primum ante omnis uictorem appellat Acesten.
nec bonus Eurytion praelato inuidit honori,
quamuis solus auem caelo deiecit ab alto.
proximus ingreditur donis qui uincula rupit,
extremus uolucri qui fixit harundine malum.
    At pater Aeneas nondum certamine misso
custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden uocat et fidam sic fatur ad aurem:
'uade age et Ascanio, si iam puerile paratum
agmen habet secum cursusque instruxit equorum,
ducat auo turmas et sese ostendat in armis
dic' ait. ipse omnem longo decedere circo
infusum populum et campos iubet esse patentis.
incedunt pueri pariterque ante ora parentum
frenatis lucent in equis, quos omnis euntis
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuuentus.
omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,

MPRp

531 sed] et **R** **534** honores **MPRgnγ**, *ps. Acro ad Hor. artem poet. 305* : honorem **M^Apωγ^1**, *Tib.* **541** honore **P** (*corr.* **P^x**) **547** aepytiden **R** **548** paratus **P** (*corr.* **P^2**) **551** longe **p** decedere **MRpωγ^1** : discedere **Pr**, *Tib.* : discendere **γ** : deducere **x** **556** corona est *DSeru. ad Aen. 1, 702*

pars leuis umero pharetras; it pectore summo
flexilis obtorti per collum circulus auri.
tres equitum numero turmae ternique uagantur
ductores; pueri bis seni quemque secuti
agmine partito fulgent paribusque magistris.
una acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
nomen aui referens Priamus, tua clara, Polite,
progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
portat equus bicolor maculis, uestigia primi
alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
paruus Atys pueroque puer dilectus Iulo.
extremus formaque ante omnis pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido
esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
fertur equis.
excipiunt plausu pauidos gaudentque tuentes
Dardanidae ueterumque agnoscunt ora parentum.
postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
lustrauere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit insonuitque flagello.
olli discurrere pares atque agmina terni

MPRp

558 it **M**^{x} (*correctionem renouauit* **M**^{P}) **adinv** (id **γ**^{1}), *Seru.*, *Tib.* : et **MP**^{x}**Rpωγ** : iet **P** (*ex duplici lectione*) **559** collum it **efhjtvxy** **560** turmae numero **R** **561** ductores *dist.* **M**^{x}**P**^{2} : pueri *dist.* «*quidam*» *ap. Seru.* (*cf. eiusdem adnotationem ad u. 553*) **564** cara **P** (*corr.* **P**^{2}) polite **M**^{x}**P**^{x}**pωγ**, *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 7, 6* : polites **MPR** **566** *post* maculis *fortius distingui uolunt* «*multi*» *ap. Seru., frustra quaerentes unum quemuis equum quo Atys inuehatur* primis **MP** (*corr.* **M**^{x}**P**^{x}) **568** atii **P** (*fide Sabb. et Geym.*), *Seru.* : atyi **M**^{x}**P**^{1} (*in ras.*) **Rp** (attyi **M**) dixere **M**^{x} (*correctio postea erasa*) **a** **569** *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck* **570** formam (*om.* -que) **M**, forma *fortasse* **M**^{x} (-que *add.* **M**^{A}) **573** trinacriis **g?ik**^{2} : trinacrii **PRbknr**, *Seru.*, *Tib.* : trinacriae **M**^{2} (-cree **M**) **P**^{2}**pωγ** : trinacria **a**; Trinacriis … equis *bene congruit cum 565 sq.* Thracius … equus *et 571* Sidonio … equo **577** consessum **M**^{1}**Rωγ**^{1}, *Tib.* : cossensum **M** : concessum **Pγ** : consensum **pav**; *cf. uu. 290 et 340* **579** *ante 578 habent* **Paevγ** (*ord. rest.* **P**^{1}) aepytides **R** **580** ternis **bkγ** (*corr.* **γ**^{1})

diductis soluere choris rursusque uocati
conuertere uias infestaque tela tulere.
inde alios ineunt cursus aliosque recursus
aduersi spatiis, alternosque orbibus orbes
impediunt pugnaeque cient simulacra sub armis;
et nunc terga fuga nudant, nunc spicula uertunt
infensi, facta pariter nunc pace feruntur.
ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
parietibus textum caecis iter ancipitemque
mille uiis habuisse dolum, qua signa sequendi
frangeret indeprensus et inremeabilis error:
haud alio Teucrum nati uestigia cursu
impediunt texuntque fugas et proelia ludo,
delphinum similes, qui per maria umida nando
Carpathium Libycumque secant.
hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
rettulit et priscos docuit celebrare Latinos,
quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes;
Albani docuere suos; hinc maxima porro
accepit Roma et patrium seruauit honorem;
Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.
hac celebrata tenus sancto certamina patri.
    Hinc primum Fortuna fidem mutata nouauit.
dum uariis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem uentosque adspirat eunti,
multa mouens necdum antiquum saturata dolorem.

MPRp

581 deductis **MR** **584** aduersi **MRpz** : aduersis **Pp²ωγ** (auersis **v**), *Tib.* alternisque **Rn**, *Tib.* **586** fug(a)e **ω** (*praeter* **cinrt**) **591** frangeret **PRpbkrtγ**, *Seru.*, *Tib.* : falleret **Mω** (frangeret *i.q. 'falleret' interpr. Seru.*) **592** alio **MPcnγ** : aliter **Rˣpωγ¹**, *Non. 331, 12, Tib.* : alioter **R** (*ex duplici lectione*) nati teucrum **Paeγ** **595** luduntque per undas *post* secant *add.* **Rcexγ¹**, *explic. Tib.* **600** hinc] nunc *Seru. ad Aen. 1, 7* (*cf. Aen. 7, 602*) **602** pueri *dist.* **M²P²** : nunc *dist. edd. aliquot*; «*ut ait Suetonius Tranquillus, lusus ipse … Troia uocatur*» *Seru.* **603** haec **P¹γ** (*corr.* **γ¹**) : ac **cg** **604** hic **Mcijkrvy**, *Seru.*

illa uiam celerans per mille coloribus arcum
nulli uisa cito decurrit tramite uirgo.
conspicit ingentem concursum et litora lustrat
desertosque uidet portus classemque relictam.
at procul in sola secretae Troades acta
amissum Anchisen flebant cunctaeque profundum
pontum aspectabant flentes. heu tot uada fessis
et tantum superesse maris, uox omnibus una;
urbem orant, taedet pelagi perferre laborem.
ergo inter medias sese haud ignara nocendi
conicit et faciemque deae uestemque reponit;
fit Beroe, Tmarii coniunx longaeua Dorycli,
cui genus et quondam nomen natique fuissent,
ac sic Dardanidum mediam se matribus infert.
‘o miserae, quas non manus’ inquit ‘Achaica bello
traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
infelix, cui te exitio Fortuna reseruat?
septima post Troiae excidium iam uertitur aestas,
cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem et uoluimur undis.
hic Erycis fines fraterni atque hospes Acestes:
quis prohibet muros iacere et dare ciuibus urbem?
o patria et rapti nequiquam ex hoste penates,
nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam

MPRp

609 celebrans **Mphrz** (*corr.* **M**^{x}**p**^{2}); *cf. Aen. 4, 641* **611** consessum **M** (*corr.* **M**^{A}) **613** secreta **Mb** **615** spectabant **M** (*corr.* **M**^{A}) flentes *et* heu *dist.* **P**^{2}; «*multi* flentes heu *distinguunt, ut sit ‘miserabiliter flentes’ et a persona dicatur poetae; alii* heu *a mulieribus dictum accipiunt*» *Seru.*; *uerba* heu – maris *a mulieribus pronuntiata uolunt edd. aliquot*; *opinor uero mulierum querelas oratione obliqua elegantius referri: nam facilius expletur ‘ipsis fessis’ quam ‘nobis fessis’* **620** tmarii **Pρωγ**, *Seru.* : tmari **Rp**^{2}**a**, *schol. Ver. ad Aen. 7, 419* : mari **Mbfhr** (immari **M**^{1}) : marii **gijtvwx**, *Tib.* : ismarii **c?** **621** nomen quondam *schol. Ver. ad Aen. 1, 248* **626** exitium **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **628** ferimur] tulimus **R** : ferimus **b** **631** quis **M**^{A}**Pbfghinxγ**, *Tib. ad Aen. 5, 795* : qui **M** : quid **Rρω**, *Tib. hic* **632** et] o *Macrob. 6, 6, 16* (*cf. Aen. 2, 241*) **633** numquam **R**

Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, uidebo?
quin agite et mecum infaustas exurite puppis.
nam mihi Cassandrae per somnum uatis imago
ardentis dare uisa faces: “hic quaerite Troiam,
hic domus est” inquit “uobis.” iam tempus agi res,
nec tantis mora prodigiis. en quattuor arae
Neptuno: deus ipse faces animumque ministrat.’
haec memorans prima infensum ui corripit ignem
sublataque procul dextra conixa coruscat
et iacit. arrectae mentes stupefactaque corda
Iliadum. hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
‘non Beroe uobis, non haec Rhoeteia, matres,
est Dorycli coniunx: diuini signa decoris
ardentisque notate oculos, qui spiritus illi,
qui uultus uocisque sonus uel gressus eunti.
ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
aegram, indignantem tali quod sola careret
munere nec meritos Anchisae inferret honores.’
haec effata.
at matres primo ancipites oculisque malignis
ambiguae spectare rates miserum inter amorem
praesentis terrae fatisque uocantia regna,
cum dea se paribus per caelum sustulit alis
ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
tum uero attonitae monstris actaeque furore
conclamant rapiuntque focis penetralibus ignem,
pars spoliant aras, frondem ac uirgulta facesque
coniciunt. furit immissis Volcanus habenis
transtra per et remos et pictas abiete puppis.

MPRp 644–648 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

634 amnis] manis **M**^{2} : manes **R** : omnes **p** **638** agit **R** **640** neptuni $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) animumque **MPρωγ**, *Tib.* : animamque **Rb** **649** qui **Mρωγ**^{1} : quis **PRabknrvzγ**, *Tib.*; *cf. georg. 1, 3 et Aen. 9, 723* uocisue **ω** (*praeter* **abertv**), *Seru. ad Aen. 6, 50, Tib.* uel] et **Pae** euntis **ω** (*praeter* **bcit**), *Seru. hic* (eunti *DSeru.*) *et ad Aen. 6, 50* **654** malignae **R** («oculisque malignis *pro ‘ipsae malignae’*» *Seru.*) **655** ambigue **Mc** (*corr.* **M**$^{A?}$) expectare **bcr?** **662** immissis] immensis **Rx**

Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
incensas perfert nauis Eumelus, et ipsi
respiciunt atram in nimbo uolitare fauillam.
primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
ducebat, sic acer equo turbata petiuit
castra, nec exanimes possunt retinere magistri.
‘quis furor iste nouus? quo nunc, quo tenditis’ inquit,
‘heu miserae ciues? non hostem inimicaque castra
Argiuum, uestras spes uritis. en, ego uester
Ascanius!’ galeam ante pedes proiecit inanem,
qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
accelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
ast illae diuersa metu per litora passim
diffugiunt siluasque et sicubi concaua furtim
saxa petunt; piget incepti lucisque, suosque
mutatae agnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flamma atque incendia uires
indomitas posuere; udo sub robore uiuit
stuppa uomens tardum fumum, lentusque carinas
est uapor, et toto descendit corpore pestis;
nec uires heroum infusaque flumina prosunt.
tum pius Aeneas umeris abscindere uestem
auxilioque uocare deos et tendere palmas:
‘Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
respicit humanos, da flammam euadere classi
nunc, pater, et tenuis Teucrum res eripe leto;
uel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
si mereor, demitte tuaque hic obrue dextra.’

MPRp 676–681 *habet et* **Π_{10}**

669 neque **pfg** exanimem *Tib.* **670** quo tenditis] contenditis **ab** **674** quam *Tib.* **675** acceperat **R** : accelerant **iγ** (*corr.* **γ^1**), *Tib.* **680** flamma **Pn**, *Tib.* : flammam **MP$^1\gamma$** : flammae **M^2** *ut uid.* (*correctionem renouauit* **M^P**) **Rp$\Pi_{10}\omega\gamma^1$** **685** abscindere **P$\rho\omega\gamma$**, *Seru.*, *Tib.* : excindere **M** : abscidere **R** **687** exosu’s *Ribbeck* **689** flamma **ace** classem **cz?** : classis **pa?dejkwxy** : classes **gi** **692** demitte **Rp^{2}dehrvzγ^1**, *DSeru. ad georg. 1, 189* (*cf. Aen. 2, 398 et 10, 662*) : dimitte **MP$\rho\omega\gamma$**, *Dosith. 423, 22, Tib.* (*utrumque codd. Diom. 418, 20*)

uix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
tempestas sine more furit, tonitruque tremescunt
ardua terrarum et campi: ruit aethere toto
turbidus imber aqua densisque nigerrimus Austris,
implenturque super puppes, semusta madescunt
robora, restinctus donec uapor omnis et omnes
quattuor amissis seruatae a peste carinae.
At pater Aeneas casu concussus acerbo
nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
mutabat uersans, Siculisne resideret aruis
oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
quem docuit multaque insignem reddidit arte
(haec responsa dabat, uel quae portenderet ira
magna deum uel quae fatorum posceret ordo),
isque his Aenean solatus uocibus infit:
'nate dea, quo fata trahunt retrahuntque sequamur;
quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
est tibi Dardanius diuinae stirpis Acestes:
hunc cape consiliis socium et coniunge uolentem,
huic trade amissis superant qui nauibus et quos
pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
longaeuosque senes ac fessas aequore matres
et quidquid tecum inualidum metuensque pericli est
delige, et his habeant terris sine moenia fessi:
urbem appellabunt permisso nomine Acestam.'
Talibus incensus dictis senioris amici

MPRp 704 *inchoat* **m**

695 campis **Mijγ** (*corr.* $\mathbf{M^x}\boldsymbol{\gamma}^1$) : campis *ex* campo $\mathbf{P^1}$ *in ras.*, campo **b?** **706** haec] hac **c?**, *Dietsch* : hic *recc.*; haec, *scil. Pallas, Nautem uatem suum monebat de portentis deorum uel fatorum ordine* **708** isque *redundat, uel potius subiecto per pronomen renouato intermissam orationem redintegrat* (*cf. Aen. 6, 684*; *9, 549*) **710** est *om.* **diwz** **712** consiliis **MPRmpcnrtyγ**, *Tib.* : consilii **ω** **716** est *om.* **afv** (*cf. Aen. 8, 251 et 9, 287*) **717** fessis **Pcx** (*corr.* $\mathbf{P^x}$) **719** accensus **R**

tum uero in curas animum diducitur omnis.
et Nox atra polum bigis subuecta tenebat;
uisa dehinc caelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere uoces:
'nate, mihi uita quondam, dum uita manebat,
care magis, nate Iliacis exercite fatis,
imperio Iouis huc uenio, qui classibus ignem
depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.
consiliis pare quae nunc pulcherrima Nautes
dat senior: lectos iuuenes, fortissima corda,
defer in Italiam. gens dura atque aspera cultu
debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
infernas accede domos et Auerna per alta
congressus pete, nate, meos. non me impia namque
Tartara habent, tristes umbrae, sed amoena piorum
concilia Elysiumque colo. huc casta Sibylla
nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
tum genus omne tuum et quae dentur moenia disces.
iamque uale; torquet medios Nox umida cursus,
et me saeuus equis Oriens adflauit anhelis.'
dixerat et tenuis fugit ceu fumus in auras.
Aeneas 'quo deinde ruis? quo proripis?' inquit,
'quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?'
haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis,
Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
farre pio et plena supplex ueneratur acerra.
    Extemplo socios primumque accersit Acesten

MPRmp 725 *desinit* **m** 734 *desinit* **p** 737 *redit* **m**

720 animum **i²jkvγ¹**, *Probus 253, 17, Seru.* («*Graeca figura*») : animo **MPRmpωγ**, *Tib.*; *accusatiuum agnosce 'mediopassiuum', quo Graecus sermo frequentissime utitur* (*cf. e.g. Aen. 1, 713*; *6, 470*; *8, 265*); *de hoc usu perdiligenter disseruit E. Courtney, «CJ» 99, 2004, 425–431; cf. Conte, 'Critical Notes', 33* diducitur **MPmpcnγ**, *Probus* : deducitur **Rωγ¹**, *Seru.* (*utrumque codd. Tib.*) **722** facies caelo **Rpbcvγ** **731** est latio **P** **733** congressus] complexus **dgwz** **734** tristesue **r**, *Tib.* **739** saeuus] Foebus *Sac. 446, 25* **740** in] ad **P** (*cf. u. 861*), in ad **γ** (*corr.* **γ¹**); *cf. georg. 4, 499* **746** accersit **MRωγ¹** : arcessit **Pmaefgrγ**, *Tib.*; *cf. Aen. 6, 119*

et Iouis imperium et cari praecepta parentis
edocet et quae nunc animo sententia constet.
haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes:
transcribunt urbi matres populumque uolentem
deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
ipsi transtra nouant flammisque ambesa reponunt
robora nauigiis, aptant remosque rudentisque,
exigui numero, sed bello uiuida uirtus.
interea Aeneas urbem designat aratro
sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam
esse iubet; gaudet regno Troianus Acestes
indicitque forum et patribus dat iura uocatis.
tum uicina astris Erycino in uertice sedes
fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata nouem gens omnis, et aris
factus honos: placidi strauerunt aequora uenti,
creber et adspirans rursus uocat Auster in altum.
exoritur procurua ingens per litora fletus;
complexi inter se noctemque diemque morantur.
ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
uisa maris facies et non tolerabile nomen,
ire uolunt omnemque fugae perferre laborem;
quos bonus Aeneas dictis solatur amicis
et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
tris Eryci uitulos et Tempestatibus agnam
caedere deinde iubet soluique ex ordine funem;
ipse caput tonsae foliis euinctus oliuae

MPRm 758 *desinit* **m**

751 deponunt *dist.* **M**^{x}**P**^{2}; *hic distinguendum aut* deponunt animos *iungendum esse censet Seru.* **752** flammis (*om.* -que) *Tib.* **753** nauigiis *dist.* **M**^{A}, «*melius*» *iudice Seru.* : robora *dist.* **P**^{2} **756** troiam **MPRmchikrγ**, *Tib.* : troiae **b?t** : troia **ω** **757** gaudet – Acestes *parenthesin fecit Rivero* **761** additur **MRωγ**^{1}, *DSeru. ad Aen. 3, 302, Tib.* : additus **Pbrγ** **764** rursus] cursus *coniecit Ribbeck cl. Aen. 3, 269* **767** ipsi] ipse **P** (*fide Sabb. et Geym.*; *corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) : ipsae *Non. 307, 35* **768** nomen **Mb**, *Non.* : numen **M**^{A}**Pωγ**, *Seru. ad Aen. 6, 560, Tib.* : caelum **R** (*cf. Aen. 4, 53*) **772** agnos **M**

stans procul in prora pateram tenet extaque salsos
proicit in fluctus ac uina liquentia fundit.
778 certatim socii feriunt mare et aequora uerrunt;
777 prosequitur surgens a puppi uentus euntis.
    At Venus interea Neptunum exercita curis
adloquitur talisque effundit pectore questus:
'Iunonis grauis ira neque exsaturabile pectus
cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis;
quam nec longa dies pietas nec mitigat ulla,
nec Iouis imperio fatisque infracta quiescit.
non media de gente Phrygum exedisse nefandis
urbem odiis satis est nec poenam traxe per omnem
reliquias Troiae: cineres atque ossa peremptae
insequitur. causas tanti sciat illa furoris.
ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis
quam molem subito excierit: maria omnia caelo
miscuit Aeoliis nequiquam freta procellis,
in regnis hoc ausa tuis.
per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
exussit foede puppis et classe subegit
amissa socios ignotae linquere terrae.
quod superest, oro, liceat dare tuta per undas

MPR 784 *redit* **F**

775 procul in prora] celsa in puppi **fghijkvxy**, *Tib. in interpr.* (*cf. Aen. 3, 527; 8, 680 et 10, 261*) **776** porricit *edd. ueteres, Heinsius*; *cf. u. 238* ac] et **dhjktvwxz** **778** (= *Aen. 3, 290*) *ante 777* (= *Aen. 3, 130*) *habent* **Paefγ** : *inuerso ordine* **MRω**, *Tib.* : *u. 777 del. Günther*, «*Hermes*» *124, 1996, 206 sq.*, *u. 778 del. Reeve ap. Goold*; *Troiani primo portum linquunt remigio acti, deinde, cum in altum uenerint, uentus eos propellit nauigantes* (prosequitur … euntis); *Vergilius imitari uidetur Hom. Od. 12, 144 sqq., ubi nauigationis progressio similiter describitur* (*uide E. Berti,* «*MD*» *59, 2007, 201–206*) **780** questus] uoces *Seru.* (*ex u. 482*) **781** neque **M**^{2}**Pωγ**^{1}, *Tib.* : nec **MRc?djkwxyzγ** **782** in] ad *Seru.* **784** fatisque **MPRaefrt**, *Tib. in lemm.* : fatisue **Fωγ**, *Tib. in interpr.* **785** excedisse **F** (excidisse **w**) **786** traxe **F**^{x}**M**^{x}**P**^{x}**Rωγ**^{1} : traxere **FPb?r**, *Tib.* : traxisse **F**^{2}**Mdtwzγ** omnis **P** (*corr.* **P**^{1}), omnes **b?γ** **787** Troiae *dist.* **M**^{x} : reliquias Troiae *sequentibus iungit Tib., post 786* omnem *distinctione facta* **794** excussit **MPkzγ** (*corr.* **M**^{x}**P**^{x}**γ**^{1}) **795** ignotae **FPωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : ignota **MP**^{1}**Rfγ** relinquere **P**^{1} (*ex* ignotaelinquere, r *interposita*) **f?gγ** terrae **FPRω**, *Tib.* : terra **MP**^{x} : terret **γ**

uela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim,
si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.'
tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
'fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
unde genus ducis. merui quoque: saepe furores
compressi et rabiem tantam caelique marisque.
nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui: cum Troia Achilles
exanimata sequens impingeret agmina muris,
milia multa daret leto, gemerentque repleti
amnes nec reperire uiam atque euoluere posset
in mare se Xanthus, Pelidae tunc ego forti
congressum Aenean nec dis nec uiribus aequis
nube caua rapui, cuperem cum uertere ab imo
structa meis manibus periurae moenia Troiae.
nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timores.
tutus, quos optas, portus accedet Auerni.
unus erit tantum amissum quem gurgite quaeres;
unum pro multis dabitur caput.'
his ubi laeta deae permulsit pectora dictis,
iungit equos auro genitor spumantiaque addit
frena feris manibusque omnis effundit habenas.
caeruleo per summa leuis uolat aequora curru;
subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti
sternitur aequor aquis, fugiunt uasto aethere nimbi.
tum uariae comitum facies, immania cete,
et senior Glauci chorus Inousque Palaemon
Tritonesque citi Phorcique exercitus omnis;

FMPR 814 *desinit* **F**

805 inmitteret **F** (*corr.* **F**^{c}) **806** dares **P** (*corr.* **P**^{1}) : darent **R** **807** atque] neque **Pe** : qua *GLK V, 523, 3* possit **cdfghit?w**, *GLK V, 523, 4* **810** eripui **F**^{2}**i** euertere **Pγ** **811** periturae **FM** (*corr.* **F**^{2}**M**^{x}) **812** timores **F**^{2}**PRωγ**, *Tib.* : timorem **FMc** **814** quaeres **F**^{2}**MPRωγ**, *Seru.* : quaeris **FM**^{x} : quaeret *Tib.* **821** equis **Mbg** (*corr.* **M**^{x}) **824** *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck, qui iniuria desiderat comitantes a dextro latere nominari; at nihil deest, nam* laeua tenet *idem ualet ac 'dextrum latus praebet', ut reuerentia significetur*

laeua tenet Thetis et Melite Panopeaque uirgo,
Nisaee Spioque Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae suspensam blanda uicissim
gaudia pertemptant mentem; iubet ocius omnis
attolli malos, intendi bracchia uelis.
una omnes fecere pedem pariterque sinistros,
nunc dextros soluere sinus; una ardua torquent
cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.
princeps ante omnis densum Palinurus agebat
agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.
iamque fere mediam caeli Nox umida metam
contigerat, placida laxabant membra quiete
sub remis fusi per dura sedilia nautae,
cum leuis aetheriis delapsus Somnus ab astris
aëra dimouit tenebrosum et dispulit umbras,
te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
insonti; puppique deus consedit in alta
Phorbanti similis funditque has ore loquelas:
‘Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem,
aequatae spirant aurae: datur hora quieti.
pone caput fessosque oculos furare labori.
ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.’
cui uix attollens Palinurus lumina fatur:
‘mene salis placidi uultum fluctusque quietos
ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam (quid enim?) fallacibus auris,
et caeli totiens deceptus fraude sereni?’

MPR

825 tenet **Mωγ**^{1} : tenent **Pbcenrtγ**, *Tib.* (tent **R**); *item uariant codd. Seru.* **829** uelis **Pωγ**, *Tib.* : remis **MRn** (*e u. 136*) **834** cursu *Tib. hic* (*sed* cursum *ad Aen. 3, 205*) **836** laxarant **ω** (*praeter* **bnrt**; -runt **c**, -rent **v**) **837** remos **M**^{2} sedilia] silentia **P** (*corr.* **P**^{2}) **838** dilapsus **cdehitw** **843** ipsa aequora] sua flamina **M** (*e u. 832*), flamina *supscr.* **P**^{2} (*correctio postea erasa*) **849** meue *Tib.* **850** fallacibus auris *et* fallacius austris *Tib. in interpr.* (*om. in lemm.*) auris **MRω** (auri **P**), *Seru.* : austris **P**^{1}**dhntvwxγ**, *Prisc. 7, 4* **851** et] heu *Reeve per litteras* caeli **MP**$^{2?}$**Rωγ**^{1}, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 5, 7,* «*alii*» *ap. DSeru.* : caelo **Pcγ**, *Seru.*, *Tib.* sereno **cγ** (*corr.* **γ**^{1})

talia dicta dabat, clauumque adfixus et haerens
nusquam amittebat oculosque sub astra tenebat.
ecce deus ramum Lethaeo rore madentem
uique soporatum Stygia super utraque quassat
tempora cunctantique natantia lumina soluit.
uix primos inopina quies laxauerat artus,
et super incumbens cum puppis parte reuulsa
cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
praecipitem ac socios nequiquam saepe uocantem;
ipse uolans tenuis se sustulit ales ad auras.
currit iter tutum non setius aequore classis
promissisque patris Neptuni interrita fertur.
iamque adeo scopulos Sirenum aduecta subibat,
difficilis quondam multorumque ossibus albos
(tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant),
cum pater amisso fluitantem errare magistro
sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
multa gemens casuque animum concussus amici:
'o nimium caelo et pelago confise sereno,
nudus in ignota, Palinure, iacebis harena.'

MPR

852 dicta dabat] dictabat **Pcfgz** clauoque **M** (*corr.* **M**^{A}) **860** saepe] uoce **M** (*cf. Aen. 12, 638*) **861** ad **MRω** : in **Pgrzγ**, *Tib.*; *cf. u. 740*

LIBER VI

Sic fatur lacrimans classique immittit habenas
et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
obuertunt pelago proras; tum dente tenaci
ancora fundabat nauis et litora curuae
praetexunt puppes. iuuenum manus emicat ardens
litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae
abstrusa in uenis silicis, pars densa ferarum
tecta rapit siluas inuentaque flumina monstrat.
at pius Aeneas arces quibus altus Apollo
praesidet horrendaeque procul secreta Sibyllae,
antrum immane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat uates aperitque futura.
iam subeunt Triuiae lucos atque aurea tecta.
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
praepetibus pinnis ausus se credere caelo,
insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos
Chalcidicaque leuis tandem super adstitit arce.
redditus his primum terris tibi, Phoebe, sacrauit
remigium alarum posuitque immania templa.
in foribus letum Androgeo; tum pendere poenas
Cecropidae iussi (miserum!) septena quotannis
corpora natorum; stat ductis sortibus urna.

MPR

1–2 «*sciendum sane Tuccam et Varium hunc finem quinti esse uoluisse* (*Aen. 5, 871*)*; nam a Vergilio duo uersus sequentes* (*6, 1–2*) *huic iuncti fuerunt; unde in nonnullis antiquis codicibus sexti initium est* obuertunt – tenaci (*6, 3*)» *Seru. ad Aen. 5, 871*; «*sane sciendum, licet primos duos uersus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos*» *Seru.*; *in finem libri V transp. Bothe et Ribbeck, sed cf. Hom. Il. 7, 1, Od. 13, 1*; *uide M. Bandini,* «*A&R*» *n.s. 36, 1991, 96–99* **17** arcaem **M** (*corr.* **M**^{x}) : arca **R** **20** androgeo **ω**, *Seru. hic* («*secundum Atticam linguam genetiuus singularis Graecus est*») *et ad Aen. 2, 371, DSeru. ad Aen. 2, 392, Gramm.* : androgei **MPRb?dehrwzγ**, «*aliqui*» *ap. Probum 227, 32, Seru. ad Aen. 1, 505, Tib.* (*cf. Aen. 2, 392*) : androge **f**

contra elata mari respondet Cnosia tellus:
hic crudelis amor tauri suppostaque furto
Pasiphae mixtumque genus prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae,
hic labor ille domus et inextricabilis error;
magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resoluit,
caeca regens filo uestigia. tu quoque magnam
partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes:
bis conatus erat casus effingere in auro,
bis patriae cecidere manus. quin protinus omnia
perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
adforet atque una Phoebi Triuiaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
'non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;
nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
praestiterit, totidem lectas ex more bidentis.'
talibus adfata Aenean (nec sacra morantur
iussa uiri) Teucros uocat alta in templa sacerdos.
  Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,
quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
unde ruunt totidem uoces, responsa Sibyllae.
uentum erat ad limen, cum uirgo 'poscere fata
tempus' ait; 'deus, ecce deus!' cui talia fanti
ante fores subito non uultus, non color unus,
non comptae mansere comae, sed pectus anhelum,
et rabie fera corda tument, maiorque uideri
nec mortale sonans, adflata est numine quando
iam propiore dei. 'cessas in uota precesque,

MPR 26 *redit* **F** 39 *redit* **m** 50 *desinit* **F**

23 cnosia **P** : gnosia **MRωγ**, *Tib.* **33** omne **Raeghz** : omnem **b?ikx**, *Seru.* **34** pelligerent *Scaurus 26, 9 et fortasse Quint. 8, 3, 25* (pollicerent *codd.* : porricere *Haupt* : pelligerent *Sabbadini*) **37** poscit **FPωγ**, *ps. Acro ad Hor. epod. 16, 59, Tib.*, *Prisc. 17, 59*, *probat Seru.* : poscunt **MRn** **38** intacto] niueo *Macrob. 3, 5, 5* **39** ex **Fc** (*cf. Aen. 5, 244 et 8, 186*) : de **MPRmωγ**, *Macrob.*, *Seru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 4, 57*; *5, 96 et 8, 544*) **50** adfata **Mm** (*corr.* **M²m²**) : athata *ut uid.* **F** (*corr.* **F²**) **51** deo **cekrv**

Tros' ait 'Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
attonitae magna ora domus.' et talia fata
conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit
ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
'Phoebe, grauis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis derexti tela manusque
corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
tot maria intraui duce te penitusque repostas
Massylum gentis praetentaque Syrtibus arua;
iam tandem Italiae fugientis prendimus oras:
hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
uos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
gloria Dardaniae. tuque, o sanctissima uates,
praescia uenturi, da (non indebita posco
regna meis fatis) Latio considere Teucros
errantisque deos agitataque numina Troiae.
tum Phoebo et Triuiae solido de marmore templum
instituam festosque dies de nomine Phoebi.
te quoque magna manent regnis penetralia nostris:
hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
dicta meae genti ponam lectosque sacrabo,
alma, uiros. foliis tantum ne carmina manda,
ne turbata uolent rapidis ludibria uentis:
ipsa canas oro.' finem dedit ore loquendi.
At Phoebi nondum patiens immanis in antro
bacchatur uates, magnum si pectore possit
excussisse deum; tanto magis ille fatigat
os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
ostia iamque domus patuere ingentia centum
sponte sua uatisque ferunt responsa per auras:
'o tandem magnis pelagi defuncte periclis,

MPRm 57 *desinit* **m** 73 *redit* **m**

57 derexti **n** (*idem coniecit Ribbeck*) : direxti *cett.* (directi **R**) **67** consistere **R** (*cf. Aen. 8, 10*) **69** templum **MRhkn**, *Seru. ad Aen. 3, 274* : templa **Pωγ**, *Tib.* **70** constituam **R**, *Seru. ad Aen. 3, 274* **78** posset **R**

sed terrae grauiora manent; in regna Lauini
Dardanidae uenient (mitte hanc de pectore curam),
sed non et uenisse uolent. bella, horrida bella,
et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra
defuerint; alius Latio iam partus Achilles,
natus et ipse dea; nec Teucris addita Iuno
usquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis
quas gentis Italum aut quas non oraueris urbis!
causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris
externique iterum thalami.
tu ne cede malis, sed contra audentior ito
qua tua te Fortuna sinet. uia prima salutis,
quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.'
    Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
horrendas canit ambages antroque remugit,
obscuris uera inuoluens: ea frena furenti
concutit et stimulos sub pectore uertit Apollo.
ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,
incipit Aeneas heros: 'non ulla laborum,
o uirgo, noua mi facies inopinaue surgit;
omnia praecepi atque animo mecum ante peregi.
unum oro: quando hic inferni ianua regis
dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
ire ad conspectum cari genitoris et ora
contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.
illum ego per flammas et mille sequentia tela
eripui his umeris medioque ex hoste recepi;
ille meum comitatus iter maria omnia mecum

MPRm 90 *desinit* **m**

84 terrae **MPmntγ**, *Seru. ad Aen. 7, 117 et 304* : terra **Rm^{2}ωγ^{1}**, *Tib.*; *utrumque agnoscit Seru. hic* («sed terra: *legitur et* terrae, *unum* [*i.e. par*] *tamen est*») Lauini] Latini «*alii*» *ap. Seru.* **96** qua **b^{2}**, *Bentley* (*cf. Aen. 2, 387*) : quam **MPRωγ**, *codd. Sen. ep. 82, 18*, *Seru.*, *Tib.* **102** rapida **Rgzγ** (*corr.* **γ^{1}**) **105** praecepi **MPω** (-cipi **Rkγ**), *Sen. ep. 76, 33*, *Non. 372, 17*, *DSeru. ad Aen. 11, 491*, *Tib.* : percepi **bnrxzγ^{1}** (*uariant codd. Seru. hic et ad Aen. 4, 419*) **109** contingam **PRγ** (*corr.* **γ^{1}**)

atque omnis pelagique minas caelique ferebat,
inualidus, uiris ultra sortemque senectae.
quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem,
idem orans mandata dabat. gnatique patrisque,
alma, precor, miserere (potes namque omnia, nec te
nequiquam lucis Hecate praefecit Auernis),
si potuit manis accersere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara fidibusque canoris,
si fratrem Pollux alterna morte redemit
itque reditque uiam totiens. quid Thesea magnum,
quid memorem Alciden? et mi genus ab Ioue summo.'
Talibus orabat dictis arasque tenebat,
cum sic orsa loqui uates: 'sate sanguine diuum,
Tros Anchisiade, facilis descensus Auerno:
noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
hoc opus, hic labor est. pauci, quos aequus amauit
Iuppiter aut ardens euexit ad aethera uirtus,
dis geniti potuere. tenent media omnia siluae,
Cocytusque sinu labens circumuenit atro.
quod si tantus amor menti, si tanta cupido est
bis Stygios innare lacus, bis nigra uidere
Tartara, et insano iuuat indulgere labori,
accipe quae peragenda prius. latet arbore opaca
aureus et foliis et lento uimine ramus,

MPR

113 caelique minas pelagique **M** **115** et **MP²acenrt?γ**, *Tib.* : *om.* **PRωγ¹** **119** si potuit] *protasis, cuius apodosis est 117* miserere (*re uera Orpheus et Pollux miserationem consecuti sunt*) : *alii distinctione mutata apodosin subaudiendam putant, uel 123* et mi genus ab Ioue summo *faciunt* accersere **MRacγ**, *Char. 227, 7, Macrob. 4, 5, 2–3* : arcersere **P¹** *in ras.* (*ex* accersere, *fide Sabb. et Geym.*) : arcessere **ωγ¹**, *Seru.*, *Tib.*, *Gramm.*, *Isid. 1, 37, 35*; *cf. Aen. 5, 746* **122** magnum *dist.* **Mˣ**, «*quidam*» *ap. Seru.* : Thesea *dist.* **P²**, «*melius*» *iudice Seru.*; *anaphora suadet ut interrogandi particula* quid *prima in sede bis emineat* (*cf. e.g. Aen. 8, 483*) **126** auerno **MPbnrx**, *schol. Bern. ad buc. 5, 6, Tib.* (auerno est **M²**) : auerni **P²Rωγ**; *utrumque agnoscit Seru.* **132** cocytusque **PR**, *Seru.*, *Tib.* : cocytosque **M** sinu] simul **fgj** circumfluit *Seru.* **133** est **MRωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 7, 263*) : *om.* **MˣPn**

Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis
lucus et obscuris claudunt conuallibus umbrae.
sed non ante datur telluris operta subire
auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.
hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
instituit; primo auulso non deficit alter
aureus, et simili frondescit uirga metallo.
ergo alte uestiga oculis et rite repertum
carpe manu; namque ipse uolens facilisque sequetur,
si te fata uocant; aliter non uiribus ullis
uincere nec duro poteris conuellere ferro.
praeterea iacet exanimum tibi corpus amici
(heu nescis) totamque incestat funere classem,
dum consulta petis nostroque in limine pendes.
sedibus hunc refer ante suis et conde sepulcro.
duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.
sic demum lucos Stygis et regna inuia uiuis
aspicies.' dixit pressoque obmutuit ore.
Aeneas maesto defixus lumina uultu
ingreditur, linquens antrum, caecosque uolutat
euentus animo secum; cui fidus Achates
it comes et paribus curis uestigia figit.
multa inter sese uario sermone serebant,
quem socium exanimem uates, quod corpus humandum
diceret. atque illi Misenum in litore sicco,
ut uenere, uident indigna morte peremptum,
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter
aere ciere uiros Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum

MPR

139 plaudunt **R** **141** quis **PRωγ**, *Tib.* : qui **Mk** discerpserit **dghijkwyz** **144** similis **M** **147** non] nec **R** **154** sic] tum *Tib.* stygis **M**^{P} (*ut uid.*) **Pnt**, *Seru.* (?) : stygiis **MRγ** : stygios **P**^{1}**ωγ**^{1} (*om. Tib.*) et *om.* **ω** (*praeter* **abcdntw**) **156** deflexus *ut uid.* **P** (*corr.* **P**^{x}) **159** fixit **M** (*corr.* **M**^{2}) **160** ferebant **n**, *Tib.* **161** exanimem **M** : exanimum **PRωγ**, *Tib.*, *Prisc. 18, 93* **165** «Martemque accendere cantu: *hemistichium hoc dicitur addidisse dum recitat*» *Seru.* (*similiter narrat uita Don. 34*)

et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
postquam illum uita uictor spoliauit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
addiderat socium, non inferiora secutus.
sed tum, forte caua dum personat aequora concha,
demens, et cantu uocat in certamina diuos,
aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
inter saxa uirum spumosa immerserat unda.
ergo omnes magno circum clamore fremebant,
praecipue pius Aeneas. tum iussa Sibyllae,
haud mora, festinant flentes aramque sepulcri
congerere arboribus caeloque educere certant.
itur in antiquam siluam, stabula alta ferarum;
procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
fraxineaeque trabes, cuneis et fissile robur
scinditur, aduoluunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
hortatur socios paribusque accingitur armis.
atque haec ipse suo tristi cum corde uolutat,
aspectans siluam immensam, et sic forte precatur:
'si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
ostendat nemore in tanto! quando omnia uere
heu nimium de te uates, Misene, locuta est.'
uix ea fatus erat, geminae cum forte columbae
ipsa sub ora uiri caelo uenere uolantes
et uiridi sedere solo. tum maximus heros
maternas agnouit aues laetusque precatur:
'este duces, o, si qua uia est, cursumque per auras

MPR

177 sepulc(h)ri **MRωγ¹**, *Non. 298, 15, Seru.* («aramque sepulcri *pyram dicit, quae in modum arae construi lignis solebat*»); *cf. Sil. 15, 387 sq.* : sepulchro **Pab?rγ**, *Tib.*; «*Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt*» *Seru.* **182** ac uoluunt **ehijkuvwxz** **186** forte] uoce **R** (*cf. Aen. 9, 403 et 11, 784*) : ore *recc.*; «*uacat* forte *et est uersus de his qui tibicines uocantur, quibus datur aliquid ad solam metri sustentationem*» *Seru.*; forte *i.e. subita ac fortuita cogitatione occupatus* **193** agnouit **Ma**, *Seru. ad Aen. 1, 393* (*cf. u. 498 et Aen. 10, 874*) : a(d)gnoscit **PRωγ**, *Tib.*

derigite in lucos, ubi pinguem diues opacat
ramus humum. tuque, o, dubiis ne defice rebus,
diua parens.’ sic effatus uestigia pressit
obseruans quae signa ferant, quo tendere pergant:
pascentes illae tantum prodire uolando,
quantum acie possent oculi seruare sequentum.
inde ubi uenere ad fauces graue olentis Auerni,
tollunt se celeres liquidumque per aëra lapsae
sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
discolor unde auri per ramos aura refulsit.
quale solet siluis brumali frigore uiscum
fronde uirere noua, quod non sua seminat arbos,
et croceo fetu teretis circumdare truncos,
talis erat species auri frondentis opaca
ilice, sic leni crepitabat brattea uento.
corripit Aeneas extemplo auidusque refringit
cunctantem et uatis portat sub tecta Sibyllae.
    Nec minus interea Misenum in litore Teucri
flebant et cineri ingrato suprema ferebant.
principio pinguem taedis et robore secto
ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
intexunt latera et feralis ante cupressos
constituunt decorantque super fulgentibus armis.
pars calidos latices et aëna undantia flammis
expediunt corpusque lauant frigentis et unguunt.
fit gemitus; tum membra toro defleta reponunt
purpureasque super uestes, uelamina nota,
coniciunt. pars ingenti subiere feretro,
triste ministerium, et subiectam more parentum

MPR 219 *redit* **F**

195 derigite **PRi**$\boldsymbol{\gamma}$: dirigite **M**$\boldsymbol{\omega\gamma}^{1}$, *Non. 251, 18*, *DSeru. ad Aen. 1, 398*, *Tib.* **197–198** sic – obseruans *om.* **P** (*add. man. antiqua*) **198–199** pergant *dist. Tib.* : pascentes *dist.* **M**^{x}**P**^{2}; «*multi* pascentes *distinguunt et absolutus est sensus; alii dicunt* pascentes uolando» *Seru.* **200** acies **M** (*corr.* **M**^{2}) sequentur **P** (*corr.* **P**^{2}) **203** geminae **R** (*cf. u. 190*) **204** auri] auro **Rw**, *Prisc. part. 205* **209** crepitabant $\boldsymbol{\omega}$ (*praeter* **dnw**) $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **223** subiecta **FP**^{x}**a**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$ (*corr.* **F**$^{2}\boldsymbol{\gamma}^{2}$)

auersi tenuere facem. congesta cremantur
turea dona, dapes, fuso crateres oliuo.
postquam conlapsi cineres et flamma quieuit,
reliquias uino et bibulam lauere fauillam,
ossaque lecta cado texit Corynaeus aëno.
idem ter socios pura circumtulit unda
spargens rore leui et ramo felicis oliuae,
lustrauitque uiros dixitque nouissima uerba.
at pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
imponit suaque arma uiro remumque tubamque
monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
spelunca alta fuit uastoque immanis hiatu,
scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris,
quam super haud ullae poterant impune uolantes
tendere iter pinnis: talis sese halitus atris
faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
[unde locum Grai dixerunt nomine Aornum.]
quattuor hic primum nigrantis terga iuuencos
constituit frontique inuergit uina sacerdos
et summas carpens media inter cornua saetas
ignibus imponit sacris, libamina prima,
uoce uocans Hecaten caeloque Ereboque potentem.
supponunt alii cultros tepidumque cruorem
succipiunt pateris. ipse atri uelleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, uaccam;

FMPR

224 faces **P^{x}** *in ras.* (*ex* facem, *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ^{1}**) **225** dapes] ferunt **P^{1}** *in ras.* (*ex* dapes) : feruent **P^{2}** : dape ferunt **γ** (*cf. Aen. 5, 101 al.*) **231** uiros **FMP^{2}ωγ** : domos **PRabr** (domus *Tib.*) **241** supera **FM^{A}P^{1}ωγ**, *Non. 14, 14, Tib.* : super **MPR**; *cf. uu. 750 et 787, Aen. 7, 562 et 10, 251* **242** *om.* **FMPω**, *Tib.* : *habent hic* **Rbkx**, *ante u. 241* **aγ** (*cf. Prisc. perieg. 1056*) aornum **kγ** : auernum **Rabx** : aornon *ed. Aldina an. 1501* **243** primus **M** **249** succipiunt **FPbtγ^{1}**, *Seru.* (*«antique, nam modo 'suscipiunt' dicimus»*) : suscipiunt **MRωγ**, *Tib.*; *cf. Aen. 1, 175*

tum Stygio regi nocturnas incohat aras
et solida imponit taurorum uiscera flammis,
pingue super oleum fundens ardentibus extis.
ecce autem primi sub limina solis et ortus
sub pedibus mugire solum et iuga coepta moueri
siluarum, uisaeque canes ululare per umbram
aduentante dea. ‘procul o, procul este, profani’
conclamat uates, ‘totoque absistite luco;
tuque inuade uiam uaginaque eripe ferrum:
nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.’
tantum effata furens antro se immisit aperto;
ille ducem haud timidis uadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes
et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
sit mihi fas audita loqui, sit numine uestro
pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram
perque domos Ditis uacuas et inania regna:
quale per incertam lunam sub luce maligna
est iter in siluis, ubi caelum condidit umbra
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
uestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus
et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,
terribiles uisu formae, Letumque Labosque;

FMPR 272 *desinit* **F**

254 super *recc.* : superque *codd.*, *schol. Ver. ad Aen. 9, 402*, *quo recepto post hunc uersum lac. statuit Ribbeck*; -que *metri causa additum* (*cf. Aen. 1, 668*) infundens **M** **255** limina **FMaghjz?** (*cf. Catull. 64, 271*) : lumina **PRωγ** (lumine **b**), *Char. 236, 9*, *schol. Bern. ad georg. 1, 67*, *Seru.*, *Tib.* **256** coepta] celsa *Sen. nat. 6, 13, 5* **265** tacentia **FMP** (t. late loca nocte, *ord. rest.* **P**^{x} *et denuo man. rec.*, *quae etiam* tacentia *ex* silentia *restituit*) **Rabcnrγ**^{1} (loca – late *om.* **γ**), *Tib.* : silentia **M**^{2} (*in mg.*) **P**^{2}**ωγ**^{2}, *Seru.* **267** altas **M** (-que *supscr.* **M**$^{1?}$, *correctio postea erasa*; s *exp.* **M**^{P} *ut uid.*) **268** obscura soli **γ** (*corr.* **γ**^{1}) umbras **ω** (*praeter* **abcn**) **γ**^{1} (*cf. u. 461 al.*) **270** incertam **F**^{2} (-tum **F**) **MPRωγ**, *Non. 345, 30*, «*alii*» *ap. Seru.*, *DSeru. ad georg. 2, 179 et ad Aen. 3, 203*, *Tib.* : inceptam **abegikuvx**, *Seru.* **273** primis (*om.* -que) **Pcγ** **276** *ante 275 habet Sac. 458, 27–28*

tum consanguineus Leti Sopor et mala mentis
Gaudia mortiferumque aduerso in limine Bellum
ferreique Eumenidum thalami et Discordia demens,
uipereum crinem uittis innexa cruentis.
in medio ramos annosaque bracchia pandit
ulmus opaca ingens, quam sedem Somnia uulgo
uana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
multaque praeterea uariarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes
et centumgeminus Briareus ac belua Lernae
horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.
corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas strictamque aciem uenientibus offert,
et ni docta comes tenuis sine corpore uitas
admoneat uolitare caua sub imagine formae,
inruat et frustra ferro diuerberet umbras.
    Hinc uia Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
turbidus hic caeno uastaque uoragine gurges
aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.
portitor has horrendus aquas et flumina seruat
terribili squalore Charon, cui plurima mento
canities inculta iacet, stant lumina flamma,
sordidus ex umeris nodo dependet amictus.
ipse ratem conto subigit uelisque ministrat
et ferruginea subuectat corpora cumba,

MPR

281 innixa **Rb** **288** stridens *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Tib.*; *utrum hic distinguendum an* horrendum stridens *inferioribus iungendum quaerit DSeru.* **289** «*sane quidam dicunt uersus alios hos a poeta hoc loco relictos, qui ab eius emendatoribus sublati sint:* Gorgonis in medio portentum inmane Medusae, / uipereae circum ora comae cui sibila torquent / infamesque rigent oculi, mentoque sub imo / serpentum extremis nodantur uincula caudis» *DSeru.*; *hos uersus Vergilium ipsum deleuisse et in eorum locum uu. 282–289 postea suffecisse suspicatus est Sabbadini* **297** cocyti **ω** (*praeter* **ejkntuv**); «Cocyto … *'in Cocytum'*» *Seru.* **300** flamma **M**^{A}**Pjnrt**, *Seru. ad buc. 7, 53, ad Aen. 1, 646 et 6, 22*, *DSeru. ad Aen. 2, 333*, *Tib.* : flammae **MP**$^{2?}$**Rωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 1, 9, 1*, *DSeru. ad Aen. 1, 646* **301** dependit **aeuv** **303** subiectat **P** (*corr.* **P**$^{2?}$)

iam senior, sed cruda deo uiridisque senectus.
huc omnis turba ad ripas effusa ruebat:
matres atque uiri defunctaque corpora uita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
impositique rogis iuuenes ante ora parentum:
quam multa in siluis autumni frigore primo
lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
quam multae glomerantur aues, ubi frigidus annus
trans pontum fugat et terris immittit apricis.
stabant orantes primi transmittere cursum
tendebantque manus ripae ulterioris amore;
nauita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
ast alios longe summotos arcet harena.
Aeneas miratus enim motusque tumultu
'dic' ait, 'o uirgo, quid uult concursus ad amnem?
quidue petunt animae? uel quo discrimine ripas
hae linquunt, illae remis uada liuida uerrunt?'
olli sic breuiter fata est longaeua sacerdos:
'Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta uides Stygiamque paludem,
di cuius iurare timent et fallere numen.
haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
portitor ille Charon; hi, quos uehit unda, sepulti.
nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
transportare prius quam sedibus ossa quierunt.
centum errant annos uolitantque haec litora circum;
tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.'
constitit Anchisa satus et uestigia pressit
multa putans sortemque animo miseratus iniquam.
cernit ibi maestos et mortis honore carentis
Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten,

MPR

304 deo] adeo *ingeniose sed inaniter coniecit West ad Hes. op. 705* **320** liquida **R** uertunt **Px** **326** *ante 325 transp. Ribbeck* **328** quierint **efgnz** **332** animi (*cf. Aen. 10, 686*) **M** (*corr. ut uid.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) miseratur **xγ** (*corr.* **γ**^{1}) **334** oronten **P** : orontem **MR**, *Seru. ad Aen. 1, 115*, *Tib.*, *Prisc. 7, 50*; *cf. Aen. 1, 113*

quos simul a Troia uentosa per aequora uectos
obruit Auster, aqua inuoluens nauemque uirosque.
    Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
qui Libyco nuper cursu, dum sidera seruat,
exciderat puppi mediis effusus in undis.
hunc ubi uix multa maestum cognouit in umbra,
sic prior adloquitur: ‘quis te, Palinure, deorum
eripuit nobis medioque sub aequore mersit?
dic age; namque mihi, fallax haud ante repertus,
hoc uno responso animum delusit Apollo,
qui fore te ponto incolumem finisque canebat
uenturum Ausonios. en haec promissa fides est?’
ille autem: ‘neque te Phoebi cortina fefellit,
dux Anchisiade, nec me deus aequore mersit.
namque gubernaclum multa ui forte reuulsum,
cui datus haerebam custos cursusque regebam,
praecipitans traxi mecum. maria aspera iuro
non ullum pro me tantum cepisse timorem,
quam tua ne spoliata armis, excussa magistro,
deficeret tantis nauis surgentibus undis.
tris Notus hibernas immensa per aequora noctes
uexit me uiolentus aqua; uix lumine quarto
prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,
ni gens crudelis madida cum ueste grauatum
prensantemque uncis manibus capita aspera montis
ferro inuasisset praedamque ignara putasset.

MPR

335 a] ab **Pgz** (*corr.* **P**^{x}) **336** Auster *dist. Seru.* : aqua *dist.* **M**^{x}**P**^{2} uirumque **P**^{1} (uiruque **P**, *corr.* **P**^{2}) **348** nec me *dist.* **P**^{2}, *Seru.* (*«hic distinguendum, ne sit contrarium: nam eum Somnus deiecit»*), *Tib.*; *re uera discrepant uerba Palinuri a narratione in Aen. 5, 835 sqq.* **349** ui forte] uix arte **P** (*cf. Aen. 5, 270*) **350** gerebam **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **352** illum (*cf. Aen. 4, 227*) **M** (*corr.* **M**^{A}) : nullum **γ**, *Tib. in lemm.* **353** ni *Rufin. 56, 7* **354** nauis tantis **fgz** **358** terrae *dist. Tib.* : adnabam *dist.* **M**^{x}**P**^{2}; *utramque distinctionem agnoscit Seru.* iam] et iam **R** **361** *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck* (*qui totum hunc locum ultima poetae manu carere suspicatus est*)

nunc me fluctus habet uersantque in litore uenti.
quod te per caeli iucundum lumen et auras,
per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,
eripe me his, inuicte, malis: aut tu mihi terram
inice, namque potes, portusque require Velinos;
aut tu, si qua uia est, si quam tibi diua creatrix
ostendit (neque enim, credo, sine numine diuum
flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
da dextram misero et tecum me tolle per undas,
sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.'
talia fatus erat, coepit cum talia uates:
'unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
tu Stygias inhumatus aquas amnemque seuerum
Eumenidum aspicies ripamue iniussus adibis?
desine fata deum flecti sperare precando.
sed cape dicta memor, duri solacia casus:
nam tua finitimi, longe lateque per urbis
prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt
et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent,
aeternumque locus Palinuri nomen habebit.'
his dictis curae emotae pulsusque parumper
corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt fluuioque propinquant.
nauita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
per tacitum nemus ire pedemque aduertere ripae,
sic prior adgreditur dictis atque increpat ultro:
'quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
fare age, quid uenias, iam istinc et comprime gressum.
umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae:
corpora uiua nefas Stygia uectare carina.

MPR

367 quam] qua **γ** (*corr.* **γ**¹), *Tib.* **375** ripamque **aefguvz** adibis **MPRωγ**, «*alii*» *ap. Seru.* : abibis **adijktvwz** (abis **e**, abdibis **g**), *Seru. hic et ad Aen. 4, 106*, *Tib.* **383** terra *Seru.* (*qui recte* cognomine *ablatiuum ex adiectiuo 'cognominis' interpretatus est: scil. gaudet Palinurus de terra eodem nomine appellata*) : terrae *codd.*, *Non. 378, 17*, *Tib.* **385** conspexit **M** **387** adloquitur **Rb** **388** tendes **Pγ** (*corr.* **γ**¹) **389** istic **bdtxy** **390** est] et **R**

nec uero Alciden me sum laetatus euntem
accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
dis quamquam geniti atque inuicti uiribus essent.
Tartareum ille manu custodem in uincla petiuit
ipsius a solio regis traxitque trementem;
hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.'
quae contra breuiter fata est Amphrysia uates:
'nullae hic insidiae tales (absiste moueri),
nec uim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
aeternum latrans exsanguis terreat umbras,
casta licet patrui seruet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
si te nulla mouet tantae pietatis imago,
at ramum hunc' (aperit ramum qui ueste latebat)
'agnoscas.' tumida ex ira tum corda residunt;
nec plura his. ille admirans uenerabile donum
fatalis uirgae, longo post tempore uisum,
caeruleam aduertit puppim ripaeque propinquat.
inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
deturbat laxatque foros; simul accipit alueo
ingentem Aenean. gemuit sub pondere cumba
sutilis et multam accepit rimosa paludem.
tandem trans fluuium incolumis uatemque uirumque
informi limo glaucaque exponit in ulua.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
personat aduerso recubans immanis in antro.
cui uates, horrere uidens iam colla colubris,
melle soporatam et medicatis frugibus offam
obicit. ille fame rabida tria guttura pandens
corripit obiectam atque immania terga resoluit
fusus humi totoque ingens extenditur antro.
occupat Aeneas aditum custode sepulto

MPR 393 *redit* **F** 423 *desinit* **F**

399 hinc **Faeuv** (*corr.* **F²**) **424** occupat] corripit *Seru. ad Aen. 5, 316* (*sed* occupat *hic*), *e u. 210 uel 422*

euaditque celer ripam inremeabilis undae.
Continuo auditae uoces uagitus et ingens
infantumque animae flentes, in limine primo
quos dulcis uitae exsortis et ab ubere raptos
abstulit atra dies et funere mersit acerbo;
hos iuxta falso damnati crimine mortis.
nec uero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:
quaesitor Minos urnam mouet; ille silentum
conciliumque uocat uitasque et crimina discit.
proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
insontes peperere manu lucemque perosi
proiecere animas. quam uellent aethere in alto
nunc et pauperiem et duros perferre labores!
fas obstat, tristique palus inamabilis unda
alligat et nouiens Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
hic quos durus amor crudeli tabe peredit
secreti celant calles et myrtea circum
silua tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.
his Phaedram Procrinque locis maestamque Eriphylen
crudelis nati monstrantem uulnera cernit,
Euadnenque et Pasiphaen; his Laodamia

MPR 425–434 *habet et* **Π**$_{10}$

427 in limine primo *sequentibus coniungit Seru. ut uid.* («in limine primo *quia de prima hi subrepti sunt uita*»), *et sic dist. Wakefield* (*vd. I. Privitera, «MD» 57, 2006, 211–215*) : primo *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Don. ad Ter. Hec. 517, Macrob. 4, 3, 2, Seru. ad Aen. 11, 59, Tib.* **428** uita **P**^{x} **433** conciliumque **MRωγ**^{1}, *Seru. ad u. 431* (*cf. Aen. 10, 2*) : consiliumque **Pγ**, *ps. Ascon. ad Cic. Verr. II, 1, Tib. in lemm.* (*sed 'congregationem', i.e.* concilium *in interpr.*); *periit in* **Π**$_{10}$; silentum concilium *congregationem mortuorum significat in quos Minos inquirit* **438** fas obstat **M** (opstat **P**, optat **R**) **abnrtγ**, *Aug. ciu. 1, 19, Tib.* : fata obstant **M**^{P}**ωγ**^{1}, *Seru.* (*cf. Aen. 4, 440*) tristique **ω**, *Seru., Tib.* : tristisque **M**^{P} (trisque **M**) **PRabrγ**, *schol. Stat. Theb. 1, 89, Aug., respuit Seru.* et inamabilis **M**^{P}, inamabilis **R**$^{1?}$ *in ras.* : innabilis *recc.* unda **M**^{P}**R**$^{1?}$ *in ras.* (*ex* undae *ut uid.*) **ωγ**, *schol. Stat., Seru., Tib.*; *cf. georg. 4, 479* : undae **MPaγ**^{1}, *Aug. codd. plerique* (*cf. u. 425*) **440** hic **MR** **442** peremit **Mw** (*corr.* **M**^{A}) **445** procrinque **P**, *Seru., Tib.* : procrimque **M** : procnemque **M**^{A} (prochnemque **M**^{P}) : procninque **R**; *cf. Hom. Od. 11, 321*

it comes et iuuenis quondam, nunc femina Caeneus
rursus et in ueterem fato reuoluta figuram.
inter quas Phoenissa recens a uulnere Dido
errabat silua in magna; quam Troius heros
ut primum iuxta stetit agnouitque per umbras
obscuram, qualem primo qui surgere mense
aut uidet aut uidisse putat per nubila lunam,
demisit lacrimas dulcique adfatus amore est:
'infelix Dido, uerus mihi nuntius ergo
uenerat exstinctam ferroque extrema secutam?
funeris heu tibi causa fui? per sidera iuro,
per superos et si qua fides tellure sub ima est,
inuitus, regina, tuo de litore cessi.
sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
imperiis egere suis; nec credere quiui
hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
siste gradum teque aspectu ne subtrahe nostro.
quem fugis? extremum fato quod te adloquor hoc est.'
talibus Aeneas ardentem et torua tuentem
lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.
illa solo fixos oculos auersa tenebat
nec magis incepto uultum sermone mouetur
quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
tandem corripuit sese atque inimica refugit
in nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi
respondet curis aequatque Sychaeus amorem.
nec minus Aeneas casu concussus iniquo

MPR 459–468 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

448–449 femina ... rursus *coniunxit Wakefield* : rursus ... reuoluta *iungunt alii* **449** reuoluta] reuocata **R** **452** umbras **PRnγ** : umbram $\mathbf{M^A}$ (umbra **M**) $\boldsymbol{\omega\gamma^1}$, *Seru. ad u. 340* (umbram *cum 453* obscuram *coniungens*; *sed uide ad u. 453, ubi* obscuram «*recenti morte*» *interpretatus, recte ad Didonem refert*), *Tib.* **455** dimisit **Mwz**, *Tib. in interpr.* (demisit *in lemm.*) **469** aduersa **dfghjkwxyz** **472** proripuit **ik** **474** respondit **Rbfr** **475** concussus **MPγ** (*cf. Aen. 5, 700 et 869*) : percussus **Rω**, *Tib.* : cussus **b** : perculsus **n**

prosequitur lacrimis longe et miseratur euntem.
Inde datum molitur iter. iamque arua tenebant
ultima, quae bello clari secreta frequentant.
hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago,
hic multum fleti ad superos belloque caduci
Dardanidae, quos ille omnis longo ordine cernens
ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochumque,
tris Antenoridas Cererique sacrum Polyboeten
Idaeumque etiam currus, etiam arma tenentem.
circumstant animae dextra laeuaque frequentes,
nec uidisse semel satis est; iuuat usque morari
et conferre gradum et ueniendi discere causas.
at Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges,
ut uidere uirum fulgentiaque arma per umbras,
ingenti trepidare metu: pars uertere terga,
ceu quondam petiere rates, pars tollere uocem
exiguam, inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum uidit, lacerum crudeliter ora,
ora manusque ambas, populataque tempora raptis
auribus et truncas inhonesto uulnere naris.
uix adeo agnouit pauitantem ac dira tegentem
supplicia, et notis compellat uocibus ultro:
'Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
quis tam crudelis optauit sumere poenas?
cui tantum de te licuit? mihi fama suprema

MPR 491 *redit* **F** 492–503 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

476 lacrimis **PRbktγ**, *Seru.*, *Tib.* : lacrimans $\mathbf{M^{A}}$ (lacrimas **M**) **ω** miseratus $\mathbf{M^{x}}$ (*correctio postea erasa*) **cdjkntvwxy**, *Tib.* euntem est *Tib.* **477** tenebat **Pdr** **479** hic^{2}] hinc **M** **481** hic **PRωγ**, *Tib.* : hi $\mathbf{MP^{x}}$**abruv**, *Cledon. 25, 13*, *Seru. ad Aen. 2, 4* **484** polyboten **P** (*corr.* $\mathbf{P^{1?}}$) **485** currum **R** **486** frequentes $\mathbf{MR\omega\gamma^{1}}$, *Tib.* : frementis **P** (-tes $\mathbf{P^{1?}\gamma}$) **488** discere] poscere **R** (*cf. Aen. 1, 414*) **495** uidit **FPω**, *Seru.*, *Tib.* (uidi *Rufin. 50, 9*) : uidet $\mathbf{F^{2}M^{A}P^{1?}R\Pi_{10}}$**abrxγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 4, 9, 23* : uidit et **M** : uidet et *Heinsius* **498** ac **MP** : et **FRωγ**, *Macrob. 4, 1, 4*, *Tib.* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **500** a $\mathbf{F^{2}MP^{x}R\omega\gamma}$: ab **Pbr** : *om.* **Fj** (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) teucrum **Fcdgw**

nocte tulit fessum uasta te caede Pelasgum
procubuisse super confusae stragis aceruum.
tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
constitui et magna manis ter uoce uocaui.
nomen et arma locum seruant; te, amice, nequiui
conspicere et patria decedens ponere terra.'
ad quae Priamides: 'nihil o tibi, amice, relictum:
omnia Deiphobo soluisti et funeris umbris.
sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
his mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
egerimus, nosti: et nimium meminisse necesse est.
cum fatalis equus saltu super ardua uenit
Pergama et armatum peditem grauis attulit aluo,
illa chorum simulans euhantis orgia circum
ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
ingentem et summa Danaos ex arce uocabat.
tum me confectum curis somnoque grauatum
infelix habuit thalamus, pressitque iacentem
dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
egregia interea coniunx arma omnia tectis
emouet, et fidum capiti subduxerat ensem;
intra tecta uocat Menelaum et limina pandit,
scilicet id magnum sperans fore munus amanti
et famam exstingui ueterum sic posse malorum.
quid moror? inrumpunt thalamo, comes additus una
hortator scelerum Aeolides. di, talia Grais
instaurate, pio si poenas ore reposco.

FMPR 526–537 *habet et* **Π_{10}**

505 in litore **MP^{1}ωγ**, *Seru. hic et ad u. 325, Tib.* (*cf. Aen. 11, 184*) : litore **FPRrγ^1** **509** ad quae **FR**, at quae **M** (atque **M^x**, hic *add. alio ut uid. atramento* **M^2**) **P** : atque **br**, *Tib.* : atque hic **aγ** (*cf. u. 494*) : atque (ad quae) haec **ωγ^1** : ad quem **n** **516** alueo **MRa** **520** tunc **Pb** curis] choreis *Schrader* **524** emouet **FP^1** (*ut uid.*) **Rωγ**, *Tib.* : amouet **F^{2}MP^{2}bntx**, *Probus 254, 33* : et mouet **P** **528** thalamos **RΠ_{10}jw** (*cf. Aen. 4, 645 et 11, 879*) additus **PRabh?jknwxyγ** : additur **FMΠ_{10}ωγ^1**, *Tib.*; *cf. Aen. 5, 761* **529** aeolides **R** (eolides **ijkntuw**, eoliades **F**), *Seru.*, *Tib.* : oelides **MPωγ**, *Sac. 449, 5–6, «alii» ap. Seru.* (*periit in* **Π_{10}**)

sed te qui uiuum casus, age fare uicissim,
attulerint: pelagine uenis erroribus actus
an monitu diuum? aut quae te fortuna fatigat,
ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?'
Hac uice sermonum roseis Aurora quadrigis
iam medium aetherio cursu traiecerat axem;
et fors omne datum traherent per talia tempus,
sed comes admonuit breuiterque adfata Sibylla est:
'nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
hic locus est, partis ubi se uia findit in ambas:
dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
hac iter Elysium nobis; at laeua malorum
exercet poenas et ad impia Tartara mittit.'
Deiphobus contra: 'ne saeui, magna sacerdos;
discedam, explebo numerum reddarque tenebris.
i decus, i, nostrum: melioribus utere fatis.'
tantum effatus, et in uerbo uestigia torsit.
Respicit Aeneas subito et sub rupe sinistra
moenia lata uidet triplici circumdata muro,
quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
porta aduersa ingens solidoque adamante columnae,
uis ut nulla uirum, non ipsi exscindere bello
caelicolae ualeant; stat ferrea turris ad auras,
Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta
uestibulum exsomnis seruat noctesque diesque.
hinc exaudiri gemitus et saeua sonare
uerbera, tum stridor ferri tractaeque catenae.
constitit Aeneas strepitumque exterritus hausit.

FMPR 559 *desinit* **F**

532 attulerit **M** **533** aut *Reeve ap. Goold* : an *codd., Seru. ad u. 546, Tib.* : *del. Madvig* quae] quia *Tib. ut uid.* **542** hac] haec **F** (*corr.* **F²**) : hic **Rb** **547** torsit **FPωγ** (*cf. Aen. 3, 669*) : pressit **MRa?γ¹** (*e u. 197 uel 331*) **551** tonantia **R** **553** bello **FPRabnrtγ**, *Tib.* : ferro **Mωγ¹**, *Hos. Get. 74, Fulg. 100, 2* (*cf. Aen. 9, 137*) **556** insomnis **R** **559** strepitumque **FP¹** (trepitumque **P**) **Rωγ**, *Seru., Tib.* : strepituque **MPˣ** hausit **F²Pωγ**, *Seru., Tib.* : haesit **FMP²R** (*cf. Aen. 3, 597 et 11, 699*)

‘quae scelerum facies? o uirgo, effare; quibusue
urgentur poenis? quis tantus plangor ad auras?’
tum uates sic orsa loqui: ‘dux inclute Teucrum,
nulli fas casto sceleratum insistere limen;
sed me cum lucis Hecate praefecit Auernis,
ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.
Cnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna
castigatque auditque dolos subigitque fateri
quae quis apud superos furto laetatus inani
distulit in seram commissa piacula mortem.
continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans toruosque sinistra
intentans anguis uocat agmina saeua sororum.
tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
panduntur portae. cernis custodia qualis
uestibulo sedeat, facies quae limina seruet?
quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
saeuior intus habet sedem. tum Tartarus ipse
bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras
quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.
hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
fulmine deiecti fundo uoluuntur in imo;
hic et Aloidas geminos immania uidi
corpora, qui manibus magnum rescindere caelum
adgressi superisque Iouem detrudere regnis.

MPR 561–573 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

561 quis $\mathbf{MP^{1}\omega\gamma}$, *Seru. ad u. 554* : qui **PRbnr**, *Tib.* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) plangor $\mathbf{MR\omega}$, *Tib.* : clangor $\mathbf{P^{(1)}}$ *in ras.* (*ex* plangor, *fide Sabb. et Geym.*) $\boldsymbol{\gamma}$, *Seru. ad u. 554* (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$); *cf. Aen. 4, 668* auras $\mathbf{MR\omega\gamma}$, *Seru. ad u. 554, Tib.* : auris (*cf. Aen. 9, 395*) **P** (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$); *hunc locum a multis inepte temptatum testatur Seru. ad u. 554* (*unde uidetur u.l.* auris *orta*) **562** tunc $\mathbf{Pbinr\gamma}$ sic $\mathbf{M\Pi_{10}\omega\gamma}$, *Tib.* : hinc **PR** **566** cnosius $\mathbf{P\gamma}$: gnosius $\mathbf{MR\Pi_{10}\omega}$, *Tib.* **571** turuosque *ut uid.* **P** (to- $\mathbf{P^{x}}$; -tosque, t *in ras.*, $\mathbf{P^{(1)}}$; -uosque $\mathbf{P^{2}}$) : tortosque *Tib.* (*cf. georg. 3, 38*) **573** tunc *Seru.* **573–574** «tunc – portae: *alii hoc a poeta dictum uolunt, ut illa loquente intellegamus portam esse patefactam, alii continuant narrationem*» *Seru.* **580** pubes] proles **R** (*cf. Aen. 4, 258 al.*)

uidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
dum flammas Iouis et sonitus imitatur Olympi:
quattuor hic inuectus equis et lampada quassans
per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
ibat ouans diuumque sibi poscebat honorem,
demens, qui nimbos et non imitabile fulmen
aere et cornipedum pulsu simularet equorum;
at pater omnipotens densa inter nubila telum
contorsit, non ille faces nec fumea taedis
lumina, praecipitemque immani turbine adegit.
nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
porrigitur, rostroque immanis uultur obunco
immortale iecur tondens fecundaque poenis
uiscera rimaturque epulis habitatque sub alto
pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.
quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
⟨. . . . .⟩

MPR 589 *redit* **F** 596–607 *habet et* **Π_{10}**

585–586 *post* poenas *fortius dist. Sabbadini,* dum imitatur *non ad 585* uidi*, sed ad 589* ibat ouans *pertinere iudicans*; *u. 586 ut uersuum 590 sq. dittographiam post Ladewig secl. Ribbeck*; dantem poenas *interpretandum uidetur, callida breuiloquentia dictum, tamquam sit 'merentem poenas': Salmoneus, fulmen Iouis imitando, poenas meruit quas in Tartaro dat* **586** flammas **MP**^{1} (*ut uid.*) **Rωγ**^{1}, *Tib.*, *Prisc. 11, 34* : flammam **Paefnuxzγ** (flamma **g**) tonitrus **cehijkuvxyz** **591** pulsu **FMPγ** : cursu **F**^{c}**M**^{A}**Rωγ**^{1} (curru **d**, cursus **ghz**), *Tib.* simularat **F**^{c}**cdfgijkvwxyz** (simulauerat **t**) **595** omniparentis **F**^{c}**M**^{A}**Pωγ**, *Macrob. 5, 7, 14, Tib.* : omnipotentis **FMR**, *Non. 243, 4, Arus. 471, 29* **597** obunco **MΠ_{10}ω**, *Probus 123, 38, Char. 147, 14, Macrob. 5, 7, 14, Tib.* : abunco **FRcqty** : adunco **Pγ**, *Macrob. 4, 4, 15*; *cf. Aen. 11, 755* **598** tundens **F** (*corr.* **F**^{2}) **cfgjktvxyz** **601** *u. secl. Ribbeck* Pirithoumque et *Madvig, quod tamen a Vergiliano scribendi usu abhorret post hunc uersum lac. statuit Ribbeck. Sine dubio desideratur uersus ubi nominatim Tantalus memoretur, cuius cruciatus uu. 602–607 describitur* (*ut etiam Seruius censet*)*, siue poeta ipse imperfectum reliquerit locum, siue* (*quod magis uerisimile est*) *unum uersum librarii praetermiserint*; *supplere exempli gratia temptaui* ⟨quid memorem inuisum magnis te, Tantale, diuis⟩, *cl. Aen. 6, 122 sq. 'quid Thesea magnum, / quid memorem Alciden', et Ou. met. 4, 458 sq. 'tibi, Tantale, nullae / deprenduntur aquae', eqs. Vide Conte, 'Critical Notes', 41–44*

quo super atra silex iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis; lucent genialibus altis
aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
regifico luxu; Furiarum maxima iuxta
accubat et manibus prohibet contingere mensas
exsurgitque facem attollens atque intonat ore.
hic, quibus inuisi fratres, dum uita manebat,
pulsatusue parens et fraus innexa clienti,
aut qui diuitiis soli incubuere repertis
nec partem posuere suis (quae maxima turba est),
quique ob adulterium caesi, quique arma secuti
impia nec ueriti dominorum fallere dextras,
inclusi poenam exspectant. ne quaere doceri
quam poenam aut quae forma uiros fortunaue mersit.
saxum ingens uoluunt alii radiisque rotarum
districti pendent; sedet aeternumque sedebit
infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnis
admonet et magna testatur uoce per umbras:
“discite iustitiam moniti et non temnere diuos.”
uendidit hic auro patriam dominumque potentem
imposuit, fixit leges pretio atque refixit;
hic thalamum inuasit natae uetitosque hymenaeos:
ausi omnes immane nefas ausoque potiti.
non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea uox, omnis scelerum comprendere formas,
omnia poenarum percurrere nomina possim.’

Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeua sacerdos,
‘sed iam age, carpe uiam et susceptum perfice munus;

FMPR

602 quo **Ru**, *DSeru. ad u. 616* : quos **F**^{2}**MPωγ**, *ps. Probus ad georg. 3, 37, Macrob. 4, 4, 15, Seru. ad u. 616, Tib.* : quod **Fv** (*periit in* **Π_{10}**) cadenti (*om.* -que) **RΠ_{10}nγ** **606** mensam **dfghijwxyz** **607** intonat **FMRΠ_{10}ωγ^{1}**, *Tib.* : increpat **Pnγ**; *cf. Aen. 8, 527 et 12, 332* **609** pulsatusque **ev**, *ps. Acro ad Hor. epod. 3, 1* et] aut **c**, *Non. 372, 19, Seru.* **615** fortunaque *Kraggerud* **616** radiisue *Heyne* **617** districti **Faet** (-cte **P**, *corr.* **P**^{x}; -ncti **c**), *Tib. in interpr.* : destricti **F**^{2}**MP**^{2}**Rωγ** (*def.* **q**), *Tib. in lemm.* **629** sed] et **M**

acceleremus' ait; 'Cyclopum educta caminis
moenia conspicio atque aduerso fornice portas,
haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.'
dixerat, et pariter gressi per opaca uiarum
corripiunt spatium medium foribusque propinquant.
occupat Aeneas aditum corpusque recenti
spargit aqua ramumque aduerso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere diuae,
deuenere locos laetos et amoena uirecta
fortunatorum nemorum sedesque beatas.
largior hic campos aether et lumine uestit
purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
pars in gramineis exercent membra palaestris,
contendunt ludo et fulua luctantur harena;
pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.
nec non Threicius longa cum ueste sacerdos
obloquitur numeris septem discrimina uocum
iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
magnanimi heroes nati melioribus annis,
Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.
arma procul currusque uirum miratur inanis;
stant terra defixae hastae, passimque soluti
per campum pascuntur equi. quae gratia currum
armorumque fuit uiuis, quae cura nitentis
pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

FMPR 631–643 *habet et* **Π**$_{10}$ 655 *redit* **G**

630 educta **Mωγ**^{1}, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 12, 674, Tib.* (*cf. Aen. 2, 186 et 461*; *6, 178*; *12, 674*) : ducta **FPRabdktwγ** : obducta **q** **640** campos **F**^{2}**MP**^{2}**Π**$_{10}$**ωγ**, *Seru.*, *Tib.* : campus **FRbefntγ**^{1} : campis **P** et] *scite copulantur dissimilia:* largior (*quasi aduerbialiter usurpatum*) et lumine ... purpureo **642** exercet **ω** (*praeter* **abcenqrx**) **644** claudunt **M** (*corr.* **M**^{A}) **647** eadem] fidem *Markland ad Stat. silu. 3, 5, 64, fortasse recte* (*cf. u. 120*) **651** miratur **PRωγ** : mirantur **FMrtγ**^{1} (-entur **b**), *Tib.* **652** terra **MPRafnrγ**, *Macrob. somn. 2, 15, 15, Tib.* : terrae **Fωγ**^{1} (*cf. georg. 2, 290*) **653** campos **Rdhijkvwxyz** curruum **F**^{2}**P** (*corr.* **P**^{x}) **γ**^{1}, *Seru. ad u. 444, Tib.* (*cf. Prisc. 7, 90*); currum *testatur Seru. hic*

conspicit ecce alios dextra laeuaque per herbam
uescentis laetumque choro paeana canentis
inter odoratum lauri nemus, unde superne
plurimus Eridani per siluam uoluitur amnis.
hic manus ob patriam pugnando uulnera passi,
quique sacerdotes casti, dum uita manebat,
quique pii uates et Phoebo digna locuti,
inuentas aut qui uitam excoluere per artis
quique sui memores aliquos fecere merendo:
omnibus his niuea cinguntur tempora uitta.
quos circumfusos sic est adfata Sibylla,
Musaeum ante omnis (medium nam plurima turba
hunc habet atque umeris exstantem suspicit altis):
'dicite, felices animae tuque optime uates,
quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
uenimus et magnos Erebi tranauimus amnis.'
atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
'nulli certa domus; lucis habitamus opacis
riparumque toros et prata recentia riuis
incolimus. sed uos, si fert ita corde uoluntas,
hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.'
dixit et ante tulit gressum camposque nitentis
desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
    At pater Anchises penitus conualle uirenti
inclusas animas superumque ad lumen ituras
lustrabat studio recolens omnemque suorum
forte recensebat numerum carosque nepotes
fataque fortunasque uirum moresque manusque.
isque ubi tendentem aduersum per gramina uidit

FGMPR 659 *desinit* **G** 665–677 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 674 *redit* **G** 684 *desinit* **G**

656 herbas **aeγ** (*periit in* **G**) **658** lauri **FMPRωγ**, *Probus 254, 10*, *Seru. ad u. 657 et ad Aen. 4, 132*, *Tib.* : lauris **G** **661** maneret *Non. 267, 8 et 440, 7* **664** aliquos **FMPRabcnqrγ**, *Don. ad Ter. Andr. 331 et Eun. 458*, *Seru. hic et ad Aen. 9, 256*, *Tib.* : alios $\mathbf{F^2}$**ω**, *Don. ad Ter. Ad. 201*, *Aug. ciu. 21, 27*, *Macrob. somn. 1, 8, 6* **668** suspicet **R** : suscipit **cgiz** **674** riuis] siluis **R** **678** dein **Gaw** **680** ad] in *Seru. ad u. 179*

Aenean, alacris palmas utrasque tetendit,
effusaeque genis lacrimae et uox excidit ore:
‘uenisti tandem, tuaque exspectata parenti
uicit iter durum pietas? datur ora tueri,
nate, tua et notas audire et reddere uoces?
sic equidem ducebam animo rebarque futurum
tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
quas ego te terras et quanta per aequora uectum
accipio! quantis iactatum, nate, periclis!
quam metui ne quid Libyae tibi regna nocerent!’
ille autem: ‘tua me, genitor, tua tristis imago
saepius occurrens haec limina tendere adegit;
stant sale Tyrrheno classes. da iungere dextram,
da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.’
sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
ter conatus ibi collo dare bracchia circum,
ter frustra comprensa manus effugit imago,
par leuibus uentis uolucrique simillima somno.
    Interea uidet Aeneas in ualle reducta
seclusum nemus et uirgulta sonantia siluae
Lethaeumque domos placidas qui praenatat amnem.
hunc circum innumerae gentes populique uolabant:
ac uelut in pratis ubi apes aestate serena
floribus insidunt uariis et candida circum
lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
horrescit uisu subito causasque requirit

FMPR 688 *redit* **G** 701–711 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

685 alacris] lacrimans **P** (*corr.* $\mathbf{P}^{1}$) : alacer *GLK IV, 491, 29, sed* alacris *masculino genere testantur Seru., Gramm.* utrasque] cum uoce *Tib.* **687** spectata *Seru. in interpr.* (*sed* exspectata *in lemm.*) **692** te] per **R** **696** tendere adegit] adire coegit **dw** **699** rigabant $\mathbf{P}^{1}$: rigaebant **F** (*corr.* $\mathbf{F}^{2}$) : rigebat **γ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **701** compressa **Pbeguz**, *Seru. ad Aen. 6, 370, Tib.* : comprenssa **γ**; *cf. Aen. 2, 793* **702** (= *Aen. 2, 794*) *om.* **P** (*add. man. Carolinae aetatis, litteras* crique – somno *propter marginem amissas rest. man. rec.*) **brt**, *non interpr. Seru., secl. Ribbeck* par] pars **FMP** (*in uersu addito*) **γ** (*corr.* $\mathbf{F}^{2}\mathbf{M}^{x}\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **704** reclusum **R** siluae **GMPRabc?iknqrtγ**, *Seru., Tib.* : siluis (*cf. Aen. 3, 442*) $\mathbf{FM}^{A}\boldsymbol{\omega\gamma}^{1}$ (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$) **707** uelut $\mathbf{PR\Pi_{10}\omega\gamma}$, *Sac. 463, 28, Tib.* : ueluti **FGMaefgjsuz**

inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
quiue uiri tanto complerint agmine ripas.
tum pater Anchises: ‘animae, quibus altera fato
corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
securos latices et longa obliuia potant.
has equidem memorare tibi atque ostendere coram
iampridem, hanc prolem cupio enumerare meorum,
quo magis Italia mecum laetere reperta.’
‘o pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est
sublimis animas iterumque ad tarda reuerti
corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?’
‘dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo’
suscipit Anchises atque ordine singula pandit.
‘Principio caelum ac terras camposque liquentis
lucentemque globum lunae Titaniaque astra
spiritus intus alit, totamque infusa per artus
mens agitat molem et magno se corpore miscet.
inde hominum pecudumque genus uitaeque uolantum
et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
igneus est ollis uigor et caelestis origo
seminibus, quantum non noxia corpora tardant
terrenique hebetant artus moribundaque membra.
hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.

FGMPR 724 *desinit* **G**

714 undas **G²** **716** *u. secl. Ribbeck* **717** hanc] ac *Heyne* **718** italiam … repertam **FRq** (*corr.* **F²**) laetare **FᶜM** (*corr.* **Mᴬ**) **Rb?cdf?giwxy** **719** putandum (*om.* est) **Fz** (*periit in* **G**) : putandust **P** (-umst **P²?**) **721** cupido est **Fdwz** (est *del.* **F²**); *cf. u. 133* **723** suscipit **FRacgnrtuzγ¹**, *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 18, 303* : suspicit **FᶜGMPωγ** **724** terras **F²GMω**, *Min. Fel. 19, 2*, *Lact. diu. inst. 1, 5, 11*, *Seru. hic et ad georg. 4, 221*, *Tib.*, *Gramm.* (*cf. Aen. 4, 269*) : terram **FPRbnγ**, *ps. Probus ad buc. 6, 31*, *Fulg. 102, 14* **725** lucentemque] ingentemque **M** (*corr.* **Mᴬ**) : lucentem (*om.* -que) **hjtxy** luna **F** (*corr.* **F²**) : lunam *Ribbeck cl. Ap. Rh. 1, 500*; *sed cf. Lucr. 5, 69* **728** inde] hinc *Macrob. somn. 2, 3, 11*, *Seru. ad Aen. 5, 517* (*sed* inde *hic*) uolucrum **R¹** *in ras.* (*ex* uolantum *ut uid.*) **731** corpora noxia **P¹** (c. noxi **P**) **aefguzγ** (*ord. rest.* **Pˣγ¹**) **733** hic **Mbc** (*corr.* **Mᴬ**) neque] nec **Rγ¹**, *Aug. ciu. 14, 3 et 21, 13* **734** dispiciunt **adhiqrtvwzγ**, *Tib.* : despiciunt **FMPRbcfgjnxy** : respiciunt **eksuγ¹**, *Seru.* : suspiciunt *Aug. ciu. 14, 3 et 21, 13*

quin et supremo cum lumine uita reliquit,
non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
multa diu concreta modis inolescere miris.
ergo exercentur poenis ueterumque malorum
supplicia expendunt: aliae panduntur inanes
suspensae ad uentos, aliis sub gurgite uasto
infectum eluitur scelus aut exuritur igni:
quisque suos patimur manis. exinde per amplum
mittimur Elysium et pauci laeta arua tenemus,
donec longa dies perfecto temporis orbe
concretam exemit labem purumque relinquit
aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
has omnis, ubi mille rotam uoluere per annos,
Lethaeum ad fluuium deus euocat agmine magno,
scilicet immemores supera ut conuexa reuisant
rursus et incipiant in corpora uelle reuerti.'
    Dixerat Anchises natumque unaque Sibyllam
conuentus trahit in medios turbamque sonantem
et tumulum capit unde omnis longo ordine posset
aduersos legere et uenientum discere uultus.
    'Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
inlustris animas nostrumque in nomen ituras,
expediam dictis et te tua fata docebo.
ille, uides, pura iuuenis qui nititur hasta,

FMPR 735–745 *habet et* **Π**$_{10}$ 755 *desinit* **F**

735 relinquit **Fbgvz** (*corr.* **F**^{2}) **742** aut] adque (*i.e.* atque) **F** **743–744** *hos uersus per parenthesin dictos accepit Henry, post 747 cum ed. Parmensi transp. Ribbeck, eiecit Güthling*; *sed totum hunc locum bene explanauit Norden, Aeneis, Buch VI, Leipzig 1934*^{3}, *17 sqq.* **746** tabem **R**, *Tib. in interpr.* relinquit **FMbgγ**^{1}, *DSeru. ad u. 340* : reliquit **F**^{2}**PRωγ**, *Seru. ad u. 340, Tib.* **747** aurai **F**^{2}**ωγ**^{1} (aurat **P**), *Probus 263, 23, GLK V, 555, 4, Seru., DSeru. ad Aen. 7, 464* : aurae **MRabdfqwxy** (aure **F**), *Tib.* : aura **P**^{x}**tγ** (*om.* **gz**) **750** supera ut] superant *ut uid.* **P** (-nt *del.* **P**$^{(1)}$, *ut uid. ex orig.*) : supera aut **F** (*corr.* **F**^{2}) : super ut **M** (*corr.* **M**^{A}); *cf. u. 241* **754** posset **MPRω**, *Seru. ad Aen. 2, 766* : possit **Faefghrsuγ**, *Tib.* : possent *Non. 333, 7* **755** aduersus **F** dicere **Pn**, *Tib.*

proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
aetherias Italo commixtus sanguine surget,
Siluius, Albanum nomen, tua postuma proles,
quem tibi longaeuo serum Lauinia coniunx
educet siluis regem regumque parentem,
unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
et Capys et Numitor et qui te nomine reddet
Siluius Aeneas, pariter pietate uel armis
egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.
qui iuuenes! quantas ostentant, aspice, uires!
atque umbrata gerunt ciuili tempora quercu.
hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque;
haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
quin et auo comitem sese Mauortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
educet. uiden, ut geminae stant uertice cristae
et pater ipse suo superum iam signat honore?
en huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
imperium terris, animos aequabit Olympo
septemque una sibi muro circumdabit arces,
felix prole uirum: qualis Berecyntia mater
inuehitur curru Phrygias turrita per urbes,
laeta deum partu, centum complexa nepotes,
omnis caelicolas, omnis supera alta tenentis.
huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem
Romanosque tuos. hic Caesar et omnis Iuli
progenies magnum caeli uentura sub axem.

MPR 769–780 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

761 luci *Heinsius* **762** surgit **M** **766** nostrum longa **M** (*ord. rest.* $\mathbf{M^{A?}}$) **768** reddat **Rci** **772** utque *coniecit Ribbeck* **776** tum] tunc **P** terrae] gentes **M** (*corr.* $\mathbf{M^{A}}$) **779** stent *Seru. ad Aen. 1, 292* **780** signat] insignat **R** : signet **ijksy** **784** berecyntia] berechyntia **M** : berecynthia **P** : uerecynthia **R**; *cf. Aen. 9, 82* **787** supera $\mathbf{M^{A}\omega\gamma^{1}}$: super **MPRabs** : superata (*om.* alta) $\boldsymbol{\gamma}$; *cf. u. 241*

hic uir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, diui genus, aurea condet
saecula qui rursus Latio regnata per arua
Saturno quondam, super et Garamantas et Indos
proferet imperium (iacet extra sidera tellus,
extra anni solisque uias, ubi caelifer Atlas
axem umero torquet stellis ardentibus aptum).
huius in aduentum iam nunc et Caspia regna
responsis horrent diuum et Maeotia tellus,
et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
nec uero Alcides tantum telluris obiuit,
fixerit aeripedem ceruam licet aut Erymanthi
pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;
nec qui pampineis uictor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysae de uertice tigris.
et dubitamus adhuc uirtutem extendere factis,
aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
quis procul ille autem ramis insignis oliuae
sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
regis Romani, primam qui legibus urbem
fundabit, Curibus paruis et paupere terra
missus in imperium magnum. cui deinde subibit
otia qui rumpet patriae residesque mouebit
Tullus in arma uiros et iam desueta triumphis
agmina. quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

MPR 804–814 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

793 arua] annos **R** (*cf. Aen. 2, 363*) **796** atlas] atlans **MPR**, *Tib.*; *cf. Aen. 4, 481* **798** aduentus **P** (*fide Sabb. et Geym.*; *corr.* $\mathbf{P^{(1)}}$ *in ras.*) : aduentu **ω** (*praeter* **abcefgqr**) $\mathbf{\gamma^1}$ **801** obiuit **degjkrswxy**$\mathbf{\gamma^1}$, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 3, 9, Tib.* : obibit **MPRωγ** **802** fixerat **Rc** **803** pacarit $\mathbf{M^{2?}}$**Pωγ**, *Seru.* : pacaret **MR** : placarit **acefgqruv**, *Tib.*, *Prisc. 17, 9* tremefecerat **R** **806** uirtutem extendere factis **Mabfgiknqrt**$\mathbf{\gamma^1}$, *Dosith. 422, 17, Seru. hic et ad u. 889* (*cf. Aen. 10, 468 sq.*) : uirtute extendere uires **PR**$\mathbf{\Pi_{10}}$**cdejsuvwxy?z** : uirtutem extendere uires **hγ**, *Diom. 417, 14, Tib. in lemm.* : uirtutem extendere fatis *Tib. in interpr.* **809** noscon **R** **810** primum **b** : primus *recc.* **812** cui] qui **M** (*corr.* $\mathbf{M^{A}}$) : quid **R** (*periit in* $\mathbf{\Pi_{10}}$)

uis et Tarquinios reges animamque superbam
ultoris Bruti fascesque uidere receptos?
consulis imperium hic primus saeuasque secures
accipiet natosque pater noua bella mouentis
ad poenam pulchra pro libertate uocabit,
infelix, utcumque ferent ea facta minores:
uincet amor patriae laudumque immensa cupido.
quin Decios Drusosque procul saeuumque securi
aspice Torquatum et referentem signa Camillum.
illae autem paribus quas fulgere cernis in armis,
concordes animae nunc et dum nocte prementur,
heu quantum inter se bellum, si lumina uitae
attigerint, quantas acies stragemque ciebunt,
aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
descendens, gener aduersis instructus Eois!
ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella
neu patriae ualidas in uiscera uertite uires;
tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
proice tela manu, sanguis meus!
ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
uictor aget currum caesis insignis Achiuis.
eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas
ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
ultus auos Troiae templa et temerata Mineruae.
quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat?
quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, paruoque potentem
Fabricium uel te sulco, Serrane, serentem?

MPR 838–845 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$

817–818 Bruti *dist.* **M**[x]**P**[2], *Tib.* : superbam *dist. Seru.* **819** primus **PRωγ**, *Tib.* : primum **Mn** **822** *post* infelix *fortius, post* minores *leuius dist. edd. aliquot* minores] nepotes *Macrob. 4, 6, 18* **824** drusosque] brutosque **R**, *schol. Iuu. 8, 254* **826–835** *post 807 transp. Ribbeck* **827** prementur **PRfhjknrtvxy** : premuntur **MP**[2]**ωγ**, *Seru.*, *Tib.* **828** limina *recc.* **831** auersis **M** (*corr.* **M**[A]) **837** currus **ω** (*praeter* **abdnrtw**) **γ**[1] (circum **γ**), *Tib.* : cursus **u** : curru **z** **839** achillei **P** (*corr.* **P**[x]) **840** Troiae *dist.* **M**[x] : auos *dist.* **P**[2] (*scil. ut sit* Troiae … Mineruae); *utramque distinctionem agnoscit Seru.*

quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
unus qui nobis cunctando restituis rem.
excudent alii spirantia mollius aera
(credo equidem), uiuos ducent de marmore uultus,
orabunt causas melius caelique meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento
(hae tibi erunt artes) pacique imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.'
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
'aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
ingreditur uictorque uiros supereminet omnis.
hic rem Romanam magno turbante tumultu
sistet eques, sternet Poenos Gallumque rebellem,
tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.'
atque hic Aeneas (una namque ire uidebat
egregium forma iuuenem et fulgentibus armis,
sed frons laeta parum et deiecto lumina uultu)
'quis, pater, ille, uirum qui sic comitatur euntem?
filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!
sed nox atra caput tristi circumuolat umbra.'
tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:
'o gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
ostendent terris hunc tantum fata neque ultra
esse sinent. nimium uobis Romana propago

MPR 858 *redit* **F**

845 gressum **R** (*periit in* **Π$_{10}$**) tu **MP^{x}RΠ$_{10}$ωγ**, *Tib.* : tun **P** **846** restituis **MPωγ**, *Tib.* (restituit *Non. 252, 33 et Macrob. 6, 1, 23, ut in Ennii uersu* [*ann. 370 Vahl.^{2} = 363 Sk.*]) : restitues **Rbcnr**; *tempus praesens Cunctatoris gloriam semel et in perpetuum sancit* **848** credo **MP^{2}Rωγ**, *Hist. Aug. 18, 14, 5, Tib.* (*cf. Aen. 4, 12*) : cedo **Pγ^{1}** (caedo **d**), *Aug. ciu. 5, 12 codd. plerique* (*cf. Aen. 2, 704*) **852** hae **MP^{x}Rωγ**, *Hist. Aug., Aug., Tib.* : haec **Pf?** pacisque **j**; *uide Seruii adnotationem et quae disputauit E. Fraenkel, «MH» 19, 1962, 133 sq.* mores *Aug.* **858** eques *dist.* **F^{2}M^{x}P^{2}**, *Tib.* : sistet *dist. edd. nonnulli* **859** tristiaque **R** **865** qui **FPabcegruvzγ**, *Seru., Tib.* : quis **F^{c}MRωγ^{1}** ipso est **ω** (*praeter* **abcfnsz**) **869** neque **FPωγ**, *Hist. Aug. 2, 4, 1 et 20, 20, 5, Tib.* : nec **MRbcγ^{1}**

uisa potens, superi, propria haec si dona fuissent.
quantos ille uirum magnam Mauortis ad urbem
campus aget gemitus! uel quae, Tiberine, uidebis
funera, cum tumulum praeterlabere recentem!
nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
in tantum spe tollet auos, nec Romula quondam
ullo se tantum tellus iactabit alumno.
heu pietas, heu prisca fides inuictaque bello
dextera! non illi se quisquam impune tulisset
obuius armato, seu cum pedes iret in hostem
seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas!
tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis,
purpureos spargam flores animamque nepotis
his saltem accumulem donis et fungar inani
munere.’ sic tota passim regione uagantur
aëris in campis latis atque omnia lustrant.
quae postquam Anchises natum per singula duxit
incenditque animum famae uenientis amore,
exim bella uiro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos urbemque Latini
et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
‘Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris,

FMPR 872 *desinit* **F** 874–878 *habet et* $\mathbf{\Pi_{10}}$ 879 *redit* **F**

882 rumpas! *Wagner* (si *optatiuum*) : *post* rumpas *leuius dist. edd. plerique* **883** date *non ad* lilia *pertinere, sed ad 884* spargam *et 885* accumulem *iudicauit Sabbadini cl. Aen. 4, 683* : (date) *dist. Deuticke*; *sed duae sunt quasi oppositae sententiae: ‘pro puerilis aetatis innocentia uobis danda* (*i.e. offerenda*) *sunt lilia, pro mortis dolore mihi spargendi sunt purpurei flores’* (*cf. Aen. 5, 79*) **885** inanis **FM** (*corr.* $\mathbf{F^2M^x}$) **889** uenientis] melioris **M** (*ex Aen. 4, 221*) **893–896** *post A. Nauck secl. Ribbeck. Hos uu. ut ab ipso Anchise recta oratione dictos interpretatus sum: «Hermes», 2019, Heft 2. Cum pater de multis rebus occultis disserere non desierit* (*890* memorat*, 891* docet*; 897–98* his … dictis), *itinere per Inferos iam confecto, ut uiam exeundi filio praebeat, duplices Somni portas describit quae nunc demum appropinquantibus apparent* (*897* ibi). *Quoniam de porta cornea exitus* ueris umbris *tantum permittitur, Aeneas et Sibylla, qui non ‘uerae umbrae’ sunt sed ‘corpora uiua’* (*6, 92*), *necesse est de altera egrediantur* (*898* porta … emittit eburna)

altera candenti perfecta nitens elephanto,
sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes'.
his ibi tum natum Anchises unaque Sibyllam
prosequitur dictis portaque emittit eburna;
ille uiam secat ad nauis sociosque reuisit.
    Tum se ad Caietae recto fert litore portum.
[ancora de prora iacitur; stant litore puppes.]

FMPR 901 *desinit* **F**

897 his ibi **FP**^{1} (hibi **P**) **Rωγ** : his ubi **Mcgtw**, *Probus 246, 24 et 248, 5, Tib.* (*cf. Aen. 5, 816 et 7, 373*) **898** inmittit **aeuγ** eburna] auerna *Ribbeck* (auorna *A. Nauck*) **900** tunc *Pomp. 301, 7, Seru. ad Aen. 3, 16 et 8, 57* litore **FMPRωγ**, *Pomp., Seru. ad Aen. 3, 16 et 8, 57, Tib.* : limite *recc.* **901** (= *Aen. 3, 277*) *non interpr. Seru., post Bentley secl. Ribbeck. Vide Conte, 'Critical Notes', 45–48*

LIBER VII

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;
et nunc seruat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
  At pius Aeneas sacris iam rite solutis,
aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
aequora, tendit iter uelis portumque relinquit.
adspirant aurae in noctem nec candida cursus
luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.
proxima Circaeae raduntur litora terrae,
diues inaccessos ubi Solis filia lucos
adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
arguto tenuis percurrens pectine telas.
hinc exaudiri gemitus iraeque leonum
uincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
saetigerique sues atque in praesepibus ursi
saeuire ac formae magnorum ululare luporum,
quos hominum ex facie dea saeua potentibus herbis
induerat Circe in uultus ac terga ferarum.
quae ne monstra pii paterentur talia Troes

MPR 5 *redit* **F**

2 famam moriens **Pγ** (*ord. rest.* **P**^{x}**γ**^{1}) **4** signat **Rωγ**^{1}, *Tib. in interpr.* : signant **MPγ**, *Seru. ad Aen. 10, 828, Tib. in lemm.* **5** Aeneas sacris iam *Gervais coll. Ou. met. 14, 156* (‘*Troius Aeneas, sacrisque ex more litatis*’) *et Colum. 10, 419* (‘*… sacris iam rite solutis*’) *in «CJ» 115, 2020* : aeneas exequiis **MR** : ex(s)equiis aeneas **FM**^{2}**PR**^{x}**ωγ**, *Tib. Haec sunt emendationis argumenta: iunctura* pius Aeneas *fixa est ut dissociari non liceat; primo explanatiuum uerbum* exequiis *pro lectione uera* sacris iam *in textum insedit, postea uerba transposita sunt ut metrum rursus quadraret* **6** quierant **n**, *Hebrus ap. Seru.* (*cf. Aen. 4, 523*) **7** portusque **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); *pluralis numerus frequenter usurpatur, e. g. Aen. 3, 10*; *124*; *219* reliquit **cdwxyz**, *Tib.* **8** cursus **FMPabcfgrγ** : cursum **Rω**, *ps. Acro ad Hor. epod. 10, 9, Tib.* **13** nocturno in lumine **Maeu** **16** sera] saeua **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* sacua *fide Sabb. et Geym.*)

delati in portus neu litora dira subirent,
Neptunus uentis impleuit uela secundis,
atque fugam dedit et praeter uada feruida uexit.
Iamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
cum uenti posuere omnisque repente resedit
flatus, et in lento luctantur marmore tonsae.
atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
prospicit. hunc inter fluuio Tiberinus amoeno
uerticibus rapidis et multa flauus harena
in mare prorumpit; uariae circumque supraque
adsuetae ripis uolucres et fluminis alueo
aethera mulcebant cantu lucoque uolabant.
flectere iter sociis terraeque aduertere proras
imperat et laetus fluuio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
quis Latio antiquo fuerit status, aduena classem
cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
expediam et primae reuocabo exordia pugnae.
tu uatem, tu, diua, mone. dicam horrida bella,
dicam acies actosque animis in funera reges
Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam
Hesperiam. maior rerum mihi nascitur ordo,
maius opus moueo. rex arua Latinus et urbes
iam senior longa placidas in pace regebat.
hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
accipimus; Fauno Picus pater, isque parentem
te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor.
filius huic fato diuum prolesque uirilis
nulla fuit, primaque oriens erepta iuuenta est.
sola domum et tantas seruabat filia sedes,

FMPR

26 inroseis **k**, «*multi*» *ap. Seru.* («*id est 'non rubicundis'*») **37** rerum *dist.* **M**$^{A?}$**P**^{2}, *Seru., edd. plerique* (*cf. Lucr. 5, 1276 'sic uoluenda aetas commutat tempora rerum'*) : rerum *cum sequentibus coniunxit Peerlkamp* (*cf. Liu. 8, 13, 2 'iam Latio is status erat rerum'*) **41** *u. om.* **M** (*add. in mg.* **M**^{2}) **46** placidas] populos *Seru. ad u. 162 et ad Aen. 4, 229* (*cf. Aen. 8, 325*)

iam matura uiro, iam plenis nubilis annis.
multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, auis atauisque potens, quem regia coniunx
adiungi generum miro properabat amore;
sed uariis portenta deum terroribus obstant.
laurus erat tecti medio in penetralibus altis
sacra comam multosque metu seruata per annos,
quam pater inuentam, primas cum conderet arces,
ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
huius apes summum densae (mirabile dictu),
stridore ingenti liquidum trans aethera uectae,
obsedere apicem, et pedibus per mutua nexis
examen subitum ramo frondente pependit.
continuo uates 'externum cernimus' inquit
'aduentare uirum et partis petere agmen easdem
partibus ex isdem et summa dominarier arce.'
praeterea, castis adolet dum altaria taedis
et iuxta genitorem adstat Lauinia uirgo,
uisa (nefas) longis comprendere crinibus ignem
atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
regalisque accensa comas, accensa coronam
insignem gemmis; tum fumida lumine fuluo
inuolui ac totis Volcanum spargere tectis.
id uero horrendum ac uisu mirabile ferri:
namque fore inlustrem fama fatisque canebant
ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
    At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
fatidici genitoris, adit lucosque sub alta
consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro
fonte sonat saeuamque exhalat opaca mephitim.

FMPR 58 *desinit* **F**

53 iam^{2}] in **P** **60** sacra] laeta *Porph. ad Hor. carm. 1, 21, 12* coma **de**, *Non. 349, 18* **69** agmine **R** **71** dum] cum *Non. 58, 26*; *247, 39*; *440, 9* **72** et] ut **cd**, *probant Heinsius, Heyne, Schaper* **78** id **MPRab?gknrtγ**, *Tib.* : hoc **ω** **81** at] ad **MPbg** (*corr.* **M**$^{A?}$) **84** saeuumque **Mbx**

hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
in dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos
cum tulit et caesarum ouium sub nocte silenti
pellibus incubuit stratis somnosque petiuit,
multa modis simulacra uidet uolitantia miris
et uarias audit uoces fruiturque deorum
conloquio atque imis Acheronta adfatur Auernis.
hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
centum lanigeras mactabat rite bidentis,
atque harum effultus tergo stratisque iacebat
uelleribus; subita ex alto uox reddita luco est:
‘ne pete conubiis natam sociare Latinis,
o mea progenies, thalamis neu crede paratis;
externi ueniunt generi, qui sanguine nostrum
nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
aspicit Oceanum, uertique regique uidebunt.’
haec responsa patris Fauni monitusque silenti
nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,
sed circum late uolitans iam Fama per urbes
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
gramineo ripae religauit ab aggere classem.
    Aeneas primique duces et pulcher Iulus
corpora sub ramis deponunt arboris altae
instituuntque dapes et adorea liba per herbam
subiciunt epulis (sic Iuppiter ille monebat)

MPR

86 huic **aeuv** **92** hinc *Bentley* tunc **cfg** **93** mactarat **bnt** : mactauit **γ**[1] **95** subito **M** **98** ueniunt **ω**, *Probus 233, 25*; *mauult Seru. hic* : uenient **MPRabcgiknrwγ**, *Seru. ad u. 234 et ad Aen. 11, 325, Tib. Vaticinium quae futura sunt ut praesentia nuntiat; cf. 68 sq. ‘externum cernimus … / aduentare uirum’* **99** a **Rabcijkwxyz**, *Probus*, *Seru.*, *Tib.* **109** instituunt (*om.* -que) **ctγ** (-que *add.* **γ**[1]) herbas **ω** (*praeter* **abfgnrz**) **110** ille **M**[A]**n**, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 1, 617, Tib.*, *Prisc. ter* : ipse **MPRωγ**; *antiqua formula reuerentiae plena, qua Iuppiter* δεικτικῶς *appellatur, scil. digito ad caelum intento*; *cf. Plaut. Most. 398 ‘ita ille faxit Iuppiter!’ et alibi*; *Cic. Catil. 3, 29 ‘uenerati Iouem illum’*; *cf. etiam Aen. 2, 779 et 10, 875*

et Cereale solum pomis agrestibus augent.
consumptis hic forte aliis, ut uertere morsus
exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
et uiolare manu malisque audacibus orbem
fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
'heus, etiam mensas consumimus?' inquit Iulus,
nec plura, adludens. ea uox audita laborum
prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
eripuit pater ac stupefactus numine pressit.
continuo 'salue fatis mihi debita tellus
uosque' ait, 'o fidi Troiae saluete penates:
hic domus, haec patria est. genitor mihi talia namque
(nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
"cum te, nate, fames ignota ad litora uectum
accisis coget dapibus consumere mensas,
tum sperare domos defessus, ibique memento
prima locare manu molirique aggere tecta."
haec erat illa fames, haec nos suprema manebat
exitiis positura modum.
quare agite et primo laeti cum lumine solis
quae loca, quiue habeant homines, ubi moenia gentis,
uestigemus et a portu diuersa petamus.
nunc pateras libate Ioui precibusque uocate
Anchisen genitorem et uina reponite mensis.'
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
implicat et geniumque loci primamque deorum
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
flumina, tum Noctem Noctisque orientia signa
Idaeumque Iouem Phrygiamque ex ordine matrem
inuocat et duplicis caeloque Ereboque parentis.
hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
intonuit radiisque ardentem lucis et auro

MPR

116 consumpsimus **cw** **119** ac] et **R** **125** accisis] ambesis **R** (*ex Aen. 3, 257*) **128** manebant **R** **129** exitiis *codd.* (*periit in* **R**), *Seru. ad Aen. 3, 395, Tib.* : exiliis *recc.* (*cf. Aen. 2, 780*) **135** ramo] lauro **c** (*cf. Aen. 3, 81*) **141** caelo ter **i**, *recc.*

ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
diditur hic subito Troiana per agmina rumor
aduenisse diem quo debita moenia condant.
certatim instaurant epulas atque omine magno
crateras laeti statuunt et uina coronant.
    Postera cum prima lustrabat lampade terras
orta dies, urbem et finis et litora gentis
diuersi explorant: haec fontis stagna Numici,
hunc Thybrim fluuium, hic fortis habitare Latinos.
tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
centum oratores augusta ad moenia regis
ire iubet, ramis uelatos Palladis omnis,
donaque ferre uiro pacemque exposcere Teucris.
haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur
passibus. ipse humili designat moenia fossa
moliturque locum, primasque in litore sedes
castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum
ardua cernebant iuuenes muroque subibant.
ante urbem pueri et primaeuo flore iuuentus
exercentur equis domitantque in puluere currus
aut acris tendunt arcus aut lenta lacertis
spicula contorquent cursuque ictuque lacessunt:
cum praeuectus equo longaeui regis ad auris
nuntius ingentis ignota in ueste reportat
aduenisse uiros. ille intra tecta uocari
imperat et solio medius consedit auito.
    Tectum augustum ingens, centum sublime columnis,
urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
horrendum siluis et religione parentum.

MPR

143 manum **Ma** (*corr.* **M**^{x}) **144** diditur **MPantxy**, *Seru. ad Aen. 8, 132 codd. nonnulli*, *Tib.* : deditur **ωγ**, *Don. ad Ter. Phorm. 923* (*periit in* **R**); *cf. Aen. 8, 132* murmur **aγ**^{1} (*cf. Aen. 12, 239*) **145** condent **cdhjkvwxyz** **148** primo **Ra**, *Probus 230, 31* **160** ac **M**^{A}**PRω**, *Tib.*, *Gramm.* : et **Mabenruγ**, *Seru.* latinum **abenx** **161** murosque **R**; *cf. Aen. 9, 371* **163** exercetur **Panγ** (*corr.* **γ**^{1}) **167** in *om.* **bjxy** **169** considit **R**

hic sceptra accipere et primos attollere fasces
regibus omen erat, hoc illis curia templum,
hae sacris sedes epulis, hic ariete caeso
perpetuis soliti patres considere mensis.
quin etiam ueterum effigies ex ordine auorum
antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
uitisator curuam seruans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago
uestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando uulnera passi.
multaque praeterea sacris in postibus arma,
captiui pendent currus curuaeque secures
et cristae capitum et portarum ingentia claustra
spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
ipse Quirinali lituo paruaque sedebat
succinctus trabea laeuaque ancile gerebat
Picus, equum domitor, quem capta cupidine coniunx
aurea percussum uirga uersumque uenenis
fecit auem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo diuum patriaque Latinus
sede sedens Teucros ad sese in tecta uocauit
atque haec ingressis placido prior edidit ore:
'dicite, Dardanidae (neque enim nescimus et urbem
et genus, auditique aduertitis aequore cursum),
quid petitis? quae causa rates aut cuius egentis
litus ad Ausonium tot per uada caerula uexit?
siue errore uiae seu tempestatibus acti,
qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
ne fugite hospitium, neue ignorate Latinos
Saturni gentem haud uinclo nec legibus aequam,
sponte sua ueterisque dei se more tenentem.

MPR 179 *redit* **F**

173 hinc **ω** (*praeter* **agnrt**) **γ**[1], *Seru. ad Aen. 11, 235* **175** hae] haec **R**, *Tib.* sacrae **x**[2]**γ?** (*corr.* **γ**[1]), *Tib. in lemm.* (*sed* sacris *in interpr.*) **178** e *om.* **acgx** **182** martiaque **F**[2]**PRbr**, *Tib. hic* : martia qui **FMωγ**, *Tib. ad u. 623* *uersum secl. Heyne cl. Aen. 6, 660* **188** *u. om.* **F** (*add.* **F**[2])

atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
hinc illum, Corythi Tyrrhena ab sede profectum,
aurea nunc solio stellantis regia caeli
accipit et numerum diuorum altaribus auget.'
    Dixerat, et dicta Ilioneus sic uoce secutus:
'rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
atra subegit hiems uestris succedere terris,
nec sidus regione uiae litusue fefellit:
consilio hanc omnes animisque uolentibus urbem
adferimur pulsi regnis, quae maxima quondam
extremo ueniens sol aspiciebat Olympo.
ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
gaudet auo, rex ipse Iouis de gente suprema:
Troius Aeneas tua nos ad limina misit.
quanta per Idaeos saeuis effusa Mycenis
tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
audiit et si quem tellus extrema refuso
summouet Oceano et si quem extenta plagarum
quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
diluuio ex illo tot uasta per aequora uecti
dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
non erimus regno indecores, nec uestra feretur
fama leuis tantique abolescet gratia facti,
nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
fata per Aeneae iuro dextramque potentem,

FMPR

207 penetrarit **R** : penetrauit **FMPωγ**, *Seru.*, *Tib.* **211** numero $\mathbf{P^{x}}$ (*ex* numerom, *ut uid. ex orig.*) **γ** (*corr.* γ^{1}) auget **FMPRinrs**γ^{1}, *Seru. hic et ad Aen. 6, 650*, *Tib.* : addit **ωγ**, *DSeru.* **212** dicta] dictum **M** (*corr.* $\mathbf{M^{A}}$) : dicto **γ** (*corr.* γ^{1}) **221** lumina **Fg** (*corr.* $\mathbf{F^{2}}$) mittit **F** **224** concurreret **R** : concurritur **Pγ** (*corr.* γ^{1}) **232** tantique **FMPbfgγ** : tantiue **Rω**, *Tib.* **233** pigebat **Mk** (*corr.* $\mathbf{M^{A?}}$); *placuit Heinsio qui hoc ad u. 207 referebat*

siue fide seu quis bello est expertus et armis:
multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro
praeferimus manibus uittas ac uerba precantia)
et petiere sibi et uoluere adiungere gentes;
sed nos fata deum uestras exquirere terras
imperiis egere suis. hinc Dardanus ortus:
huc repetit iussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis uada sacra Numici.
dat tibi praeterea fortunae parua prioris
munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
hoc pater Anchises auro libabat ad aras,
hoc Priami gestamen erat cum iura uocatis
more daret populis, sceptrumque sacerque tiaras
Iliadumque labor uestes.'
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
obtutu tenet ora soloque immobilis haeret,
intentos uoluens oculos; nec purpura regem
picta mouet nec sceptra mouent Priameia tantum
quantum in conubio natae thalamoque moratur,
et ueteris Fauni uoluit sub pectore sortem:
hunc illum fatis externa ab sede profectum
portendi generum paribusque in regna uocari
auspiciis, huic progeniem uirtute futuram
egregiam et totum quae uiribus occupet orbem.
tandem laetus ait: 'di nostra incepta secundent
auguriumque suum! dabitur, Troiane, quod optas.
munera nec sperno: non uobis rege Latino
diuitis uber agri Troiaeue opulentia derit.
ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
si iungi hospitio properat sociusue uocari,

FMPR 248 *redit* **V**

237 ac] et **R** precantum **Rbz** **240** hic **bw** **243** dat] *facile subauditur Aeneas: minime opus est ut cum Ribbeck ante hunc uersum lacunam postulemus* **254** uoluens **F** (*corr.* **F**^{c}) **258** et *om.* **cwz** **259** uestra *recc.* **262** troiaeque **P**^{1}**bvγ** **263** cupidost **V** : cupido (*om.* est) *schol. Ver. ad Aen. 9, 361*, *Tib.* **264** sociusue **FRVω**, *schol. Ver. ad Aen. 9, 361*, *Tib.* : sociusque **MPaghijsyγ**, *DSeru. ad Aen. 12, 581*

adueniat, uultus neue exhorrescat amicos:
pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
uos contra regi mea nunc mandata referte:
est mihi nata, uiro gentis quam iungere nostrae
non patrio ex adyto sortes, non plurima caelo
monstra sinunt; generos externis adfore ab oris,
hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
nomen in astra ferant. hunc illum poscere fata
et reor et, si quid ueri mens augurat, opto.'
haec effatus equos numero pater eligit omni
(stabant ter centum nitidi in praesepibus altis);
omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
instratos ostro alipedes pictisque tapetis
(aurea pectoribus demissa monilia pendent,
tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum),
absenti Aeneae currum geminosque iugalis
semine ab aetherio spirantis naribus ignem,
illorum de gente patri quos daedala Circe
supposita de matre nothos furata creauit.
talibus Aeneadae donis dictisque Latini
sublimes in equis redeunt pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
saeua Iouis coniunx aurasque inuecta tenebat,
et laetum Aenean classemque ex aethere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
moliri iam tecta uidet, iam fidere terrae,
deseruisse rates: stetit acri fixa dolore.
tum quassans caput haec effundit pectore dicta:
'heu stirpem inuisam et fatis contraria nostris
fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
num capti potuere capi? num incensa cremauit

FMPRV 273 *desinit* **V** 276 *desinit* **P**, *subditur* **γ**

281 spirantis **MγRω**, *Tib.* (*cf. georg. 2, 140*) : flagrantis **F**[2] (flagratis **F**) **fgx**[2] **284** dictis donisque *Seru.* **288** longo **M** (*cf. Val. Fl. 3, 43 sq. 'dant aethere longo / signa tubae'*; *Stat. Theb. 12, 659 'in aethera longum'*) **290** terrae] terra *Prisc. 18, 223* **292** tunc **γ**, *Seru. ad Aen. 12, 894* (*sed* tum *ad Aen. 1, 127*) haec … dicta] hanc … uocem *Don. ad Ter. Ad. 79* **295** num[1]] nunc **M**

Troia uiros? medias acies mediosque per ignis
inuenere uiam. at, credo, mea numina tandem
fessa iacent, odiis aut exsaturata quieui.
quin etiam patria excussos infesta per undas
ausa sequi et profugis toto me opponere ponto.
absumptae in Teucros uires caelique marisque.
quid Syrtes aut Scylla mihi, quid uasta Charybdis
profuit? optato conduntur Thybridis alueo
securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
immanem Lapithum ualuit, concessit in iras
ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae,
quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?
ast ego, magna Iouis coniunx, nil linquere inausum
quae potui infelix, quae memet in omnia uerti,
uincor ab Aenea. quod si mea numina non sunt
magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est:
flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.
non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
atque immota manet fatis Lauinia coniunx:
at trahere atque moras tantis licet addere rebus,
at licet amborum populos exscindere regum.
hac gener atque socer coeant mercede suorum:
sanguine Troiano et Rutulo dotabere, uirgo,
et Bellona manet te pronuba. nec face tantum
Cisseis praegnas ignis enixa iugalis;
quin idem Veneri partus suus et Paris alter,

FMγR

297 credo *amare dictum, quasi sit 'inuita fateor, sed fatendum'* **298** aut **FγRbfjnr** (aud **M**^{x}), *Arus. 509, 24, Macrob. 4, 2, 4* : haud **Mγ**^{1}**ω**, *Char. 106, 22* **307** aut^{1}] et *Tib.* lapithas **M**^{A} : lapithis **FγRω** (capithis **M**), *Macrob. 4, 5, 6, Seru., Tib.* calydona **F**^{2}**M**^{A}**γbfrst**, *Tib.* : calydo **Fc** : calydone **MRω**, *Macrob.* merentem **FM**^{A} (-tes **M**) **γcfs**, *Tib.* : merente **γ**^{1}**Rω**, *Macrob.*; *et acc. et abl. agnoscit Prisc. 17, 101*; *abl. probat Seru.*; *cum perspicuum non esset* Lapithas *et* Calydona *a uerbo* concessit (*u. 305*) *pendere, ambo accusatiui in ablatiuos mutati sunt* **310** uincar **M** (*corr.* **M**^{A}) **311** est **FM**^{2}**γ**^{1}**Rω**, *Seru., Tib.* : *om.* **Mγc** **313** esto regnis **cdhkvwxyz** **317** hac] at **M** **320** praegnas **FγMRadksuwy** : praegnans **F**^{2}**γ**^{1}**ω**, *Macrob. 4, 2, 8, Tib.* (*cf. Aen. 10, 704*)

funestaeque iterum recidiua in Pergama taedae.'
Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petiuit;
luctificam Allecto dirarum ab sede dearum
infernisque ciet tenebris, cui tristia bella
iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese uertit in ora,
tam saeuae facies, tot pullulat atra colubris.
quam Iuno his acuit uerbis ac talia fatur:
'hunc mihi da proprium, uirgo sata Nocte, laborem,
hanc operam, ne noster honos infractaue cedat
fama loco, neu conubiis ambire Latinum
Aeneadae possint Italosue obsidere finis.
tu potes unanimos armare in proelia fratres
atque odiis uersare domos, tu uerbera tectis
funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
mille nocendi artes. fecundum concute pectus,
dissice compositam pacem, sere crimina belli:
arma uelit poscatque simul rapiatque iuuentus.'
Exim Gorgoneis Allecto infecta uenenis
principio Latium et Laurentis tecta tyranni
celsa petit tacitumque obsedit limen Amatae,
quam super aduentu Teucrum Turnique hymenaeis
femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
conicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
ille inter uestes et leuia pectora lapsus
uoluitur attactu nullo fallitque furentem
uipeream inspirans animam; fit tortile collo
aurum ingens coluber, fit longae taenia uittae

FMγR 326 *redit* **V** 329 *desinit* **F** 351 *desinit* **V**

324 dearum **FMγab?efgnr**, *Char. 63, 30, Tib.* : sororum **M**^{2}**γ**^{1}**Rω** (*cf. u. 454*)
330 uerbis **MVω**, *Seru.*, *DSeru. ad u. 406*, *Tib.* : dictis **γRa?n**, *Seru. ad u. 406*
331 labore **M** : laborum **R** **333** nec *Non. 242, 11* **335** unanimes **bfghjtz**
337 funereas (*om.* -que) **V** (*add.* **V**^{2}) tibi] cui *Non. 354, 12* **340** uelint **V**
343 obsidit **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **349** pectora **MγVω**, *Tib.* : corpora **R** **351** spirans **M**

innectitque comas et membris lubricus errat.
ac dum prima lues udo sublapsa ueneno
pertemptat sensus atque ossibus implicat ignem
necdum animus toto percepit pectore flammam,
mollius et solito matrum de more locuta est,
multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
‘exulibusne datur ducenda Lauinia Teucris,
o genitor, nec te miseret nataeque tuique?
nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
perfidus alta petens abducta uirgine praedo?
an non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledaeamque Helenam Troianas uexit ad urbes?
quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum
et consanguineo totiens data dextera Turno?
si gener externa petitur de gente Latinis,
idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis,
omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
dissidet, externam reor et sic dicere diuos.
et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.’
His ubi nequiquam dictis experta Latinum
contra stare uidet, penitusque in uiscera lapsum
serpentis furiale malum totamque pererrat,
tum uero infelix ingentibus excita monstris
immensam sine more furit lymphata per urbem.
ceu quondam torto uolitans sub uerbere turbo,

MγR

356 concepit **Rj** **357** locuta est **γ**^{1}**Rω**, *Seru.*, *Tib.* : locuta **Mγn** **358** nata **γ**^{1}**Rbqx** : natae **Mγω**, *Tib.*; *si* natae *legis, est commixtio genetiui et adiectiui molestissima planeque aliena a sermone Latino*; super nata … Phrygiisque hymenaeis *hendiadyoin est. Eandem ipsam uerborum structuram inuenies in Aen. 1, 750 ‘multa super Priamo rogitans’ et 10, 839 ‘multa super Lauso rogitat’* **361** primum **cdwxy** **362** abrepta *Seru. ad Aen. 10, 774* **363** an **Mbr**, *Diom. 464, 21* : at **γRω**, *ps. Acro ad Hor. carm. 4, 9, 16, Don. 402, 33, Seru. ad Aen. 9, 142, Tib.*; *utrumque agnoscit Seru. hic* **366** et] quid *Seru.* **370** desidet **cdhjtw** dicere] poscere **Mγ**^{1}**a**^{2} (*corr.* **M**^{A}) **376** ingentibus excita] magnis exercita **γ**^{1} **377** immensum *Heyne*

quem pueri magno in gyro uacua atria circum
intenti ludo exercent, ille actus habena
curuatis fertur spatiis; stupet inscia supra
impubesque manus mirata uolubile buxum;
dant animos plagae: non cursu segnior illo
per medias urbes agitur populosque ferocis.
quin etiam in siluas simulato numine Bacchi
maius adorta nefas maioremque orsa furorem
euolat et natam frondosis montibus abdit,
quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,
‘euhoe Bacche’ fremens, solum te uirgine dignum
uociferans: etenim mollis tibi sumere thyrsos,
te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
fama uolat, furiisque accensas pectore matres
idem omnis simul ardor agit noua quaerere tecta.
deseruere domos, uentis dant colla comasque;
ast aliae tremulis ululatibus aethera complent
pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
ipsa inter medias flagrantem feruida pinum
sustinet ac natae Turnique canit hymenaeos
sanguineam torquens aciem, toruumque repente
clamat: ‘io matres, audite, ubi quaeque, Latinae:
si qua piis animis manet infelicis Amatae
gratia, si iuris materni cura remordet,
soluite crinalis uittas, capite orgia mecum.’
talem inter siluas, inter deserta ferarum
reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
    Postquam uisa satis primos acuisse furores
consiliumque omnemque domum uertisse Latini,
protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem

MγR 404 *redit* **V**

379 in magno **kxy** **380** habenis **R** **385** siluis **Mc** (*corr.* **M**^{A}) nomine **R** **386** adorta] adorsa **γdiwz** orsa] exorsa **R** **391** choro **Mt** : choros **M**^{A}**γ**^{1} (-rus **γ**) **Rω** **392** pectora **cqtw** **394** domus **γ**^{1}**cqwz** **395** aliae] illae **M**^{A} *hunc uersum post 396 transp. Ribbeck auctore Peerlkamp*

Acrisionaeis Danae fundasse colonis
praecipiti delata Noto. locus Ardea quondam
dictus auis, et nunc magnum manet Ardea nomen,
sed fortuna fuit: tectis hic Turnus in altis
iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto toruam faciem et furialia membra
exuit, in uultus sese transformat anilis
et frontem obscenam rugis arat, induit albos
cum uitta crinis, tum ramum innectit oliuae;
fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos,
et iuueni ante oculos his se cum uocibus offert:
'Turne, tot incassum fusos patiere labores,
et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.
i nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies, tege pace Latinos.
haec adeo tibi me, placida cum nocte iaceres,
ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
quare age et armari pubem portisque moueri
laetus in arma para, et Phrygios qui flumine pulchro
consedere duces pictasque exure carinas.
caelestum uis magna iubet. rex ipse Latinus,
ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.'
Hic iuuenis uatem inridens sic orsa uicissim
ore refert: 'classis inuectas Thybridis undam
non, ut rere, meas effugit nuntius auris;

MγRV 428 *redit* **F** 429 *desinit* **V**

410 Acrisionaeis *Heinsius* : -eis *codd.* (*cf. Housman, Class. Pap. II, 891*) **412** manet **MγVω** : tenet **M^A Rj**, *Seru.* **414** media **γR** (*corr.* **γ¹**) nigram **γ** (*corr.* **γ¹**) **416** uultus] cultus *Arus. 513, 18* **418** nectit **γ** (*corr.* **γ¹**) **430** arma *codd.*, *DSeru. ad Aen. 1, 35*, *Tib.* : arua *Peerlkamp et alii*; *uerborum iteratio* (armari … moueri in arma) *furibundam belli cupiditatem efficaciter declarat: Allecto non solum ut Rutuli arma aptent instigat sed etiam ut sine mora proelium ineant* para] iube **M**, *DSeru. ad Aen. 1, 35* (*cf. Aen. 10, 242*) **436** undam **FMγω**, *Tib.* : albeo **M²** *in mg.*, alueo **γ¹R** (*cf. u. 303*) : unda **fghijz**

ne tantos mihi finge metus. nec regia Iuno
immemor est nostri.
sed te uicta situ uerique effeta senectus,
o mater, curis nequiquam exercet, et arma
regum inter falsa uatem formidine ludit.
cura tibi diuum effigies et templa tueri;
bella uiri pacemque gerent quis bella gerenda.’
    Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
at iuueni oranti subitus tremor occupat artus,
deriguere oculi: tot Erinys sibilat hydris
tantaque se facies aperit; tum flammea torquens
lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
reppulit et geminos erexit crinibus anguis
uerberaque insonuit rabidoque haec addidit ore:
‘en ego uicta situ, quam ueri effeta senectus
arma inter regum falsa formidine ludit.
respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum,
bella manu letumque gero.’
sic effata facem iuueni coniecit et atro
lumine fumantis fixit sub pectore taedas.
olli somnum ingens rumpit pauor, ossaque et artus
perfundit toto proruptus corpore sudor.
arma amens fremit, arma toro tectisque requirit;
saeuit amor ferri et scelerata insania belli,
ira super: magno ueluti cum flamma sonore
uirgea suggeritur costis undantis aëni
exsultantque aestu latices, furit intus aquai

FMγR

444 gerent] gerant **M**, *schol. Ver. ad Aen. 1, 1*; *cf. Hom. Il. 6, 492 et Od. 21, 352* **446** subito **fijkwyz** : subitos **x** **447** diriguere **ω** (*praeter* **aj**), *DSeru. ad Aen. 4, 251* **451** rabidoque **M**^{2} (-que *om.* **M**) **γ**^{1}**Rω**, *Seru.*, *Tib. in interpr.* : rapidoque **Fγbcfhrvwxy**, *Tib. in lemm.* edidit **γ** **458** olli] illi **Fγ**^{1}**R**, *Tib.* (olli *rest.* **γ**^{2}) ingens somnum rupit **Rj** **459** perfundit **FγRω**, *Tib.* : perfudit **Magjnr** : profundit **iw** proruptus **Mγ**^{1}**Rω**, *Tib.* : pr(a)eruptus **Fγa?cdgtvwyz** **464** aquai **Mγω**, *Seru.* («*hanc … dieresin Tucca et Varius fecerunt*»), *DSeru.*, *Gramm.* (*cf. Quint. 1, 7, 18*) : aquae uis **Fγ**^{1}**Rabdfgjswx**, *Macrob. 5, 11, 23* : aquae amnis *Vergilium reliquisse narrat Seru.*

fumidus atque alte spumis exuberat amnis,
nec iam se capit unda, uolat uapor ater ad auras.
ergo iter ad regem polluta pace Latinum
indicit primis iuuenum et iubet arma parari,
tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
se satis ambobus Teucrisque uenire Latinisque.
haec ubi dicta dedit diuosque in uota uocauit,
certatim sese Rutuli exhortantur in arma:
hunc decus egregium formae mouet atque iuuentae,
hunc ataui reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis,
arte noua, speculata locum, quo litore pulcher
insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
hic subitam canibus rabiem Cocytia uirgo
obicit et noto naris contingit odore,
ut ceruum ardentes agerent; quae prima laborum
causa fuit belloque animos accendit agrestis.
ceruus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
nutribant Tyrrhusque pater, cui regia parent
armenta et late custodia credita campi.
adsuetum imperiis soror omni Siluia cura
mollibus intexens ornabat cornua sertis
pectebatque ferum puroque in fonte lauabat.
ille manum patiens mensaeque adsuetus erili
errabat siluis rursusque ad limina nota
ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.
hunc procul errantem rabidae uenantis Iuli
commouere canes, fluuio cum forte secundo
deflueret ripaque aestus uiridante leuaret.

FMγR 469 *desinit* **F** 482 *redit* **V** 486 *redit* **F**

466 se iam **F** **475** animis rutulos **cdhksvwyz** **481** laborum] malorum **M**^{2}**γ**^{1}**adenuwz**, *Probus 260, 10, Seru.* (*cf. Aen. 4, 169*) **486** late **F**^{2}**M**^{2}**γVω**, *Seru.*, «*melius*» *iudice Tib.* : lati **FMγ**^{1}**Rain** **490** manum **M**^{A}**γRVω**, *GLK V, 563, 3, Seru.* (*qui* manum *pro gen. plur. ‘manuum’ interpretatur*) : manu **FMr**, *Non. 59, 26, Tib.* **493** rapidae **gy**, *GLK V, 575, 18, Tib. in lemm.* (rabidae *in interpr.*)

ipse etiam eximiae laudis succensus amore
Ascanius curuo derexit spicula cornu;
nec dextrae erranti deus afuit, actaque multo
perque uterum sonitu perque ilia uenit harundo.
saucius at quadrupes nota intra tecta refugit
successitque gemens stabulis, questuque cruentus
atque imploranti similis tectum omne replebat.
Siluia prima soror palmis percussa lacertos
auxilium uocat et duros conclamat agrestis.
olli (pestis enim tacitis latet aspera siluis)
improuisi adsunt, hic torre armatus obusto,
stipitis hic grauidi nodis; quod cuique repertum
rimanti telum ira facit. uocat agmina Tyrrhus,
quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
scindebat rapta spirans immane securi.
    At saeua e speculis tempus dea nacta nocendi
ardua tecta petit stabuli et de culmine summo
pastorale canit signum cornuque recuruo
Tartaream intendit uocem, qua protinus omne
contremuit nemus et siluae insonuere profundae:
audiit et Triuiae longe lacus, audiit amnis
sulpurea Nar albus aqua fontesque Velini,
et trepidae matres pressere ad pectora natos.
tum uero ad uocem celeres, qua bucina signum
dira dedit, raptis concurrunt undique telis
indomiti agricolae, nec non et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
derexere acies. non iam certamine agresti
stipitibus duris agitur sudibusue praeustis,

FMγRV 507 *desinit* **V** 509 *desinit* **F**

496 accensus **γi** **497** derexit **FγRV** : direxit **F**^{2}**Mγ**^{1}**ω**, *Tib.* **498** dextra **M** **502** replebat **MγV**^{2}, *Tib.* : repleuit **γ**^{1}**RVω** (*periit in* **F**) **505** olli] illi **M**$^{A?}$**γV**, *Tib.* (*periit in* **F**) **506** abusto **R** : adusto *recc.* **507** repertum est **R** **510** scindebant **M** (*corr.* **M**^{x}), *Non. 265, 13* **511** e *om.* **Rbgjz** **514** intendit **M**^{A}**γR** (*ut uid.*) **ω**, *Non. 377, 20*, *Arus. 513, 10*, *Tib.* : incendit **MR**$^{1?}$ *in ras.* **515** intremuit *Non.*, *Arus.* intonuere **cdehisuvwy** **516** audiit^{2}] audit et **Rg** **523** derexere **My**, *Tib.* : direxere **γRω**, *Seru.* **524** sudibusque **bwz**

sed ferro ancipiti decernunt atraque late
horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
sole lacessita et lucem sub nubila iactant:
fluctus uti primo coepit cum albescere uento,
paulatim sese tollit mare et altius undas
erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.
hic iuuenis primam ante aciem stridente sagitta,
natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo,
sternitur: haesit enim sub gutture uulnus et udae
uocis iter tenuemque inclusit sanguine uitam.
corpora multa uirum circa seniorque Galaesus,
dum paci medium se offert, iustissimus unus
qui fuit Ausoniisque olim ditissimus aruis:
quinque greges illi balantum, quina redibant
armenta, et terram centum uertebat aratris.
    Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
imbuit et primae commisit funera pugnae,
deserit Hesperiam et, caelo conuersa per auras,
Iunonem uictrix adfatur uoce superba:
'en, perfecta tibi bello discordia tristi;
dic in amicitiam coeant et foedera iungant.
quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,
hoc etiam his addam, tua si mihi certa uoluntas:
finitimas in bella feram rumoribus urbes
accendamque animos insani Martis amore

MγR

527 nubila] lumine **γdfgkwxz** (limine **vy**) : lumina *Tib.* **528** uento **γω**, *Tib.* : ponto **Mγ¹R**, *Macrob. 5, 13, 20* (*e georg. 3, 237*) **536** sese **γRacer** (*corr.* **γ¹**) **537** agris **γ¹n** **543** caelo *Schaper* : caeli *codd.*, *Seru. hic et alibi*, *Tib.* conuersa **M** : conuexa (*cf. Aen. 4, 451*) **M^AγRω**, *Probus*, *Asper*, *Donatus ap. Seru.*, *Seru. hic et alibi*, *Tib.* (*postquam* caelo *in* caeli *corruptum est, ex* conuersa *facile exstitit* conuexa *ut* caeli conuexa *inter se conecterentur*) : conuecta *Firmiani commentarius ap. DSeru.* Caelo conuersa: caelo *pro 'ad caelum'* (*cf. e. g. Aen. 2, 688*; *3, 678*; *5, 451*; *9, 681*; *10, 548*; *11, 192*); *apte indicatur locus quem Allecto petit ut de mandatis perfectis Iunoni referat: nam 'cum ad caelum per auras conuersa sit' idem ualet ac 'cum ad caelestem Iunonis sedem aduolauerit'. Vide Conte, 'Critical Notes', 49–50*

undique ut auxilio ueniant; spargam arma per agros.'
tum contra Iuno: 'terrorum et fraudis abunde est:
stant belli causae, pugnatur comminus armis,
quae fors prima dedit sanguis nouus imbuit arma.
talia coniugia et talis celebrent hymenaeos
egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
te super aetherias errare licentius auras
haud pater ille uelit, summi regnator Olympi.
cede locis. ego, si qua super fortuna laborum est,
ipsa regam.' talis dederat Saturnia uoces.
illa autem attollit stridentis anguibus alas
Cocytique petit sedem supera ardua linquens.
est locus Italiae medio sub montibus altis,
nobilis et fama multis memoratus in oris,
Ampsancti ualles: densis hunc frondibus atrum
urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
dat sonitum saxis et torto uertice torrens.
hic specus horrendum et saeui spiracula Ditis
monstrantur, ruptoque ingens Acheronte uorago
pestiferas aperit fauces, quis condita Erinys,
inuisum numen, terras caelumque leuabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
imponit regina manum. ruit omnis in urbem
pastorum ex acie numerus, caesosque reportant
Almonem puerum foedatique ora Galaesi
implorantque deos obtestanturque Latinum.
Turnus adest medioque in crimine caedis et igni

MγR

552 «*Vrbanus tamen totum hunc locum per interrogationem accipit:* terrorum et fraudis abunde est? stant belli causae? *ut quasi per gratulationem non credat*» *Seru. ad u. 556* **555** conubia **fg** **558** ille] ipse **γ¹dfg** **562** supera **γω** (supra **f**), *Tib.* : super **MRbdnrwxz** (*cf. Aen. 6, 787*) **565** ampsancti **γ** (ampsacti **M**) : amfracti **R** : amsancti *Seru.*; *cf. Cic. diu. 1, 79*; *Plin. nat. 2, 208* **566** utrumque **γdw** (*corr.* **γ¹**) **568** horrendus «*antiqui codices*» *teste Seru.* **569** monstratur **Rj** **570** condita **Rω**, *Seru.*, *Tib.* : condit **Mγabcdehwz**, «*alii*» *ap. Seru.* **571** leuauit **R** **573** inposuit **γ** **577** igni **MγRω**, *Seru.*, *Tib. in lemm.* : ignis **γ¹abdeirtwyz**, *DSeru.*, *Tib. in interpr.*

terrorem ingeminat: Teucros in regna uocari,
stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
tum quorum attonitae Baccho nemora auia matres
insultant thiasis (neque enim leue nomen Amatae),
undique collecti coeunt Martemque fatigant.
ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
contra fata deum peruerso numine poscunt.
certatim regis circumstant tecta Latini;
ille uelut pelagi rupes immota resistit,
ut pelagi rupes magno ueniente fragore,
quae sese multis circum latrantibus undis
mole tenet; scopuli nequiquam et spumea circum
saxa fremunt laterique inlisa refunditur alga.
uerum ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
consilium, et saeuae nutu Iunonis eunt res,
multa deos aurasque pater testatus inanis
'frangimur heu fatis' inquit 'ferimurque procella!
ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
o miseri. te, Turne, nefas, te triste manebit
supplicium, uotisque deos uenerabere seris.
nam mihi parta quies, omnisque in limine portus
funere felici spolior.' nec plura locutus
saepsit se tectis rerumque reliquit habenas.
 Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima mouent in proelia Martem,

MγR 586–615 *om.* **M**, *add.* **M**^{M} *in folio inserto* 586 *redit* **V** 594 *redit* **F**

581 *u. erasus in* **M**, *eo quod duplicatus in folio inserto ab alia manu* (**M**^{M}), *quae uu. 581–615 scripsit*; *uu. 582–585 exstant in* **M** *quoque expuncti*; *uide G. Ammannati, «MD» 58, 2007, 227–239* **583** scilicet **M** (*corr.* **M**^{A}) **586** pelagi **M**^{M}**γRV**^{2}**ω**, *Probus 225, 32*, *Macrob. 6, 3, 1*, *Aug. ord. 2, 20, 54*, *Seru.*, *Tib.* : pelago **V**; pelagi rupes *compendiose sensum profert eundem qui in Aen. 10, 693 'rupes uastum quae prodit in aequor'* rupes] moles **aeu** **587** pelago *Horsfall* **589** et *del.* **M**^{2}, *om.* **V** **592** consilio **M**^{2}, *Tib. in interpr.* (consilium *in lemm.*) **593** testatus **Vadegikrxy**, *Tib.* : testatur **M**^{M}**γRω**, *Arus. 492, 17* **594** procellas **M**^{M} (*corr. ead. man.*) **V**^{2} : procellis **V** **595–597** *om.* **F**, *add.* **F**^{2} **598** omnisque] summique *Courtney* (*«WJA», N.F. 33, 2009, 82 sq.*), *alii alia* **600** relinquit **b**, *Tib.*

siue Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisue Arabisue parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.
sunt geminae Belli portae (sic nomine dicunt)
religione sacrae et saeui formidine Martis;
centum aerei claudunt uectes aeternaque ferri
robora, nec custos absistit limine Ianus:
has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
insignis reserat stridentia limina consul,
ipse uocat pugnas; sequitur tum cetera pubes,
aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
more iubebatur tristisque recludere portas.
abstinuit tactu pater auersusque refugit
foeda ministeria et caecis se condidit umbris.
tum regina deum caelo delapsa morantis
impulit ipsa manu portas et cardine uerso
Belli ferratos rumpit Saturnia postis.
ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante;
pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
puluerulentus equis furit; omnes arma requirunt.
pars leuis clipeos et spicula lucida tergent
aruina pingui subiguntque in cote securis;
signaque ferre iuuat sonitusque audire tubarum.
quinque adeo magnae positis incudibus urbes
tela nouant, Atina potens Tiburque superbum,
Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.
tegmina tuta cauant capitum flectuntque salignas
umbonum cratis; alii thoracas aënos
aut leuis ocreas lento ducunt argento;

FM^{M}**γRV** 611 *desinit* **V** 616 *redit* **M**

605 hyrcanisque **F**^{2} (-iisque **F**), *Char. 123, 9* (*sed* hyrcanisue *100, 13*) arabisque *Char. 100, 13 et 123, 9* **618** aduersusque **γ** **622** rumpit **Mγ**^{1}**bdervw**, *DSeru.*, *Tib.* : rupit **FγRω**, *Seru.* **624** parant **γaeu** (*corr.* **γ**^{1}) **625** eques **M**, *Macrob. 6, 1, 54* **626** tergunt **γ**^{1}**nw** **628** iuuat] iubet **M** : iuuant **R** **632** plectuntque **b**, *admodum placet*

uomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
cessit amor; recoquunt patrios fornacibus ensis.
classica iamque sonant, it bello tessera signum;
hic galeam tectis trepidus rapit, ille trementis
ad iuga cogit equos, clipeumque auroque trilicem
loricam induitur fidoque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque mouete,
qui bello exciti reges, quae quemque secutae
complerint campos acies, quibus Itala iam tum
floruerit terra alma uiris, quibus arserit armis.
et meministis enim, diuae, et memorare potestis;
ad nos uix tenuis famae perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
contemptor diuum Mezentius agminaque armat.
filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
non fuit excepto Laurentis corpore Turni;
Lausus, equum domitor debellatorque ferarum,
ducit Agyllina nequiquam ex urbe secutos
mille uiros, dignus patriis qui laetior esset
imperiis et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum
uictoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
pulcher Auentinus, clipeoque insigne paternum
centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
collis Auentini silua quem Rhea sacerdos
furtiuum partu sub luminis edidit oras,
mixta deo mulier, postquam Laurentia uictor
Geryone exstincto Tirynthius attigit arua,
Tyrrhenoque boues in flumine lauit Hiberas.
pila manu saeuosque gerunt in bella dolones
et tereti pugnant mucrone ueruque Sabello.
ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,

FMγR 645 *redit* **P** 646 *desinit* **F** 664 *redit* **V**

638 trepidus] rapidus **M** (*corr.* **M**^{A}) trementis **FMγRabenru**, *Tib.* (*cf. georg. 3, 84*) : frementis **M**^{2} (*correctio postea erasa?*) **γ**^{1}**ω** (*cf. Aen. 12, 82*) **641** monete **F**^{2}**γ**^{1}**dw**, *agnoscit Seru.*; *cf. Aen. 10, 163* **642** acciti **M** **643** cumplerint **F** : complerunt **R** **649** huic] hunc **MR** (*fide Sabb. et Geym.*), *corr.* **M**^{A}**R**^{1}

terribili impexum saeta cum dentibus albis
indutus capiti, sic regia tecta subibat,
horridus Herculeoque umeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiua iuuentus,
et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
ceu duo nubigenae cum uertice montis ab alto
descendunt Centauri Homolen Othrymque niualem
linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
silua locum et magno cedunt uirgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
inuentumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. hunc legio late comitatur agrestis:
quique altum Praeneste uiri quique arua Gabinae
Iunonis gelidumque Anienem et roscida riuis
Hernica saxa colunt, quos, diues Anagnia, pascis,
quos, Amasene pater. non illis omnibus arma
nec clipei currusue sonant: pars maxima glandes
liuentis plumbi spargit, pars spicula gestat
bina manu, fuluosque lupi de pelle galeros
tegmen habent capiti, uestigia nuda sinistri
instituere pedis, crudus tegit altera pero.
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
iam pridem resides populos desuetaque bello
agmina in arma uocat subito ferrumque retractat.

MPRV 689 *desinit* **V**

669 innixus **PRj** *uersum ante 667 transp. Ribbeck, ubi* impexum ⟨os⟩ *conicit* **670** tunc **Rc** **671** fratres **MP²arγ** (*corr.* **γ¹**) tiburni **R** cognomine] de nomine **Pγ¹** (*ex Aen. 1, 533*) **672** catillusque **Mˣbiks** : cattillusque **M** : catthillusque **PV²** (-que *om.* **V**) **fgu** : cathillusque **Rω** : catthilusque **ae** : catilusque **c** : cathilusque **tγ**, *Tib.* **677** et *om.* **P** (*add.* **P¹**) **678** deficit **R** **681** late legio **M** **684** pascis **V** : pascit *cett.*, *Macrob. 5, 18, 13, Tib.*; *cf. Aen. 2, 56* **686** currusque **R** **689** tegmina **Pγ** (*corr.* **γ¹**) capitis **M^A V²** (*cf. uu. 632, 742*)

hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,
hi Soractis habent arces Flauiniaque arua
et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
ibant aequati numero regemque canebant,
ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni
cum sese e pastu referunt et longa canoros
dant per colla modos, sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.
nec quisquam aeratas acies examine tanto
misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
urgeri uolucrum raucarum ad litora nubem.
    Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
una ingens Amiterna cohors priscique Quirites,
Ereti manus omnis oliuiferaeque Mutuscae;
qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
qui Tetricae horrentis rupes montemque Seuerum
Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae,
qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Ortinae classes populique Latini,
quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
quam multi Libyco uoluuntur marmore fluctus
saeuus ubi Orion hibernis conditur undis,
uel cum sole nouo densae torrentur aristae

MPR

695 acies] arces *Gebhardi*, sedes *Klouček, alii alia* aequosque *Seru.*, *'iustos' interpretatus* **696** flaminiaque **P**$^{2?}$**wz** (flamminiaque **γ**, *corr.* **γ**^{1}) **697** caienos **R** **699** nubila] flumina **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **703–705** *transp. post 697 Ribbeck* **703** examine *recc.* (exagmine *Housman, Class. Pap. I, 176–178*); *cf. Aen. 2, 727* : ex agmine *codd.*, *Seru. ad Aen. 2, 487*, *Tib.*; misceri *i.e. 'cum strepitu agitari': praecipue clamorem significat militum, qui, instructa acie, decurrunt et, quasi cycni rauce strepentes, cantus edunt* (*tumultus et sonitus simul significantur etiam in Aen. 2, 298, 487*; *4, 160, 411*) **704** putat **M** (*corr.* **M**^{A}) **708** a] e **M** (*corr.* **M**^{A}) **712** rosea **Rω**, *Seru.* : rosa **M** : roscia **P** (*ex* rosca, *ut uid. ex orig.*) **γ** : roscida **anwzγ**^{1}, *Tib.* (roceda **r**, rosda **s**) **713** montemque] amnemque **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); *cf. georg. 3, 37 et Aen. 6, 374* **716** hortinae **M**^{A}**Rj** **718** marmore] litore **dwz**

aut Hermi campo aut Lyciae flauentibus aruis.
scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,
curru iungit Halaesus equos Turnoque ferocis
mille rapit populos, uertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci misere patres Sidicinaque iuxta
aequora, quique Cales linquunt amnisque uadosi
accola Volturni, pariterque Saticulus asper
Oscorumque manus. teretes sunt aclydes illis
tela, sed haec lento mos est aptare flagello.
laeuas caetra tegit, falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret,
iam senior; patriis sed non et filius aruis
contentus late iam tum dicione premebat
Sarrastis populos et quae rigat aequora Sarnus,
quique Rufras Batulumque tenent atque arua Celemnae,
et quos maliferae despectant moenia Abellae,
Teutonico ritu soliti torquere cateias,
tegmina quis capitum raptus de subere cortex
aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
Vfens, insignem fama et felicibus armis,

MPR

722 pulsuque] cursuque **M** (*cf. u. 807*) **727** patres] senes **M**^{A} (*cf. u. 206*) **730** tuscorumque **R** acludes **P** **736** armis **R** **737** premebat **Rωγ**^{1}, *Tib.* : tenebat **MPadeqvwzγ** (*cf. Aen. 1, 622*) **738** sarrastis **MPRbdjqz** : sarrastris **P**^{2}**ωγ**, *Seru.*, *Tib.* quae **MPcdgqwγ**, *Tib.* : qua **Rωγ**^{1} **740** *hunc u. post 741 transp. Courtney* («*BICS*» *28, 1981, 17*) Abellae *DSeru.*, «*alii*» *ap. Seru.* : Bellae *codd.*, *Seru.*, *Tib.* **741** *non bene Kraggerud* (*pp. 268–69*) *pro ellipsi* soliti *habet, i. e. 'soliti sunt'. Quamuis* soliti *ad* populos (*738*) *referendum uere sit, tamen cum nominatiuo relatiuo* quique (*739*) *conexum uidetur. In catalogis enim frequenter accidit ut, intercedente enuntiato relatiuo, sententiae structura uarietur atque de casu accusatiuo ad nominatiuum deflectat. Inuenies eiusmodi anacoluthon in antecedenti catalogo u. 729. Cf. e.g. Man. 1, 771–75* (*ud. Housman ad l.*) **744** nyrsae **Rj**

horrida praecipue cui gens adsuetaque multo
uenatu nemorum, duris Aequicula glaebis.
armati terram exercent semperque recentis
conuectare iuuat praedas et uiuere rapto.
  Quin et Marruuia uenit de gente sacerdos,
fronde super galeam et felici comptus oliua,
Archippi regis missu, fortissimus Vmbro,
uipereo generi et grauiter spirantibus hydris
spargere qui somnos cantuque manuque solebat
mulcebatque iras et morsus arte leuabat.
sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
eualuit neque eum iuuere in uulnera cantus
somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.
te nemus Angitiae, uitrea te Fucinus unda,
te liquidi fleuere lacus.
  Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius, insignem quem mater Aricia misit,
eductum Egeriae lucis umentia circum
litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.
namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte nouercae
occiderit patriasque explerit sanguine poenas
turbatis distractus equis, ad sidera rursus
aetheria et superas caeli uenisse sub auras,
Paeoniis reuocatum herbis et amore Dianae.
tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
mortalem infernis ad lumina surgere uitae,
ipse repertorem medicinae talis et artis

MPR

755 iras] feras **P**$^{(1)}$**γ** (*corr.* **γ**^{1}) **757** in] ad **M**^{A} uulnera **M**^{A}**Pωγ**, *Tib.* : uulnere **MRacegjnrv** **758** montibus **MPRωγ**, *Tib.* : in montibus **M**^{A}**abenrstuv** **763** umentia **MRbejstu** : (h)ymetia **Pωγ**, *Tib.* (himentia **ax**) **766** occiderat … explerat *Tib. hic et ad Aen. 12, 395* **769** paeonis **M** (*corr.* **M**$^{A?}$)

fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.
at Triuia Hippolytum secretis alma recondit
sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat,
solus ubi in siluis Italis ignobilis aeuum
exigeret uersoque ubi nomine Virbius esset;
unde etiam templo Triuiae lucisque sacratis
cornipedes arcentur equi, quod litore currum
et iuuenem monstris pauidi effudere marinis.
filius ardentis haud setius aequore campi
exercebat equos curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
uertitur arma tenens et toto uertice supra est;
cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
sustinet Aetnaeos efflantem faucibus ignis:
tam magis illa fremens et tristibus effera flammis
quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
at leuem clipeum sublatis cornibus Io
auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos
(argumentum ingens), et custos uirginis Argus
caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
insequitur nimbus peditum clipeataque totis
agmina densentur campis, Argiuaque pubes
Auruncaeque manus, Rutuli ueteresque Sicani,
et Sacranae acies et picti scuta Labici;
qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici
litus arant Rutulosque exercent uomere colles

MPR

773 phoebigenam **Pa?dkw**$\boldsymbol{\gamma}$, «*alii ut Probus*» *ap. Seru.*, *Tib.* : poenigenam **M**$\boldsymbol{\omega\gamma^1}$ (poeniginam **R**, poenigeram **ix**, phenigenam **fs**), *Seru.* (*'matris poena genitum' interpretatus*); *Aesculapius per antonomasiam significatur: cf. Stat. silu. 3, 4, 6 'iuuenis Phoebeie'. Minime* poenigenam *accipi potest: nam particula ista posterior* (-gena) *in quam talia composita uerba exeunt, ita procreationem declarat ut particula anterior necessarie nomen exhibeat uel patris uel matris uel loci unde suam quisque originem ducat. Eiusdem generis exempla: Graiugena, Nysigena, Opigena, Terrigena, Troiugena, Caeligena; cf. Conte, 'Critical Notes', 63–65* ad **MPRbgjr**$\boldsymbol{\gamma}$, *Tib.* : in $\boldsymbol{\omega\gamma^1}$ undis **P** (*corr.* $\mathbf{P^2}$) **778** luco triuiae templisque **aeuv** **780** pauide **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\mathbf{P^x}\boldsymbol{\gamma^1}$) effundere **Mfg** **794** densantur **duw**$\boldsymbol{\gamma^1}$, *Tib.* **795** Rutuli] Siculi *Seru. ad Aen. 1, 2* **796** et^1] stant *Macrob. 5, 15, 19*

Circaeumque iugum, quis Iuppiter Anxurus aruis
praesidet et uiridi gaudens Feronia luco;
qua Saturae iacet atra palus gelidusque per imas
quaerit iter uallis atque in mare conditur Vfens.
  Hos super aduenit Volsca de gente Camilla
agmen agens equitum et florentis aere cateruas,
bellatrix, non illa colo calathisue Mineruae
femineas adsueta manus, sed proelia uirgo
dura pati cursuque pedum praeuertere uentos.
illa uel intactae segetis per summa uolaret
gramina nec teneras cursu laesisset aristas,
uel mare per medium fluctu suspensa tumenti
ferret iter, celeris nec tingeret aequore plantas.
illam omnis tectis agrisque effusa iuuentus
turbaque miratur matrum et prospectat euntem,
attonitis inhians animis, ut regius ostro
uelet honos leuis umeros, ut fibula crinem
auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram
et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

MPR

799 anxurus **M** : anxuris **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}), *Macrob. 5, 15, 19* (anxyris *Tib.*) : anxyrus *Seru.* : auxyrus **R** **801** Saturae] Asturae (*uel* Sturae) «*alii*» *ap. Seru.* **814** inhians] haesere (*cf. Aen. 5, 529*) **Pγ** (*corr.* **γ**^{1})

LIBER VIII

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
extulit et rauco strepuerunt cornua cantu,
utque acris concussit equos utque impulit arma,
extemplo turbati animi, simul omne tumultu
coniurat trepido Latium saeuitque iuuentus
effera. ductores primi Messapus et Vfens
contemptorque deum Mezentius undique cogunt
auxilia et latos uastant cultoribus agros.
mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem
qui petat auxilium, et Latio consistere Teucros,
aduectum Aenean classi uictosque penatis
inferre et fatis regem se dicere posci
edoceat multasque uiro se adiungere gentis
Dardanio et late Latio increbrescere nomen:
quid struat his coeptis, quem, si fortuna sequatur,
euentum pugnae cupiat, manifestius ipsi
quam Turno regi aut regi apparere Latino.
    Talia per Latium. quae Laomedontius heros
cuncta uidens magno curarum fluctuat aestu
atque animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc
in partisque rapit uarias perque omnia uersat:
sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
sole repercussum aut radiantis imagine lunae
omnia peruolitat late loca iamque sub auras
erigitur summique ferit laquearia tecti.
nox erat et terras animalia fessa per omnis
alituum pecudumque genus sopor altus habebat,
cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe

MPR 14 *redit* **V**

2 sonuerunt **P** (*corr.* **P**^{2}) **3** *secl. Ribbeck* (*cf. Prol. 83*) **10** considere **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* consistere, *fide Sabb. et Geym.*) **γ**; *cf. Aen. 6, 67* **13–14** multasque – nomen *post Peerlkamp secl. Ribbeck* **18** talia … quae *iungit Tib.* **25** lacuaria *schol. Ver.*, «*multi*» *ap. Seru.*

Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
procubuit seramque dedit per membra quietem.
huic deus ipse loci fluuio Tiberinus amoeno
populeas inter senior se attollere frondes
uisus: eum tenuis glauco uelabat amictu
carbasus, et crinis umbrosa tegebat harundo;
tum sic adfari et curas his demere dictis:
  ‘O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem
qui reuehis nobis aeternaque Pergama seruas,
exspectate solo Laurenti aruisque Latinis,
hic tibi certa domus, certi (ne absiste) penates;
neu belli terrere minis: tumor omnis et irae
concessere deum.
iamque tibi, ne uana putes haec fingere somnum,
litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
triginta capitum fetus enixa iacebit,
alba solo recubans, albi circum ubera nati.
[hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,]
ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
haud incerta cano. nunc qua ratione quod instat
expedias uictor, paucis (aduerte) docebo.

MPRV 39 *desinit* **V**

29 pectore **M** (*corr.* **M**^{A}) **41** «*mire quidam conclusit hunc uersum dicens* concessere deum profugis noua moenia Teucris» *Seru. hic et item ad Aen. 3, 340* (*cf. Aen. 10, 158*); *nam, quamquam* concessere *idem ac ‘destiterunt’ hic profecto ualet, nimium diligens interpolator, cum censeret Iunonis iram nondum placatam esse, ita uersum expleuit ut* concessere *ualeret idem ac ‘dederunt’, quasi sensus esset ‘assiduae deorum irae non uetuerunt quin Teucri noua moenia haberent’* **42–49** iamque – incerta cano *secl. Ribbeck auctore Heyne, cui oratio, coniunctis uersibus 41* concessere deum *et 49* nunc qua ratione quod instat, *continua currere uisa est* **42** *imitatur Sil. 8, 178 ‘ne falsa putes haec fingere somnum’* ne] nec **Rγ** (*corr.* **γ**^{1}) putas **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* putes *fide Sabb. et Geym.*) **gγ** (*corr.* **γ**^{1}) **43–46** = *Aen. 3, 390–393* (*ubi re uera legitur* is locus) **46** *om.* **MPanrγ**, *Tib.*, *non legisse uidetur Seru.* (*qui 47* ex quo *‘qua ratiocinatione’ interpretatur*) : *habent* **Rωγ**^{1} **50** expedias **MP** (*fide Ribb., Sabb. et Geym.*) **Rωγ**^{1}, *Tib.* : expediam **M**^{2}**P**$^{(1)}$ (*in ras.*) **detwγ** (*cf. Aen. 6, 759 et 11, 315*)

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
delegere locum et posuere in montibus urbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.
hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina;
hos castris adhibe socios et foedera iunge.
ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
aduersum remis superes subuectus ut amnem.
surge age, nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces iramque minasque
supplicibus supera uotis. mihi uictor honorem
persolues. ego sum pleno quem flumine cernis
stringentem ripas et pinguia culta secantem,
caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis.
hic mihi magna domus; celsis caput urbibus exit.'
Dixit, deinde lacu fluuius se condidit alto
ima petens; nox Aenean somnusque reliquit.
surgit et aetherii spectans orientia solis
lumina rite cauis undam de flumine palmis
sustinet ac talis effundit ad aethera uoces:
'Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
accipite Aenean et tandem arcete periclis.
quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis,
semper honore meo, semper celebrabere donis
corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum:
adsis o tantum et propius tua numina firmes.'
sic memorat geminasque legit de classe biremis

MPR 71 *redit* **F**

51 appallante **M** (*corr.* **M**^{x}) : appellante **zγ** (*corr.* **γ**^{1}), a pellante **acx** **56** foedere **Pbnrγ**, *agnoscit Seru.* (*cf. Aen. 4, 112*) **60** irasque **ω** (*praeter* **abfgjknr**) **61** uotis] donis **dijwz** (*cf. Aen. 3, 439*) **63** pinguia] singula **M** : pingula **γ** (*corr.* **M**^{A}**γ**^{1}) **65** magna] certa **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); *cf. u. 39* **67** relinquit **Rceuv** **70** sustinet] sustulit **ω** (*praeter* **anr**) **γ**^{1} **75** tenet **MPωγ**, *Seru.* : tenent **FR** : tenes *Tib.* **78** tantum] tandem **dgkwz** proprius **Pγ**^{1} (*corr.* **P**^{x}), *agnoscit Seru.* : placide **b** (placidus tua munia firmes *Tib.*)

remigioque aptat, socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,
candida per siluam cum fetu concolor albo
procubuit uiridique in litore conspicitur sus;
quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno,
mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluuium, quam longa est, nocte tumentem
leniit et tacita refluens ita substitit unda,
mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
ergo iter inceptum celerant rumore secundo:
labitur uncta uadis abies; mirantur et undae,
miratur nemus insuetum fulgentia longe
scuta uirum fluuio pictasque innare carinas.
olli remigio noctemque diemque fatigant
et longos superant flexus uariisque teguntur
arboribus uiridisque secant placido aequore siluas.
sol medium caeli conscenderat igneus orbem
cum muros arcemque procul ac rara domorum
tecta uident, quae nunc Romana potentia caelo
aequauit, tum res inopes Euandrus habebat;
ocius aduertunt proras urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno diuisque ferebat
ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
una omnes iuuenum primi pauperque senatus
tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
ut celsas uidere rates atque inter opacum
adlabi nemus et tacitos incumbere remis,
terrentur uisu subito cunctique relictis

FMPR 93 *redit* **V** 98 *desinit* **F**

90 celerant] peragunt **Raj** (peragant **γ^1**), *Non. 385, 7, Macrob. 6, 1, 37* (*cf. Aen. 6, 384*) : celebrant **gn** rumone **M** (*corr.* **M^2** *supra lineam*, **M^A** *in mg.*), *agnoscit Seru.* («[*Tiberis*] *Rumon dictus est*») *post* celerant *dist. Heyne,* rumore secundo labitur *coniungens* **92** mirantur **Fγ** (*corr.* **$F^2\gamma^1$**) **100** tunc **Rberuv**, *Tib.* **102** sollemne **PR**, *Non. 320, 15* **108** tacitos **MPRVωγ**, *Tib.* : tacitis **dfkzγ^1**, *Seru.*

consurgunt mensis. audax quos rumpere Pallas
sacra uetat raptoque uolat telo obuius ipse
et procul e tumulo: 'iuuenes, quae causa subegit
ignotas temptare uias? quo tenditis?' inquit,
'qui genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma?'
tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta
paciferaeque manu ramum praetendit oliuae:
'Troiugenas ac tela uides inimica Latinis,
quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus; ferte haec et dicite lectos
Dardaniae uenisse duces socia arma rogantis.'
obstipuit tanto percussus nomine Pallas:
'egredere o quicumque es' ait 'coramque parentem
adloquere ac nostris succede penatibus hospes.'
excepitque manu dextramque amplexus inhaesit;
progressi subeunt luco fluuiumque relinquunt.
Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:
'optume Graiugenum, cui me Fortuna precari
et uitta comptos uoluit praetendere ramos,
non equidem extimui Danaum quod ductor et Arcas
quodque a stirpe fores geminis coniunctus Atridis;
sed mea me uirtus et sancta oracula diuum
cognatique patres, tua terris didita fama,
coniunxere tibi et fatis egere uolentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Grai perhibent, Atlantide cretus,
aduehitur Teucros; Electram maximus Atlas
edidit, aetherios umero qui sustinet orbes.
uobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum uertice fudit;

MPRV 118 *desinit* **V**

115 tunc **R** fatus **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **116** protendit $\boldsymbol{\gamma}^1$ **120** duces] uiros **cfgjwyz** **121** percussus **MP**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Seru.* : perculsus **Rabcejnuv**, *Tib.* (*cf. Aen. 1, 513*) **122** parente **deuw** **123** ac] et **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{\mathbf{A}}$), *Non. 403, 23* **124** dextraque **R** **130** a] ab $\mathbf{M}^{\mathbf{x}}$ (ad **M**) **132** didita **MPachnsuxy**, *Velius 65, 9, Seru. in interpr., Tib.* : dedita **R**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Seru. in lemm.* **139** fundit **P** (*corr.* $\mathbf{P}^{\mathbf{x}}$)

at Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
idem Atlas generat caeli qui sidera tollit.
sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
his fretus non legatos neque prima per artem
temptamenta tui pepigi: me, me ipse meumque
obieci caput et supplex ad limina ueni.
gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt
quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant
et mare quod supra teneant quodque adluit infra.
accipe daque fidem: sunt nobis fortia bello
pectora, sunt animi et rebus spectata iuuentus.'
    Dixerat Aeneas. ille os oculosque loquentis
iamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
tum sic pauca refert: 'ut te, fortissime Teucrum,
accipio agnoscoque libens! ut uerba parentis
et uocem Anchisae magni uultumque recordor!
nam memini Hesionae uisentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
protinus Arcadiae gelidos inuisere finis.
tum mihi prima genas uestibat flore iuuentas,
mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises: mihi mens iuuenali ardebat amore
compellare uirum et dextrae coniungere dextram;
accessi et cupidus Phenei sub moenia duxi.
ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
discedens chlamydemque auro dedit intertextam
frenaque bina meus quae nunc habet aurea Pallas.

MPR

140 cuiquam **R** creditis **Pγ** (*corr.* **γ¹**) **147** pellat ... credit *Tib.* afore **Pabfgjkrsγ¹**, *Seru. in lemm.* : adfore **M**^A?^ (atfore **M**) **P¹ωγ**, *Tib.*, *Isid. 2, 30, 11* : fore **R** : offore *fortasse Seru. in interpr.* («*sibi offuturum nihil arbitrantur*») **148** mittat *Tib.* **149** teneant supra **Pγ** (*ord. rest.* **Pˣγ¹**) teneat *Tib.* abluit **R** *uersum post Peerlkamp secl. Ribbeck cl. georg. 2, 158* **160** iuuentus **cdefhz** : iuuenta **n** **161** teucrum **γ¹** **165** phenei *Seru.* : phaenei **M** : poenei **P** (penei **Pˣ**) : phoenei **R** : paeni *Tib.* **167** intertexto **PRdjw?y** (*corr.* **P²**), *agnoscit Seru.*

ergo et quam petitis iuncta est mihi foedere dextra,
et lux cum primum terris se crastina reddet,
auxilio laetos dimittam opibusque iuuabo.
interea sacra haec, quando huc uenistis amici,
annua, quae differre nefas, celebrate fauentes
nobiscum et iam nunc sociorum adsuescite mensis.'
    Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
pocula gramineoque uiros locat ipse sedili
praecipuumque toro et uillosi pelle leonis
accipit Aenean solioque inuitat acerno.
tum lecti iuuenes certatim araeque sacerdos
uiscera tosta ferunt taurorum onerantque canistris
dona laboratae Cereris Bacchumque ministrant.
uescitur Aeneas simul et Troiana iuuentus
perpetui tergo bouis et lustralibus extis.
    Postquam exempta fames et amor compressus edendi,
rex Euandrus ait: 'non haec sollemnia nobis,
has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
uana superstitio ueterumque ignara deorum
imposuit: saeuis, hospes Troiane, periclis
seruati facimus meritosque nouamus honores.
iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,
disiectae procul ut moles desertaque montis
stat domus et scopuli ingentem traxere ruinam.
hic spelunca fuit uasto summota recessu,
semihominis Caci facies quam dira tenebat
solis inaccessam radiis; semperque recenti
caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis
ora uirum tristi pendebant pallida tabo.
huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
ore uomens ignis magna se mole ferebat.

MPR

171 lectos **P** (*corr.* **P**^{2}) : tutos *Seru. ad u. 464* (*cf. Aen. 1, 571*) **182** et] ac **aeuv** **183** perpetuo *recc.* **187** ueterumue **M**^{x} (*correctio postea erasa*) **cdgijkwxyz**, *Tib.* **190** primum] pridem **Rabjruv**, *Tib. in lemm.* (*sed* primum *in interpr.*) **191** deiectae **R** **194** tenebat **M**$^{A?}$**ω** : tegebat **MPRabhjnrvγ**, *Tib.*; *cf. georg. 3, 352 'clausa tenent stabulis armenta'*

attulit et nobis aliquando optantibus aetas
auxilium aduentumque dei. nam maximus ultor,
tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat taurosque hac uictor agebat
ingentis, uallemque boues amnemque tenebant.
at furis Caci mens effera, ne quid inausum
aut intractatum scelerisue doliue fuisset,
quattuor a stabulis praestanti corpore tauros
auertit, totidem forma superante iuuencas.
atque hos, ne qua forent pedibus uestigia rectis,
cauda in speluncam tractos uersisque uiarum
indiciis raptos saxo occultabat opaco:
[quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant]
interea, cum iam stabulis saturata moueret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
discessu mugire boues atque omne querelis
impleri nemus et colles clamore relinqui.
reddidit una boum uocem uastoque sub antro
mugiit et Caci spem custodita fefellit.
hic uero Alcidae furiis exarserat atro
felle dolor: rapit arma manu nodisque grauatum
robur et aërii cursu petit ardua montis.
tum primum nostri Cacum uidere timentem
turbatumque oculis: fugit ilicet ocior Euro
speluncamque petit, pedibus timor addidit alas.
ut sese inclusit ruptisque immane catenis

MPR

202 geryonae **Pacfhixγ** (geryone **Msuy**), *Seru. hic et ad Aen. 7, 662* : geryoni **R** : geryonis **M**^{2}**bdgjntwz** : geryones **krv**, *Tib.* : geryoneis **e** superbis **bcγ** (*corr.* **γ**^{1}) **205** furis **Mωγ**^{1} (furi **s**), *Seru.*, *DSeru.* (*cf. Prop. 4, 9, 13–14*) : furiis **M**^{A} (*in mg.*) **PRabrtγ**, *GLK VII, 351, 19*, *Tib.* **206** intemptatum **M**^{A}**dhistwz** **211** raptor *Wakefield* (*cl. Prop. 4, 9, 9*), *at* cauda – raptos *est dicolon abundans et concinnum* **212** *cum Wakefield secl. Reeve* (*«CR» 20, 1970, 134 sq.*) quaerentes **Rcjnuγ**^{1} : quaerentis **br** : quaerentem *recc.* **213** iam a *recc.* **214** parabat **M** (*corr.* **M**^{A}) : pararent **R** **221** et aerii **M**^{A}**PRω** (et haerii **b**, et aerei **kw**), *Tib. in interpr.* : aetherii **Mfrtγ**, *Tib. in lemm.* : et aetherii **cghiuxy** **222** trementem **γ**^{1} **223** oculis **MPRωγ**^{1}, *Seru. hic et alibi*, *Tib.* : oculos **γ** : oculi «*alii*» *ap. Seru.*

deiecit saxum, ferro quod et arte paterna
pendebat, fultosque emuniit obice postis,
ecce furens animis aderat Tirynthius omnemque
accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
dentibus infrendens. ter totum feruidus ira
lustrat Auentini montem, ter saxea temptat
limina nequiquam, ter fessus ualle resedit.
stabat acuta silex praecisis undique saxis
speluncae dorso insurgens, altissima uisu,
dirarum nidis domus opportuna uolucrum.
hanc, ut prona iugo laeuum incumbebat ad amnem,
dexter in aduersum nitens concussit et imis
auulsam soluit radicibus, inde repente
impulit; impulsu quo maximus intonat aether,
dissultant ripae refluitque exterritus amnis.
at specus et Caci detecta apparuit ingens
regia, et umbrosae penitus patuere cauernae,
non secus ac si qua penitus ui terra dehiscens
infernas reseret sedes et regna recludat
pallida, dis inuisa, superque immane barathrum
cernatur, trepident immisso lumine Manes.
ergo insperata deprensum luce repente
inclusumque cauo saxo atque insueta rudentem
desuper Alcides telis premit, omniaque arma
aduocat et ramis uastisque molaribus instat.
ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,
faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
euomit inuoluitque domum caligine caeca
prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
fumiferam noctem commixtis igne tenebris.

MPR

232 limina *dist.* **P**^{2}, «*quidam*» *ap. DSeru.* **237** auersum **b** **239** intonat **MPnγ**, *Tib.* : insonat **Rω** (*cf. Aen. 7, 515*) **242** penitus] late *Schrader cl. Enn. ann. 440 Vahl.*^{2} *= 429 Sk.* **244** reseret **Mbeijkrxyz**, *Macrob. 5, 16, 14*, *Seru.* : reserat **M**^{A}**PRωγ**, *Non. 41, 13*, *Tib.* **246** trepidantque **R** **247** luce **MPgnγ** : in luce **M**^{A}**Rωγ**^{1}, *Tib.* **251** pericli est **Pcefghijkvxyzγ** (est *del.* **γ**^{1}), *DSeru. ad Aen. 3, 489* : est pericli **u**; *cf. Aen. 5, 716*

non tulit Alcides animis seque ipse per ignem
praecipiti iecit saltu, qua plurimus undam
fumus agit nebulaque ingens specus aestuat atra.
hic Cacum in tenebris incendia uana uomentem
corripit in nodum complexus et angit inhaerens
elisos oculos et siccum sanguine guttur.
panditur extemplo foribus domus atra reuulsis
abstractaeque boues abiurataeque rapinae
caelo ostenduntur, pedibusque informe cadauer
protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
terribilis oculos, uultum uillosaque saetis
pectora semiferi atque exstinctos faucibus ignis.
ex illo celebratus honos laetique minores
seruauere diem, primusque Potitius auctor
et domus Herculei custos Pinaria sacri
hanc aram luco statuit, quae maxima semper
dicetur nobis et erit quae maxima semper.
quare agite, o iuuenes, tantarum in munere laudum
cingite fronde comas et pocula porgite dextris
communemque uocate deum et date uina uolentes.'
dixerat, Herculea bicolor cum populus umbra
uelauitque comas foliisque innexa pependit
et sacer impleuit dextram scyphus. ocius omnes
in mensam laeti libant diuosque precantur.
    Deuexo interea propior fit Vesper Olympo.
iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
instaurant epulas et mensae grata secundae

MPR

257 iecit **MRabdnrtwz**, *Tib.* : iniecit **Pωγ**   **261** elidens **n**, «*multi*» *ap. Seru.*   **262** exemplo **PRb** (*corr.* $\mathbf{P}^{1}$) : interea $\boldsymbol{\gamma}^{1}$ atra] alta **P** (*corr.* $\mathbf{P}^{2}$); *cf. georg. 2, 461*   **270** *post* sacri *dist. edd. nonnulli, qui Herculem ipsum aram statuisse interpretantur*   **271–272** *damn. Heyne*; *sed haec iteratio placuisse uidetur Propertio* (*cf. 4, 9, 67–68*)   **275–277** *om.* **M** (*ima pagina addiderat* $\mathbf{M}^{A}$, *postea erasit et denuo scripsit man. librario simillima*; *cf. Aen. 1, 169*)   **277** innexa] inmissa *ps. Probus ad georg. 2, 66*   **280** proprior **Pbcfhvγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$)   **282** flammamque **R**   **283–284** *secl. Ribbeck auctore Heyne*

dona ferunt cumulantque oneratis lancibus aras.
tum Salii ad cantus incensa altaria circum
populeis adsunt euincti tempora ramis,
hic iuuenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima nouercae
monstra manu geminosque premens eliserit angues,
ut bello egregias idem disiecerit urbes,
Troiamque Oechaliamque, ut duros mille labores
rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae
pertulerit. 'tu nubigenas, inuicte, bimembris
Hylaeumque Pholumque manu, tu Cresia mactas
prodigia et uastum Nemeae sub rupe leonem.
te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
ossa super recubans antro semesa cruento;
nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus
arduus arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
salue, uera Iouis proles, decus addite diuis,
et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.'
talia carminibus celebrant; super omnia Caci
speluncam adiciunt spirantemque ignibus ipsum.
consonat omne nemus strepitu collesque resultant.
Exim se cuncti diuinis rebus ad urbem
perfectis referunt. ibat rex obsitus aeuo
et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
ingrediens uarioque uiam sermone leuabat.
miratur facilisque oculos fert omnia circum
Aeneas capiturque locis et singula laetus
exquiritque auditque uirum monumenta priorum.
tum rex Euandrus Romanae conditor arcis:

MPR

285 tunc **R** **288** ferant $\mathbf{M^A}$ **291** oechaliam **M** (-que *add.* $\mathbf{M^A}$) ut $\mathbf{M^A}$ (e **M**) **Pωγ**, *Porph. ad Hor. epist. 2, 1, 11, Tib.* : et **Rbr**, *Macrob. 6, 6, 14* **295** nemeae **Pω**, *Seru.* : nemaea **M** : nemea $\mathbf{P^x}$**Rbjxyγ** **301** decus] deus *recc., Bentley, sed cf. Stat. Theb. 1, 22 'decus addite famae'* **313** tum rex] tunc pater *Seru. ad Aen. 6, 773, Isid. 15, 1, 55* (tunc rex *Seru. ad Aen. 7, 678, Isid. 15, 1, 1*); *cf. u. 558* euander **Pckxyγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma^1}$)

'haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant
gensque uirum truncis et duro robore nata,
quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros
aut componere opes norant aut parcere parto,
sed rami atque asper uictu uenatus alebat.
primus ab aetherio uenit Saturnus Olympo,
arma Iouis fugiens et regnis exul ademptis.
is genus indocile ac dispersum montibus altis
composuit legesque dedit Latiumque uocari
maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
aurea quae perhibent illo sub rege fuere
saecula: sic placida populos in pace regebat,
deterior donec paulatim ac decolor aetas
et belli rabies et amor successit habendi.
tum manus Ausonia et gentes uenere Sicanae,
saepius et nomen posuit Saturnia tellus;
tum reges asperque immani corpore Thybris,
a quo post Itali fluuium cognomine Thybrim
diximus: amisit uerum uetus Albula nomen.
me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
his posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis nymphae monita et deus auctor Apollo.'
Vix ea dicta, dehinc progressus monstrat et aram
et Carmentalem Romani nomine portam
quam memorant, nymphae priscum Carmentis honorem,
uatis fatidicae, cecinit quae prima futuros

MPR

317 parto] rapto **M** (*corr. supra lineam* **M**^{A}, *ut uid.*) **324** aurea quae **MP**^{2}**Rωγ**, *Lact. diu. inst. 1, 13, 12*, *Aug. ciu. 18, 15*, *Tib.* : aureaque **P** : aureaque ut **cekuvxy** (*cf. georg. 1, 247 et Aen. 4, 179*) fuerunt **Pckxyγ** **328** tunc **γ**, *Seru.* ausonia **MPnxγ** : ausoniae **Rω**, *Seru.*, *Tib.* sicanae *dist.* «*alii*» *ap. DSeru.* : saepius *dist.* **M**^{x} (*dubium an et* sicanae), sicanae *et* saepius *dist.* **P**^{2}; saepius ... posuit *id est 'saepenumero uetus nomen deposuit et in nouum mutauit'* (*Ausonia, Hesperia, Oenotria, Italia*) **337** aram] arma **MR** (*corr.* **M**^{x}) **338** romani **MPfhrγ**, *GLK IV, 519, 6*, *Tib.* : romano **Rωγ**^{1}

Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.
hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
nec non et sacri monstrat nemus Argileti
testaturque locum et letum docet hospitis Argi.
hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit
aurea nunc, olim siluestribus horrida dumis.
iam tum religio pauidos terrebat agrestis
dira loci, iam tum siluam saxumque tremebant.
'hoc nemus, hunc' inquit 'frondoso uertice collem
(quis deus incertum est) habitat deus: Arcades ipsum
credunt se uidisse Iouem, cum saepe nigrantem
aegida concuteret dextra nimbosque cieret.
haec duo praeterea disiectis oppida muris,
reliquias ueterumque uides monumenta uirorum.
hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.'
talibus inter se dictis ad tecta subibant
pauperis Euandri, passimque armenta uidebant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
ut uentum ad sedes, 'haec' inquit 'limina uictor
Alcides subiit, haec illum regia cepit.
aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum
finge deo rebusque ueni non asper egenis.'
dixit, et angusti subter fastigia tecti
ingentem Aenean duxit stratisque locauit
effultum foliis et pelle Libystidis ursae:
nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.

MPR

341 nobile **Mωγ**^{1}, *GLK IV, 519, 9, Seru., Prisc. 8, 54* : nobine **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* nobile, *fide Sabb. et Geym.*) : nomine **Rjγ**, *Tib.* **343** sub rupe Lupercal] argileti **M** (*cf. u. 345*), *corr.* **M**^{A} **344** parnasio **Rbg** more] monte *recc., Schrader cl. Ou. fast. 2, 423* **350** siluas **Rb** tenebant **M** : remebant **P** : tremebat **γ** (*corr.* **M**^{A}**P**^{1}**γ**^{1}) **357** arcem **MPωγ**, *Tib.* : urbem **M**^{A}**Rabdfijnrwz** (*cf. Aen. 1, 5*) **361** latis **M** (*corr.* **M**^{2}, *correctio postea erasa*) cauernis **R** **362** uictor] nobis **br** **365** deos **Pγ**? (*corr.* **P**^{x}**γ**^{1}) **368** spoliis *recc.*

At Venus haud animo nequiquam exterrita mater
Laurentumque minis et duro mota tumultu
Volcanum adloquitur thalamoque haec coniugis aureo
incipit et dictis diuinum adspirat amorem:
'dum bello Argolici uastabant Pergama reges
debita casurasque inimicis ignibus arces,
non ullum auxilium miseris, non arma rogaui
artis opisque tuae, nec te, carissime coniunx,
incassumue tuos uolui exercere labores,
quamuis et Priami deberem plurima natis
et durum Aeneae fleuissem saepe laborem.
nunc Iouis imperiis Rutulorum constitit oris:
ergo eadem supplex uenio et sanctum mihi numen
arma rogo, genetrix nato. te filia Nerei,
te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
aspice qui coeant populi, quae moenia clausis
ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.'
dixerat et niueis hinc atque hinc diua lacertis
cunctantem amplexu molli fouet. ille repente
accepit solitam flammam, notusque medullas
intrauit calor et labefacta per ossa cucurrit,
non secus atque olim tonitru cum rupta corusco
ignea rima micans percurrit lumine nimbos:
sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.
tum pater aeterno fatur deuinctus amore:
'quid causas petis ex alto? fiducia cessit
quo tibi, diua, mei? similis si cura fuisset,
tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;

MPR

373 inspirat *Tib.* **377** opisue **dijktwz**, *Tib.* **378** incassumque **Mn** (*corr.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) **381** imperio **dhitwz**, *Seru.*, *DSeru. ad u. 374* **382** nomen **P** (*fide Sabb. et Geym.*, *corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) **383** rogo *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru.*, *Tib. in lemm.* neri **ik**, *Asper ap. Seru.* («*pro* 'Nerei'») **386** ferrum] bellum *DSeru. ad Aen. 2, 27* **390** calefacta **Rdjw** **391** non] haut **M** **394** deuinctus **MPRabefgijnvγ**^{1}, *Seru. hic et ad u. 373*, *Tib.* : deuictus **P**^{x}**ωγ** : euinctus *recc.* **396** fuisset] subisset *Hensius cl. Aen. 9, 757* **397** tunc **aeruv** teucros nobis **Pcy** (*ord. rest.* **P**^{x})

nec pater omnipotens Troiam nec fata uetabant
stare decemque alios Priamum superesse per annos.
et nunc, si bellare paras atque haec tibi mens est,
quidquid in arte mea possum promittere curae,
quod fieri ferro liquidoue potest electro,
quantum ignes animaeque ualent, absiste precando
uiribus indubitare tuis.’ ea uerba locutus
optatos dedit amplexus placidumque petiuit
coniugis infusus gremio per membra soporem.
    Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
cui tolerare colo uitam tenuique Minerua
impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
exercet penso, castum ut seruare cubile
coniugis et possit paruos educere natos:
haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
erigitur Liparen fumantibus ardua saxis,
quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
antra Aetnaea tonant, ualidique incudibus ictus
auditi referunt gemitus, striduntque cauernis
stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat,
Volcani domus et Volcania nomine tellus.
hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto.
ferrum exercebant uasto Cyclopes in antro,

MPR

401 possunt **Mjn** (*corr.* **M**^{A}) **402** potestur **defgiknvwxz** (potestatur **j**) **406** infusus **Mωγ**, *Gell. 9, 10, 2, Non. 366, 29, Seru.*, «*alii*» *ap. DSeru.*, *Tib.*, *Gramm.* : infusum *in* infusus *corr.* **P**^{1} (*in ras.*), infusum **R**, *Probus et Carminius ap. Seru.* : effusus *Diom. 460, 18* **409** calathisque mineruae **dtw** (*cf. Aen. 7, 805*) **412** exercens **M** **413** paruos possit **fg** **420** gemitus **P**^{1}**M**^{x} (*distinguens* gemitus trid-), *Seru.*, *DSeru.* : gemitu **MPd** : gemitum **Rω**, *Tib.* **423** huc tum **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); hoc *pro ‘huc’ positum testantur Seru. hic et ad Aen. 1, 4, Prisc. 1, 34 et 15, 6*

Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.
his informatum manibus iam parte polita
fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo
deicit in terras, pars imperfecta manebat.
tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
addiderant, rutili tris ignis et alitis Austri:
fulgores nunc terrificos sonitumque metumque
miscebant operi flammisque sequacibus iras.
parte alia Marti currumque rotasque uolucris
instabant, quibus ille uiros, quibus excitat urbis;
aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
certatim squamis serpentum auroque polibant
conexosque anguis ipsamque in pectore diuae
Gorgona desecto uertentem lumina collo.
'tollite cuncta' inquit 'coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc aduertite mentem:
arma acri facienda uiro. nunc uiribus usus,
nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
praecipitate moras.' nec plura effatus; at illi
ocius incubuere omnes pariterque laborem
sortiti. fluit aes riuis aurique metallum
uulnificusque chalybs uasta fornace liquescit.
ingentem clipeum informant, unum omnia contra
tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
impediunt. alii uentosis follibus auras
accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
aera lacu; gemit impositis incudibus antrum;
illi inter sese multa ui bracchia tollunt
in numerum uersantque tenaci forcipe massam.
   Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma
et matutini uolucrum sub culmine cantus.

MPR

425 Pyracmon *testatur Seru.* («ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ ἄκμονος») : pyragmon **PR** : pyragmo˜ **M** **431** horrificos **Rdijwz** **433** currum (*om.* -que) **P**^{x}**γ** (*corr.* **γ**^{1}) **435** horrificam **a?γ**^{1} **438** deiecto **R** **440** auertite **γ** **443** at] et **P** (*corr.* **P**^{2}) **dtw** **446** chalybs **R** (calybs **M**) : chalyps **P** **456** matutinus *Macrob. 5, 8, 6*

consurgit senior tunicaque inducitur artus
et Tyrrhena pedum circumdat uincula plantis;
tum lateri atque umeris Tegeaeum subligat ensem
demissa ab laeua pantherae terga retorquens.
nec non et gemini custodes limine ab alto
praecedunt gressumque canes comitantur erilem.
hospitis Aeneae sedem et secreta petebat
sermonum memor et promissi muneris heros.
nec minus Aeneas se matutinus agebat;
filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
congressi iungunt dextras mediisque residunt
aedibus et licito tandem sermone fruuntur.
rex prior haec:
‘maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam
res equidem Troiae uictas aut regna fatebor,
nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
exiguae uires; hinc Tusco claudimur amni,
hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.
sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
iungere castra paro, quam fors inopina salutem
ostentat: fatis huc te poscentibus adfers.
haud procul hinc saxo incolitur fundata uetusto
urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis.
hanc multos florentem annos rex deinde superbo
imperio et saeuis tenuit Mezentius armis.
quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
effera? di capiti ipsius generique reseruent!

MPR

459 Tegeaeum *Seru. hic et ad Aen. 5, 299* : tegaeum **Pωγ** : tegeum **MRdfgijnwz** **460** pantherea **P** (-ea *in ras.*? panthere **P**^{x}) **γ** **461** ab alto] *multis uisum est contra uerba* ex humili tecto (*455*) *repugnare* (in ipso *Macrob. 5, 8, 6*; ab arto *Markland ad Stat. silu. 1, 1, 46*), *sed epithetum ornans est quod epico stilo respondet* **462** procedunt **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* prae- *fide Sabb. et Geym.*, prae- *rest.* **P**^{2}) **dw** **465** se **MPanwz** : sese **M**$^{1?}$**P**^{2}**Rωγ** **472** auxilium belli **fgx** nomine *ex* numine **P**$^{(1)}$ **474** circumtonat **M**$^{A?}$ **477** adfer **w**; «*legimus et* adfer *et* adfers» *Seru.*

mortua quin etiam iungebat corpora uiuis
componens manibusque manus atque oribus ora,
tormenti genus, et sanie taboque fluentis
complexu in misero longa sic morte necabat.
at fessi tandem ciues infanda furentem
armati circumsistunt ipsumque domumque,
obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros
confugere et Turni defendier hospitis armis.
ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis:
regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.
his ego te, Aenea, ductorem milibus addam.
toto namque fremunt condensae litore puppes
signaque ferre iubent, retinet longaeuus haruspex
fata canens: “o Maeoniae delecta iuuentus,
flos ueterum uirtusque uirum, quos iustus in hostem
fert dolor et merita accendit Mezentius ira,
nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
externos optate duces.” tum Etrusca resedit
hoc acies campo monitis exterrita diuum.
ipse oratores ad me regnique coronam
cum sceptro misit mandatque insignia Tarchon,
succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.
sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
inuidet imperium seraeque ad fortia uires.
natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
hinc partem patriae traheret. tu, cuius et annis
et generi fatum indulget, quem numina poscunt,
ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.
hunc tibi praeterea, spes et solacia nostri,
Pallanta adiungam: sub te tolerare magistro
militiam et graue Martis opus, tua cernere facta

MPR

487 fluenti **xγ** **492** caedem **MRdfgntwzγ**^{1} : caedes **M**^{A}**ω** (cedes **Pcγ**); *cf. Aen. 8, 709*; *11, 648 et 729* **512** fatum **PRωγ**, *DSeru. hic et ad u. 552* : fata **MP**^{2}**ckxyγ**^{1} : fato **u** indulget **P** (indulges **P**^{1} *in ras.*) **R**^{x} (indulgeet **R**) **ω**, *DSeru. hic et ad u. 552* : indulgent **MP**^{2}**ckuxyγ** **514** nunc **dtw**

adsuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
lecta dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.’
Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades et fidus Achates
multaque dura suo tristi cum corde putabant,
ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.
namque improuiso uibratus ab aethere fulgor
cum sonitu uenit et ruere omnia uisa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
suspiciunt, iterum atque iterum fragor increpat ingens:
arma inter nubem caeli in regione serena
per sudum rutilare uident et pulsa tonare.
obstipuere animis alii, sed Troius heros
agnouit sonitum et diuae promissa parentis.
tum memorat: ‘ne uero, hospes, ne quaere profecto
quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
hoc signum cecinit missuram diua creatrix,
si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras
laturam auxilio.
heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
scuta uirum galeasque et fortia corpora uolues,
Thybri pater! poscant acies et foedera rumpant.’
Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto
et primum Herculeis sopitas ignibus aras
excitat hesternumque larem paruosque penates
laetus adit; mactat lectas de more bidentis

MPR

519 suo tibi **M**$^{A?}$**Rωγ**^{1}, *Seru.* : tuo sibi **M** : suo sibi **P**^{1} *in ras.* (*ex* suo tibi) **γ** nomine **Mω**, *Seru.* : munere **PRbgjnγ** **527** suscipiunt **Rahrv** intonat **acehikuvy** (insonat **fgx**), *Seru.*; *cf. u. 529 et Aen. 9, 709* **528** nubes *Non. 31, 17* in *om.* **Mγ**^{1} (*add.* **M**^{A}), *Non.* **529** tonare **M**^{A} (torare **M**) **ωγ**^{1}, *DSeru.* : sonare **PRcjkxyγ** **533** Olympo *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru.*; «*alii* Olympo *sequentibus iungunt*» *DSeru.*; *cf. Soph. OC 1629* ἐκ θεοῦ καλούμενος **538** unda **Rbj** (*cf. Aen. 1, 100*) **543** suscitat **Rdijkwz** (*cf. u. 410 et Aen. 5, 743*) hesternumque **Pωγ**, *Seru.* : externumque **MRaz**, «*male quidam*» *ap. Seru.* **544** mactant **M** (*cf. Aen. 4, 57*)

Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus.
post hinc ad nauis graditur sociosque reuisit,
quorum de numero qui sese in bella sequantur
praestantis uirtute legit; pars cetera prona
fertur aqua segnisque secundo defluit amni,
nuntia uentura Ascanio rerumque patrisque.
dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua;
ducunt exsortem Aeneae, quem fulua leonis
pellis obit totum praefulgens unguibus aureis.
    Fama uolat paruam subito uulgata per urbem
ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
uota metu duplicant matres, propiusque periclo
it timor et maior Martis iam apparet imago.
tum pater Euandrus dextram complexus euntis
haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur:
‘o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos,
qualis eram cum primam aciem Praeneste sub ipsa
straui scutorumque incendi uictor aceruos
et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,
nascenti cui tris animas Feronia mater
(horrendum dictu) dederat – terna arma mouenda,
ter leto sternendus erat; cui tunc tamen omnis
abstulit haec animas dextra et totidem exuit armis –:
non ego nunc dulci amplexu diuellerer usquam,

MPR

555 tyrrhena **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) limina **Pωγ** : litora **MRabdhijrtwzγ**^{1} **556** propriusque **Par** (propriisque **γ**, *corr.* **γ**^{1}) **557** it] id **P** : et **R** **559** haeret *dist.* **M**^{x}, lacrimans *dist.* **P**^{2} inexpletus **MP**$^{(1)}$ (*in ras.*, *ex* inexpletum *fide Ribb., Sabb. et Geym.*) **bdjrtwzγ** : inexpletum **ωγ**^{1} : inpletus **R** : in amplexu **ac**?; *cf. georg. 4, 370 saxosusque sonans*; *Aen. 3, 70 lenis crepitans*; *5, 764 creber adspirans*; *8, 299 arduus arma tenens*; *11, 832 immensus surgens* lacrimis **Mdγ**^{1} «haeret inexpletus *multi hic distinguunt ut sit ‘inexpletus haesit et talia locutus est lacrimans’; alii legunt* inexpletus lacrimis; *honestius tamen est* inexpletum lacrimans *ut sit nomen pro aduerbio*» *Seru.* **561** primum **R** **563** erulum **R** : (h)erylum **MPγ** : Erimum *Macrob. 5, 8, 8* **566** tum **br** **567** dextra et totidem] totidem dextra **f** (t. dextras **g**)

nate, tuo, neque finitimo Mezentius umquam
huic capiti insultans tot ferro saeua dedisset
funera, tam multis uiduasset ciuibus urbem.
at uos, o superi, et diuum tu maxime rector
Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis
et patrias audite preces. si numina uestra
incolumem Pallanta mihi, si fata reseruant,
si uisurus eum uiuo et uenturus in unum,
uitam oro, patior quemuis durare laborem.
sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere uitam,
dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
dum te, care puer, mea sola et sera uoluptas,
complexu teneo, grauior neu nuntius auris
uulneret.' haec genitor digressu dicta supremo
fundebat; famuli conlapsum in tecta ferebant.
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Aeneas inter primos et fidus Achates,
inde alii Troiae proceres, ipse agmine Pallas
in medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
extulit os sacrum caelo tenebrasque resoluit.
stant pauidae in muris matres oculisque sequuntur
pulueream nubem et fulgentis aere cateruas.

MPR

569 finitimos **P** (*corr.* **P**^{x}); *nisi in* finitimis *mutaueris, ut sit 'finitimis, huic capiti insultans, tot saeua dedisset funera'* umquam **Mabdhistw**, *Seru. ad u. 564* : usquam **PRωγ** **572** at **M**^{1} *uel* **M**^{A} **ωγ** : ad **MPRg** **576** uiuo] uiuum **R** **577** patiar **P**^{1}**cefghvxγ** **579** nunc o nunc liceat **Rfgj** (*cf. Aen. 2, 644*) : nunc nunc o liceat **Mωγ** : nunc nunc liceat **P** (o *ante* liceat *add.* **P**^{1}) **581** sola et sera **MRωγ**^{1}, *Auson. cento 88, Seru., Tib. ad Aen. 11, 55* : sera et sola **Pbrγ**, *Seru. ad Aen. 9, 482* : sera et sera **y** **582** complexus **M**^{A}**Rjr** neu **MPRγ**^{1} : ne **P**^{x}**ωγ**, *Non. 315, 13, Don. ad Ter. Hec. 637, Tib. ad Aen. 11, 55* : nec **v** : *om.* **c** **583** dicta] maesta (*ex Aen. 3, 482*) **M** (*corr.* **M**^{A}) **588** in^{1}] it *haud incallide Markland ad Stat. silu. 5, 1, 245*; *cf. Hom. Il. 19, 397 sq.* ὄπιθεν... βῆ Ἀχιλλεύς / ὥς τ' ἠλέκτωρ Ὑπερίων; *4, 74 sq.* βῆ... / οἷον δ' ἀστέρα (*uide C. Battistella, «RhM» 151, 2008, 429–430*)

olli per dumos, qua proxima meta uiarum,
armati tendunt; it clamor, et agmine facto
quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
religione patrum late sacer; undique colles
inclusere caui et nigra nemus abiete cingunt.
Siluano fama est ueteres sacrasse Pelasgos,
aruorum pecorisque deo, lucumque diemque,
qui primi finis aliquando habuere Latinos.
haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
castra locis, celsoque omnis de colle uideri
iam poterat legio et latis tendebat in aruis.
huc pater Aeneas et bello lecta iuuentus
succedunt fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
dona ferens aderat; natumque in ualle reducta
ut procul egelido secretum flumine uidit,
talibus adfata est dictis seque obtulit ultro:
‘en perfecta mei promissa coniugis arte
munera. ne mox aut Laurentis, nate, superbos
aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.’
dixit et amplexus nati Cytherea petiuit,
arma sub aduersa posuit radiantia quercu.
ille deae donis et tanto laetus honore
expleri nequit atque oculos per singula uoluit
miraturque interque manus et bracchia uersat
terribilem cristis galeam flammasque uomentem,
fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
sanguineam, ingentem, qualis cum caerula nubes
solis inardescit radiis longeque refulget;
tum leuis ocreas electro auroque recocto

MPR

601 agrorum *Macrob. 3, 3, 9* **605** et] ut *Faber ad Phaedr. 3, 8, 4* (*sed uide Conte, «MD» 80, 2018, 109 sq.*) **610** egelido **M$\omega\gamma^1$**, *Seru.* («*id est ‘nimium gelido’*») : et gelido **M$^{2?}$PRbdhrtwγ** (gelido **e**) **618** impleri **nγ^1**, *Macrob. 5, 8, 11* **620** uomentem **MR$\omega\gamma^1$**, *Macrob. 5, 13, 36* (*cf. Sil. 12, 720 et 17, 398*) : minantem **Pγ** : mouentem **γ^2** **621** loricamque **aer?uv**

hastamque et clipei non enarrabile textum.
illic res Italas Romanorumque triumphos
haud uatum ignarus uenturique inscius aeui
fecerat ignipotens, illic genus omne futurae
stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.
fecerat et uiridi fetam Mauortis in antro
procubuisse lupam, geminos huic ubera circum
ludere pendentis pueros et lambere matrem
impauidos, illam tereti ceruice reflexam
mulcere alternos et corpora fingere lingua.
nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas
consessu caueae, magnis Circensibus actis,
addiderat, subitoque nouum consurgere bellum
Romulidis Tatioque seni Curibusque seueris.
post idem inter se posito certamine reges
armati Iouis ante aram paterasque tenentes
stabant et caesa iungebant foedera porca.
haud procul inde citae Mettum in diuersa quadrigae
distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!),
raptabatque uiri mendacis uiscera Tullus
per siluam, et sparsi rorabant sanguine uepres.
nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
accipere ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
illum indignanti similem similemque minanti
aspiceres, pontem auderet quia uellere Cocles
et fluuium uinclis innaret Cloelia ruptis.
in summo custos Tarpeiae Manlius arcis
stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,

MPR

627 «*quibusdam uidetur hunc uersum omitti potuisse*» *DSeru.* **628** omnipotens **M** **633** reflexam **Mω** (*cf. Manil. 1, 334 ‘respicit ille tamen molli ceruice reflexus’*) : reflexa **M**^{x}**PRabnrtγ** **634** lingere **M** (*corr.* **M**$^{2?}$) **636** consensu **Rb** : concessu **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **640** aras **Rbdtw** pateramque **M** **642** Mettum] medium **M** (*corr.* **M**^{2}) **647** ingentemque **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **652** manlius **M**^{A}**Pcfgiknrstx**, *Seru.* : manulus **Mγ** : malius **R** : mallius **ωγ**^{1}

Romuleoque recens horrebat regia culmo.
atque hic auratis uolitans argenteus anser
porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant arcemque tenebant
defensi tenebris et dono noctis opacae:
aurea caesaries ollis atque aurea uestis,
uirgatis lucent sagulis, tum lactea colla
auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant
gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
hic exsultantis Salios nudosque Lupercos
lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo
extuderat, castae ducebant sacra per urbem
pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
pendentem scopulo Furiarumque ora trementem,
secretosque pios, his dantem iura Catonem.
haec inter tumidi late maris ibat imago
aurea, sed fluctu spumabant caerula cano,
et circum argento clari delphines in orbem
aequora uerrebant caudis aestumque secabant.
in medio classes aeratas, Actia bella,
cernere erat, totumque instructo Marte uideres
feruere Leucaten auroque effulgere fluctus.
hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
cum patribus populoque, penatibus et magnis dis,
stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas
laeta uomunt patriumque aperitur uertice sidus.
parte alia uentis et dis Agrippa secundis
arduus agmen agens, cui (belli insigne superbum)

MPR

654 *post. 641 transp. ed. Parmensis 1793, Ribbeck; pro suspecto habet Heyne, secl. Brunck* **657** Galli] olli **R** **660** fulgent **a**^{2}**cfgx** tunc **Pcxγ** : cum **dt** **661** coruscant **MRdfghijtwzγ**^{1} : coruscat **Pωγ**, *Non. 555, 10, Aug. loc. hept. 6, 10* **669** frementem **w**, *recc.* **672** spumabant **ω** : spumabat **MPRbjrtxyγ**; caerula *id est 'maria', cf. Aen. 4, 583 'caerula uerrunt'* **680** stat **Rbnr** celsa] prima *Prisc. 7, 59* (*cf. Aen. 3, 527*) cui] huic **P**^{1} *in ras.* (*ex* cui *fide Ribb., Sabb. et Geym.*) **γ**

tempora nauali fulgent rostrata corona.
hinc ope barbarica uariisque Antonius armis,
uictor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum uiresque Orientis et ultima secum
Bactra uehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
una omnes ruere ac totum spumare reductis
conuulsum remis rostrisque tridentibus aequor.
alta petunt: pelago credas innare reuulsas
Cycladas aut montis concurrere montibus altos,
tanta mole uiri turritis puppibus instant.
stuppea flamma manu telisque uolatile ferrum
spargitur, arua noua Neptunia caede rubescunt.
regina in mediis patrio uocat agmina sistro,
necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.
omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
contra Neptunum et Venerem contraque Mineruam
tela tenent; saeuit medio in certamine Mauors
caelatus ferro tristesque ex aethere Dirae,
et scissa gaudens uadit Discordia palla,
quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
omnis Arabs, omnes uertebant terga Sabaei.
ipsa uidebatur uentis regina uocatis
uela dare et laxos iam iamque immittere funis.
illam inter caedes pallentem morte futura
fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri,
contra autem magno maerentem corpore Nilum
pandentemque sinus et tota ueste uocantem
caeruleum in gremium latebrosaque flumina uictos.
at Caesar, triplici inuectus Romana triumpho

MPR

685 uariis] Phariis *Heinsius* **690** rostris (*om.* -que) **chy** stridentibus **Rω** (*praeter* **b**) $\boldsymbol{\gamma}^1$: rudentibus *recc.*; *cf. Aen. 5, 143* **692** altis **agh**, «*alii*» *ap. Seru.* **700** tenens $\mathbf{P}^1$ (*in ras.*, *ex* tenent) **γ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **701** dirae **MPabceinrvyzγ**, *Seru.* : diuae $\mathbf{M}^A$**Rω** (*cf. Aen. 4, 473*) **704** tendebat **Pfγ** **705** aegyptus **M**$\mathbf{P}^x\mathbf{R}^x$ (*in ras.*) : aegyptos **PR**, *Probus 226, 19*

moenia, dis Italis – uotum immortale – sacrabat
maxima ter centum totam delubra per urbem.
laetitia ludisque uiae plausuque fremebant;
omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
ante aras terram caesi strauere iuuenci.
ipse sedens niueo candentis limine Phoebi
dona recognoscit populorum aptatque superbis
postibus; incedunt uictae longo ordine gentes,
quam uariae linguis, habitu tam uestis et armis.
hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,
extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Volcani, dona parentis,
miratur rerumque ignarus imagine gaudet
attollens umero famamque et fata nepotum.

MPR

715 *post* sacrabat *dist.* **M**^{x}, *DSeru.* (delubra … laetitia … fremebant *iungentes*) **722** gentes] matres **R** (*cf. Aen. 2, 766*) **724** hinc **Pbijknsyzγ** (*corr.* **γ**^{1}) mulcifer **ω** (*praeter* **i**) **725** hinc **Pbcfiknsuvxyzγ** **731** facta **cesuvx** (fata *et* facta *agnoscit DSeru.*)

LIBER IX

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
audacem ad Turnum; luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata ualle sedebat.
ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
'Turne, quod optanti diuum promittere nemo
auderet, uoluenda dies en attulit ultro.
Aeneas urbe et sociis et classe relicta
sceptra Palatini sedemque petit Euandri.
nec satis: extremas Corythi penetrauit ad urbes
Lydorumque manum, collectos armat agrestis.
quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus:
rumpe moras omnis et turbata arripe castra.'
dixit et in caelum paribus se sustulit alis
ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
agnouit iuuenis duplicisque ad sidera palmas
sustulit ac tali fugientem est uoce secutus:
'Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam
detulit in terras? unde haec tam clara repente
tempestas? medium uideo discedere caelum
palantisque polo stellas. sequor omina tanta,
quisquis in arma uocas.' et sic effatus ad undam
processit summoque hausit de gurgite lymphas
multa deos orans, onerauitque aethera uotis.
    Iamque omnis campis exercitus ibat apertis

MPR

9 petiuit **R**^{2}**ω** (*praeter* **br**) **γ**^{1} **11** manum collectos **MRωγ**^{1}, *Tib.* : manus ollectos **P**, manus collectos **g**, *Probus 237, 5* : manus et collectos **P**^{1}**γ** : manum et collectos **ceksuvy** **17** ac **Pωγ** : et **MRfg**, *Tib.* **20** discedere **MPR**^{1} *in ras.* (*ex* discindere *ut uid.*) **abrγ**, *Sen. nat. quaest. 7, 20, 3*, *Seru.* : discindere **ωγ**^{1} (desc- **d**) : descendere **stwz** : discendere **v**, *Tib.* **21** sequar **Md** **22** et *del.* **P**^{x} : ea *Bentley* **25** omnis] adeo *supscr.* **M**^{A} (*cf. Aen. 8, 585*)

diues equum, diues pictai uestis et auri;
Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrhidae iuuenes, medio dux agmine Turnus:
ceu septem surgens sedatis amnibus altus
per tacitum Ganges aut pingui flumine Nilus
cum refluit campis et iam se condidit alueo.
hic subitam nigro glomerari puluere nubem
prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.
primus ab aduersa conclamat mole Caicus:
‘quis globus, o ciues, caligine uoluitur atra?
ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros,
hostis adest, heia!’ ingenti clamore per omnis
condunt se Teucri portas et moenia complent.
namque ita discedens praeceperat optimus armis
Aeneas: si qua interea fortuna fuisset,
neu struere auderent aciem neu credere campo;
castra modo et tutos seruarent aggere muros.
ergo etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
obiciunt portas tamen et praecepta facessunt
armatique cauis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante uolans, tardum praecesserat agmen
uiginti lectis equitum comitatus et urbi
improuisus adest, maculis quem Thracius albis

MPR 32 *redit* **F**

26 pictai **M**^{A}**P**^{1}**ωγ**, *Quint. 1, 7, 18, Rufin. 55, 7, Seru. ad Aen. 1, 14 et 7, 11, DSeru. ad Aen. 7, 464, Tib., Gramm.* : picta **MR**, *DSeru. ad u. 641* : pictae **P** **29** (= *Aen. 7, 784*) *om.* **MPRωγ** : *habent recc. aliquot* **30–31** altus per tacitum *dist. Asper ap. Seru.* («*hoc est ‘per profundam altitudinem’*») **31** aut] et *DSeru. ad georg. 3, 335* **33** nigro] magno **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **37** ascendite **MPγ** : et scandite **F**^{2} (et candite **F**) **Rω**, *Macrob. 6, 6, 16, Tib.* : scandite (*supscr.* alibi) **M**^{2} : et scandere **uv** : et ascandite **γ**^{1} : tela, scandite *edd. ueteres, dubitanter Sabbadini* (*sed cf. Aen. 4, 594*) **38** heia *dist. Tib.* («*nouissimum fuit* heia … *quod dictum hortantis est*»), *et sic legunt* «*alii*» *ap. Seru.* : adest *dist. Seru.* («*hic distinguendum, ut* heia *militum sit properantium clamor*»); heia *non a persona sed ab ipso poeta dictum esse putant* «*alii*» *ap. DSeru.* (*post* adest *et post* heia *dist.* **F**^{2}**M**^{x}**P**^{2}) **42** aciem **FMPabfgijnrγ**, *Tib.* : acies **Rω** **43** tuto **F** (*corr.* **F**^{2}) **44** pudor] furor *Non. 268, 16* (*cf. Aen. 2, 316*) monstrant **F** (*corr.* **F**^{2}), *Tib.* (*sed cf. Aen. 2, 317*) **46** turribus] urbibus **M** (turbibus **M**^{2}) **47** ut] at *Schenkl ap. Klouček*; *sed bene Ribbeck qui* ut ante uolans *coniungit*

portat equus cristaque tegit galea aurea rubra.
‘ecquis erit, mecum, iuuenes, qui primus in hostem?
en’ ait et iaculum attorquens emittit in auras,
principium pugnae, et campo sese arduus infert.
clamore excipiunt socii fremituque sequuntur
horrisono: Teucrum mirantur inertia corda,
non aequo dare se campo, non obuia ferre
arma uiros, sed castra fouere. huc turbidus atque huc
lustrat equo muros aditumque per auia quaerit.
ac ueluti pleno lupus insidiatus ouili
cum fremit ad caulas, uentos perpessus et imbris,
nocte super media (tuti sub matribus agni
balatum exercent, ille asper et improbus ira
saeuit in absentis; collecta fatigat edendi
ex longo rabies et siccae sanguine fauces):
haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
ignescunt irae, duris dolor ossibus ardet.
qua temptet ratione aditus et quae uia clausos
excutiat Teucros uallo atque effundat in aequor?
classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
aggeribus saeptam circum et fluuialibus undis,
inuadit sociosque incendia poscit ouantis
atque manum pinu flagranti feruidus implet.
tum uero incumbunt (urget praesentia Turni),
atque omnis facibus pubes accingitur atris.
diripuere focos: piceum fert fumida lumen

FMPR 68 *desinit* **F**

51 etquis **Pωγ** (*corr.* **γ¹**), *Tib.* iuuenis **MR** **52** intorquens **M** (*cf. Aen. 10, 323*) : torquens **fg** **53** campis **Rj** **54** clamore **FRnγ¹** (*cf. u. 636 et Aen. 5, 575*), *ita fit dicolon abundans, schema a Vergilio saepissime usurpatum* : clamorem **F²MPωγ**, *Tib.* (*cf. Liu. 24, 31, 4*); *utrumque agnoscit Seru.* **66** durus **Pγ** (*corr.* **γ¹**) **67** quae uia **PR**, *agnoscit Seru.* («*legitur tamen et* quae uia *et est sensus absolutior*») : qua uia **FMPˣωγ**, *Seru.*, *Tib.* : qua ui *Ribbeck* **68** aequor **FᶜPωγ**, *Tib.*, *imitantur Val. Fl. 6, 30 et Orosius 5, 16, 9* (*cf. Aen. 10, 451*) : aequum **MRaγ¹** (equm **F**, aequom **P¹**), *DSeru.* **70** saeptam] clausam **R** **72** manu pinum **Pγ** (*corr.* **γ¹**), *Tib.* : manum pinum **a** fragranti **M** (*alteram* r *partim erasit* **Mˣ** *in* l *mutans*) : fraglanti **Pγ** (*corr.* **γ¹**), *Tib.*

taeda et commixtam Volcanus ad astra fauillam.
  Quis deus, o Musae, tam saeua incendia Teucris
auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
dicite: prisca fides facto, sed fama perennis.
tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem et pelagi petere alta parabat,
ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
uocibus his adfata Iouem: ‘da, nate, petenti,
quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
pinea silua mihi multos dilecta per annos
lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
has ego Dardanio iuueni, cum classis egeret,
laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit.
solue metus atque hoc precibus sine posse parentem:
ne cursu quassatae ullo neu turbine uenti
uincantur, prosit nostris in montibus ortas.’
filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
‘o genetrix, quo fata uocas? aut quid petis istis?
mortaline manu factae immortale carinae
fas habeant certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quaecumque euaserit undis
Dardaniumque ducem Laurentia uexerit arua,
mortalem eripiam formam magnique iubebo

MPR

77 qui **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **82** genetrix fertur **R** berecyntia **ijs**, *Seru.* («*Berecyntia … a monte Phrygiae Berecynto, cuius ultima syllaba caret aspiratione*») : berecynthia **MPRωγ**, *Tib.* : berechintia **bcz** : berechinthia **fr** : berecinta **u** : berecinthia **gkwy** **85** *hunc uersum tamquam uu. 86 sq. dittographiam secl. Ribbeck, sed iniuria* : *nam* lucus *pro sacra parte siluae dicitur, quasi sit ‘silua pinea templum fuit mihi sacrum’* (*cf. etiam Ou. met. 5, 265 ‘siluarum lucos circumspicit antiquarum’*)*; ud. Conte 2017a, Quattro note, «MD» 79, 202–203* **90** parentum **M** (*corr.* **M**^{A}) **91** ne **Pωγ**, *Tib.* : neu **MRbfgiknrγ**^{1} (*cf. u. 42*) : nec **a?uz** **94** uocas] trahis *Seru.* (*cf. Aen. 5, 709*) **98** *ante 97 habent* **Rj** **99** undas «*alii*» *ap. Seru.* **100** ducem et **R**

aequoris esse deas, qualis Nereia Doto
et Galatea secant spumantem pectore pontum.’
dixerat idque ratum Stygii per flumina fratris,
per pice torrentis atraque uoragine ripas
adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies et tempora Parcae
debita complerant, cum Turni iniuria Matrem
admonuit ratibus sacris depellere taedas.
hic primum noua lux oculis offulsit et ingens
uisus ab Aurora caelum transcurrere nimbus
Idaeique chori; tum uox horrenda per auras
excidit et Troum Rutulorumque agmina complet:
‘ne trepidate meas, Teucri, defendere nauis
neue armate manus: maria ante exurere Turno
quam sacras dabitur pinus. uos ite solutae,
ite deae pelagi: genetrix iubet.’ et sua quaeque
continuo puppes abrumpunt uincula ripis
delphinumque modo demersis aequora rostris
ima petunt; hinc uirgineae (mirabile monstrum)
122 reddunt se totidem facies pontoque feruntur.
Obstipuere animis Rutuli, conterritus ipse
turbatis Messapus equis, cunctatur et amnis
rauca sonans reuocatque pedem Tiberinus ab alto.
at non audaci Turno fiducia cessit;
ultro animos tollit dictis atque increpat ultro:
‘Troianos haec monstra petunt, his Iuppiter ipse
auxilium solitum eripuit: non tela neque ignes

MPR 118 *redit* **F**

103 et] aut **R** **109** sacris] sacras (*i.e. ‘abominandas’*) *legendum censet Diom. 437, 2–4* **110** offulsit **MRad?r**, *Tib.* : effulsit **Pωγ**; *cf. u. 731* **119** aequore **n** **120** monstrum] dictu **R** (*cf. Aen. 1, 439*) **121** (= *Aen. 10, 223*) *om.* **FMPRωγ** : *habent hic recc. aliquot, post 122* **a**^{2} **122** pontoue **F** (*corr.* **F**^{2}) **123** animis rutuli **FRωγ**^{1}, *Seru.* (*cf. Aen. 8, 530*) : animi rutulis **MPabhrγ**, *Asper p. 535, 14, DSeru.* («Rutulis … *datiuus pro genetiuo*»), *Tib.* **124** turbatis **FMP**$^{(1)}$**ωγ**, *Tib.* : turbatus **PRbc** **129** neque] nec **Rω** (*praeter* **cgknrxy**)

exspectant Rutulos. ergo maria inuia Teucris,
nec spes ulla fugae: rerum pars altera adempta est,
terra autem in nostris manibus, tot milia gentes
arma ferunt Italae. nil me fatalia terrent,
si qua Phryges prae se iactant, responsa deorum;
sat fatis Venerique datum, tetigere quod arua
fertilis Ausoniae Troes. sunt et mea contra
fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem
coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
“sed periisse semel satis est”: peccare fuisset
ante satis, penitus modo non genus omne perosos
femineum. quibus haec medii fiducia ualli
fossarumque morae, leti discrimina parua,
dant animos; at non uiderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignis?
sed uos, o lecti, ferro qui scindere uallum
apparat et mecum inuadit trepidantia castra?

FMPR

130 ex(s)pectant **FM**$^{1?}$**PRωγ**, *Seru.* («*non exspectant Troiani ut Rutulorum telis aut ignibus pereant, qui iam nauium amissione perierunt*»), *Tib.* : exspectans **M** : expectas **b** **131** dempta **R**, *Seru.* est *om. Seru.*, *DSeru.*, *Tib.* **132** manibus nostris **dhikstwz** (*cf. Aen. 2, 192*) gentes **FPωγ**, *Tib.* : gentis **MRbcrz** **135** datum **Madhstv**, *Non. 409, 4* (*cf. Aen. 2, 291*) : datum est **FPRωγ**, *Tib.* **137** scindere **cfg** **138** nec] an *Macrob. 4, 4, 11* (*sed* nec *idem 5, 9, 2*) **139** solisue *Tib.* **140** sed] si **dgwγ**^{1} perisse **M** (*corr.* **M**$^{1?}$) **R**, *DSeru.* : perisset **F** (*corr.* **F**^{2}) **141** modo non **F**^{2} (mohonon **F**) **MPωγ**, *Porph. ad Hor. carm. 1, 21, 3*, *Char. 211, 5*, *Seru.*, *Tib. in lemm.* : non modo **R** : modo nunc *Tib. in interpr. ut uid.* («*uel nunc intereant penitus quos exitium suum ad bonam uitam formare non ualuit*»), *Markland ad Stat. silu. 5, 3, 35* perosos **FPRω**, *Arus. 501, 31*, *Seru.*, *Tib.* : perossos **M** (*priorem* s *del.* **M**^{x}, *in* -us *corr. alio atramento* **M**^{2}) **γ** : perosus **F**^{c}**rγ**^{1}, *Char. 211, 5* : perosum **adnwxzγ**^{2}, *Porph. ad Hor. carm. 1, 21, 3*; *sic explananda sententia: ‘immo satis fuisset propter feminam unam ante peccare eos qui, etsi acerbissime edocti, tamen genus omne femineum nondum* (modo non) *abominati sunt’* **143** discrimina **F**^{c}**PRω**, *Seru. ad u. 599*, *Tib.* : discrimine **FMb?nγ** (*cf. Aen. 3, 685*) parua **F**^{c}**ω**, *Seru. ad u. 599*, *Tib.* : paruo **FMP**^{2} (*ex* paruas, *nescio an* s *iam prius deleta*) **Rnγ** **144** at] ad **P** : an **i**, *Diom. 464, 23*, *Seru.* (*qui tamen etiam* at *agnoscit*) : et *Arus. 461, 30*; *cf. Aen. 7, 363* **145** igni *Char. 277, 23*, *Sac. 469, 6* **146–147** *post u. 72 transp. Ribbeck* (sic *pro* sed *scribens*) **146** qui] quis **cu**

non armis mihi Volcani, non mille carinis
est opus in Teucros (addant se protinus omnes
Etrusci socios); tenebras et inertia furta
[Palladii caesis late custodibus arcis]
ne timeant, nec equi caeca condemur in aluo:
luce palam certum est igni circumdare muros.
haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
esse ferant, decimum quos distulit Hector in annum.
nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
quod superest, laeti bene gestis corpora rebus
procurate, uiri, et pugnam sperate parari.'
interea uigilum excubiis obsidere portas
cura datur Messapo et moenia cingere flammis.
bis septem Rutuli, muros qui milite seruent,
delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
purpurei cristis iuuenes auroque corusci.
discurrunt uariantque uices fusique per herbam
indulgent uino et uertunt crateras aënos.
conlucent ignes, noctem custodia ducit
insomnem ludo.
    Haec super e uallo prospectant Troes et armis
alta tenent, nec non trepidi formidine portas
explorant pontisque et propugnacula iungunt,
tela gerunt. instat Mnestheus acerque Serestus,
quos pater Aeneas, si quando aduersa uocarent,

FMPR 164 *desinit* **F**

151 *hunc uersum, ex Aen. 2, 166 confectum, om. ed. Parmensis an. 1793, post Heyne et Brunck secl. Wagner*; inertia furta (*u. 150*), *uelut equi lignei fraus illa de qua proxime mentio fit, a Turno superbe repudiantur tamquam ab animo forti aliena*; *nescioqui interpolator 'furta' non generaliter ut 'insidias' sed definite ut 'expilationem' accepit ideoque addidit* Palladii *et quod sequitur. Vd. Conte, 'Critical Notes', 31–32* late **FRbjr**, *Tib.* : summae **MPωγ** (summe **F**^{c}) **155** ferant **FPb?c?rxyγ**, *Tib.* : putent **MRωγ**^{1} **156** diei **FMPbdrtzγ**, *Seru.* : diei est **M**^{A}**Rω**, *Porph. ad Hor. epod. 16, 15*, *Non. 2, 13*, *Tib.* **160** flammis **MPωγ**, *Tib. in interpr.* : flamma **FRbr**, *Tib. in lemm.* (*cf. Aen. 1, 673 et 10, 119*) : flammas **j** **161** rutulo **M** (*littera supra* o *erasa*), *Tib. in interpr.* **162** secuti **R**, *Seru.*, *Tib.* **163** purpureis **γ**^{1}, *Rufin. 55, 34*, *DSeru.* **171** instat **Pωγ**, *Tib.* : instant **MRaijnw**

rectores iuuenum et rerum dedit esse magistros.
omnis per muros legio, sortita periclum,
excubat exercetque uices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida
uenatrix iaculo celerem leuibusque sagittis,
et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma,
ora puer prima signans intonsa iuuenta.
his amor unus erat pariterque in bella ruebant;
tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: 'dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?
aut pugnam aut aliquid iamdudum inuadere magnum
mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
cernis quae Rutulos habeat fiducia rerum:
lumina rara micant, somno uinoque soluti
procubuere, silent late loca; percipe porro
quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
exposcunt, mittique uiros qui certa reportent.
si tibi quae posco promittunt (nam mihi facti
fama sat est), tumulo uideor reperire sub illo
posse uiam ad muros et moenia Pallantea.'
obstipuit magno laudum percussus amore
Euryalus, simul his ardentem adfatur amicum:
'mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
sublatum erudiit, nec tecum talia gessi

MPR

173 iuueni *Tib. hic et ad Aen. 10, 70, agnoscit Seru.* («*si* iuueni *Ascanio*») **174** legio est **R** **179** et] it *cum recc. Ribbeck, cl. Aen. 6, 159 et 448* **180** neque **M**$^{A?}$**PRbchjknrxyγ**, *Seru., Tib.* : nec **Mω**, *DSeru.* **189** soluti] sepulti **adhistwz** (*cf. u. 236 et Aen. 2, 265*); *bene demonstrat Murgia* («*Hermes*» *116, 1988, 493–499*) *editores errare qui* sepulti *Seruio aut DSeruio tribuunt* **190** perspice **dftwz**

magnanimum Aenean et fata extrema secutus:
est hic, est animus lucis contemptor et istum
qui uita bene credat emi, quo tendis, honorem.'
Nisus ad haec: 'equidem de te nil tale uerebar,
nec fas: non ita me referat tibi magnus ouantem
Iuppiter aut quicumque oculis haec aspicit aequis.
sed si quis (quae multa uides discrimine tali)
si quis in aduersum rapiat casusue deusue,
te superesse uelim: tua uita dignior aetas.
sit qui me raptum pugna pretioue redemptum
mandet humo, solita aut si qua id fortuna uetabit,
absenti ferat inferias decoretque sepulcro.
neu matri miserae tanti sim causa doloris,
quae te sola, puer, multis e matribus ausa
persequitur, magni nec moenia curat Acestae.'
ille autem: 'causas nequiquam nectis inanis,
nec mea iam mutata loco sententia cedit:
acceleremus' ait. uigiles simul excitat: illi
succedunt seruantque uices; statione relicta
ipse comes Niso graditur regemque requirunt.

MPR 207 *redit* **F**

207 ad haec] at haec **P** (haec *del.* **P**^{x}, at *in* ait *correctum testantur Ribb. et Geym.*) : haec *om.* **γ** (*add.* **γ**^{1}) **208** non *dist.* **M**^{x}, *DSeru.* («*ut initium iurisiurandi sit* ita me referat»), *Tib.*; *sensus uidetur esse: 'mallem Iouem mihi aduersum fore priusquam de tua uirtute dubitarem'* **209** aspicis **P** **214** humo *dist.* **F**^{2}**M**^{x}, «*multi*» *ap. Seru.* : humo solita *iungunt* **P**, «*alii*» *ap. Seru.* solita aut] saltem aut *Henry* : aut solitas *J.E. Powell* («*Philologus*» *89, 1934, 386 sq.*), *Alfredo Housman probante*; «solita … fortuna, *quae piis inuidere consueuit*» *Seru. Nullam corruptionem hic latere credo; nam Statius, qui in Thebaidos libro decimo, Euryali et Nisi nocturnas insidias imitatus, de Hoplei et Dimantis fortibus factis narrat, ita amborum iuuenum mortem praesagit* (*uu. 384–385*) *'inuida fata piis et fors ingentibus ausis / rara comes'; quod dictum uidetur ista ipsa Nisi renouare uerba. Totam opinor esse sententiam tragico colore infectam: cf. e. g. Sen. Herc. f. 325–326 'iniqua raro maximis uirtutibus / Fortuna parcit'; ibid. 524–525* qua id] qua *MacKay* («*CJ*» *34, 1938, 171–173*) **216** neu] ne **F** (*corr.* **F**^{2}) **222** uices *dist. Seru., DSeru., Tib.* : uices statione *iungunt* **FMP**, «*quidam*» *ap. DSeru.* (*'stationis relictae uices seruant' intellegentes*)

Cetera per terras omnis animalia somno
laxabant curas et corda oblita laborum:
ductores Teucrum primi, delecta iuuentus,
consilium summis regni de rebus habebant,
quid facerent quisue Aeneae iam nuntius esset.
stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
castrorum et campi medio. tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
rem magnam pretiumque morae fore. primus Iulus
accepit trepidos ac Nisum dicere iussit.
tum sic Hyrtacides: ‘audite o mentibus aequis
Aeneadae, neue haec nostris spectentur ab annis
quae ferimus. Rutuli somno uinoque sepulti
conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
qui patet in biuio portae quae proxima ponto;
interrupti ignes aterque ad sidera fumus
erigitur: si fortuna permittitis uti
quaesitum Aenean et moenia Pallantea,
mox hic cum spoliis ingenti caede peracta
adfore cernetis. nec nos uia fallit euntis:
uidimus obscuris primam sub uallibus urbem
uenatu adsiduo et totum cognouimus amnem.’
hic annis grauis atque animi maturus Aletes:
‘di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
non tamen omnino Teucros delere paratis,
cum talis animos iuuenum et tam certa tulistis
pectora.’ sic memorans umeros dextrasque tenebat
amborum et uultum lacrimis atque ora rigabat.

FMPR 234 *desinit* **F**

226 primi teucrum **fg** et delecta *edd. ueteres*, *Ribbeck* **229** innixi **γ** (*corr.* **γ**¹), *Non. 339, 4* **236** sepulti **aefvx**, *Seru. ad Aen. 3, 41*, *DSeru.*, *Tib. in interpr.* (*cf. Murgia*, «*Hermes*» *116*, *1988*, *493–499*) : soluti **MPωγ** (solutis **R**), *Tib. in lemm.*; *cf. u. 189* **237** conticuere] procubuere **Pcekuvxyγ** (*corr.* **γ**¹), *ex u. 190* **241** *hunc uersum post u. 243 quosdam transposuisse* (*ita ut* euntis *et* quaesitum *coniungerent*) *memorat DSeru.* et] ad **cfg** **243** fallet **M** **244** primum *Non. 359, 26*, *Seru. in lemm.* (*sed* primam *in interpr.*) uallibus] moenibus **P**²**yγ** (*corr.* **γ**¹)

‘quae uobis, quae digna, uiri, pro laudibus istis
praemia posse rear solui? pulcherrima primum
di moresque dabunt uestri; tum cetera reddet
actutum pius Aeneas atque integer aeui
Ascanius meriti tanti non immemor umquam.’
‘immo ego uos, cui sola salus genitore reducto,’
excipit Ascanius ‘per magnos, Nise, penates
Assaracique larem et canae penetralia Vestae
obtestor: quaecumque mihi fortuna fidesque est,
in uestris pono gremiis. reuocate parentem,
reddite conspectum: nihil illo triste recepto.
bina dabo argento perfecta atque aspera signis
pocula, deuicta genitor quae cepit Arisba,
et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
cratera antiquum quem dat Sidonia Dido.
si uero capere Italiam sceptrisque potiri
contigerit uictori et praedae dicere sortem,
uidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
aureus: ipsum illum, clipeum cristasque rubentis
excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.
praeterea bis sex genitor lectissima matrum
corpora captiuosque dabit suaque omnibus arma,
insuper his campi quod rex habet ipse Latinus.
te uero, mea quem spatiis propioribus aetas
insequitur, uenerande puer, iam pectore toto
accipio et comitem casus complector in omnis.
nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
seu pacem seu bella geram, tibi maxima rerum
uerborumque fides.’ contra quem talia fatur

MPR

252 laudibus istis **MPRωγ**, *schol. Bern. ad buc. 5, 81*, *Seru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 10, 825*) : talibus ausis **adfghrstwxzγ**^{1}, *Macrob. 6, 6, 12* (*cf. Aen. 2, 535 et 12, 351*) **268** dicere **M** (*littera supra* i *uel* di *erasa*) **Paγ**, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 3, 323* : ducere **Rωγ**^{1}, «*alii*» *ap. Seru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 6, 22*) : deicere «*alii*» *ap. DSeru.* (*cf. Aen. 5, 490*) **270** rubentis] comantis **Rj** (*cf. Aen. 3, 468*) **274** his] is **M** campis **R** quod **PRbceiruvγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : quos **M** (*littera supra* s *erasa*) **P**^{2}**ωγ** **279** seu pacem – geram *superioribus coniungit Tib.*

Euryalus: ‘me nulla dies tam fortibus ausis
dissimilem arguerit; tantum: fortuna secunda
aut aduersa cadat. sed te super omnia dona
unum oro: genetrix Priami de gente uetusta
est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli
inque salutatam linquo (nox et tua testis
dextera), quod nequeam lacrimas perferre parentis.
at tu, oro, solare inopem et succurre relictae.
hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo
in casus omnis.’ percussa mente dedere
Dardanidae lacrimas, ante omnis pulcher Iulus,
atque animum patriae strinxit pietatis imago.
tum sic effatur:
‘sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis;
namque erit ista mihi genetrix nomenque Creusae
solum defuerit, nec partum gratia talem
parua manet. casus factum quicumque sequentur,
per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,
haec eadem matrique tuae generique manebunt.’
sic ait inlacrimans; umero simul exuit ensem
auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Cnosius atque habilem uagina aptarat eburna.
dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
exuuias, galeam fidus permutat Aletes.

MPR

283 aut **M**^{x}**ωγ**^{1}, *Seru.* («*tantummodo hoc possum de me promittere, ut semper audeam, semper uelim fortiter facere … siue prospera siue aduersa fortuna comitetur; nam* aut *disiunctiua particula est, non negantis aduerbium*»), «*melius*» *iudice DSeru.* : haut **MPRx** (haud **afrγ**, aud **st**), «*quidam*» *ap. DSeru.*, *Tib.* **287** pericli est **M**^{A}**ω** (*praeter* **bdfirs**) **γ**^{1}, *Seru.*; *cf. Aen. 5, 716 et 8, 251* **288** testes *Asper p. 537, 24, fortasse recte* **290** at] hanc **acuv** **292** perculsa **γ**^{1}, *Tib. in lemm.* dedere **Me** : dederunt **PRωγ**, *Tib.* **296** spondeo **cegnuzγ**^{1} **299** sequentur **MRcejrsuvxy**, *Tib.* : sequetur **Pbnγ**, *Seru.* : sequuntur **dghiktwz** (sequntur **af**) **305** cnosius] gnosius *codd.*, *Macrob. 5, 9, 5*, *Seru.*, *Tib.*

protinus armati incedunt; quos omnis euntis
primorum manus ad portas, iuuenumque senumque,
prosequitur uotis. nec non et pulcher Iulus,
ante annos animumque gerens curamque uirilem,
multa patri mandata dabat portanda: sed aurae
omnia discerpunt et nubibus inrita donant.
Egressi superant fossas noctisque per umbram
castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
exitio. passim somno uinoque per herbam
corpora fusa uident, arrectos litore currus,
inter lora rotasque uiros, simul arma iacere,
uina simul. prior Hyrtacides sic ore locutus:
'Euryale, audendum dextra: nunc ipsa uocat res.
hac iter est. tu, ne qua manus se attollere nobis
a tergo possit, custodi et consule longe;
haec ego uasta dabo et lato te limite ducam.'
sic memorat uocemque premit, simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
exstructus toto proflabat pectore somnum,
rex idem et regi Turno gratissimus augur,
sed non augurio potuit depellere pestem.
tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis
nactus equis ferroque secat pendentia colla.
tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit
sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
terra torique madent. nec non Lamyrumque Lamumque
et iuuenem Serranum, illa qui plurima nocte
luserat, insignis facie, multoque iacebat

MPR

315–316 multis tamen – exitio] *nonnullos criticos haec sententia uexauit, sed* tamen *uersibus 312 sq. opponitur* (sed … inrita donant) *ubi Euryali et Nisi mors praenuntiatur* (*cf. Aen. 10, 509*) **316** herbam] umbram **Rdjw**, *e u. 314* **323** uasta dabo] uastabo **cejnsuvxyγ**^{1} lato] toto **a** : recto *Macrob. 5, 9, 8* **329** tela] lora **Rj**, *DSeru. ad u. 375* (*cf. u. 318*) **332** reliquit **befghktuvw** **333** singultantem *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Tib.* : «atro *potest et superioribus applicari … potest et sequentibus iungi, sed melius sequentibus*» *DSeru.*

membra deo uictus: felix, si protinus illum
aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
impastus ceu plena leo per ouilia turbans
(suadet enim uesana fames) manditque trahitque
molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento;
nec minor Euryali caedes: incensus et ipse
perfurit ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque,
ignaros, Rhoetum uigilantem et cuncta uidentem,
sed magnum metuens se post cratera tegebat;
pectore in aduerso totum cui comminus ensem
condidit adsurgenti et multa morte recepit.
purpuream uomit ille animam et cum sanguine mixta
uina refert moriens, hic furto feruidus instat.
iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
deficere extremum et religatos rite uidebat
carpere gramen equos, breuiter cum talia Nisus
(sensit enim nimia caede atque cupidine ferri)
'absistamus' ait, 'nam lux inimica propinquat;
poenarum exhaustum satis est, uia facta per hostis.'
multa uirum solido argento perfecta relinquunt
armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
post mortem bello Rutuli pugnaque potiti:

MPR 354 *redit* **V**

341 mutumque **M**^{x}**P**^{x}**ωγ**, *Seru.*, *Tib. in interpr.* (*om. in lemm.*); *cf. Aen. 12, 718* : multumque **MPRr** metu *dist.* **M**^{x}, *Seru.* : mutum ... fremit *coniungunt* **P**, «*male quidam*» *ap. Seru.* (fremit – cruento *om. Tib.*) **348** morte] nocte *Cornutus ap. DSeru.* **349** purpuream *codd.* (-rem **P**, *corr.* **P**^{2}), «*alii*» *ap. Seru.*, *Seru. ad Aen. 1, 98*; *2, 532 et 6, 221* : purpureum *recc.* (*e.g. Paris. lat. 7930*), «*multi*» *ap. Seru., ita ut distinctione mutata sit* ensem ... purpureum; *utrumque agnoscit Tib.* **358** pulchrosque] pictosque *Char. 62, 6, GLK VII, 293, 13* (*cf. Aen. 7, 277*) **361** dona *dist.* **M**^{x} : hospitio *dist.* **P**^{2} **363** *hunc uersum secl. Ribbeck auctore Wagner* pugnaque] pugnamque **M** (*corr.* **M**^{x}) : praedaque **Rj** (*cf. u. 450*)

haec rapit atque umeris nequiquam fortibus aptat.
tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
induit. excedunt castris et tuta capessunt.
    Interea praemissi equites ex urbe Latina,
cetera dum legio campis instructa moratur,
ibant et Turno regis responsa ferebant,
ter centum, scutati omnes, Volcente magistro.
iamque propinquabant castris muroque subibant
cum procul hos laeuo flectentis limite cernunt,
et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
prodidit immemorem radiisque aduersa refulsit.
haud temere est uisum; conclamat ab agmine Volcens:
'state, uiri. quae causa uiae? quiue estis in armis?
quoue tenetis iter?' nihil illi tendere contra,
sed celerare fugam in siluas et fidere nocti.
obiciunt equites sese ad diuortia nota
hinc atque hinc omnemque abitum custode coronant.
silua fuit late dumis atque ilice nigra
horrida, quam densi complerant undique sentes;
rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
impediunt fallitque timor regione uiarum.
Nisus abit; iamque imprudens euaserat hostis
atque locos qui post Albae de nomine dicti
Albani (tum rex stabula alta Latinus habebat),
ut stetit et frustra absentem respexit amicum:

MPRV

368 dum] cum **aeuv** (dum **P**, d *in ras. fide Sabb.*; cum **P**^{2} *fide Geym.*) **369** regis «*in omnibus bonis dicitur inuentum*» *teste DSeru.* : regi *codd.*, *DSeru. in lemm.*, *Tib.*; responsa *tamen oportet definiantur addito complemento* regis **371** castris] portis **br**, *Prisc. 18, 199* (*cf. Aen. 11, 621*) muroque **MRgjn**, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 4, 598*, *Tib.*, *Prisc.* (*cf. Murgia, «Hermes» 116, 1988, 493–499*) : murosque **PVωγ**, *DSeru.*; *cf. Aen. 7, 161* **375** uisu **V** agmine] aggere **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **378** siluas **MRωγ**^{1}, *Tib.* : siluis **PVγ** **380** hinc atque hinc] huc illuc *Non. 458, 20* abitum **Mcdeiwxγ**^{1} (habitum **suv**), *probant schol. Ver.*, *Seru.* (*cf. Tac. ann. 14, 37, 1*) : aditum **M**^{A}**P**^{1} (-tu **P**) **RVωγ**, *Tib. in lemm.* (*sed* abitum *ex interpretatione colligitur*) **382** complebant **M**; *cf. Aen. 5, 107* **383** lucebat **MPωγ** (-bant **R**) : ducebat **M**^{A}**Vabefinuv**, *Tib.*; *utrumque agnoscit Seru.* **387** lucos **cefghu**

‘Euryale infelix, qua te regione reliqui?
quaue sequar?’ rursus perplexum iter omne reuoluens
fallacis siluae simul et uestigia retro
obseruata legit dumisque silentibus errat.
audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris
peruenit ac uidet Euryalum, quem iam manus omnis
fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
oppressum rapit et conantem plurima frustra.
quid faciat? qua ui iuuenem, quibus audeat armis
eripere? an sese medios moriturus in enses
inferat et pulchram properet per uulnera mortem?
ocius adducto torquens hastile lacerto
suspiciens altam et Lunam, sic uoce precatur:
‘tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
astrorum decus et nemorum Latonia custos.
si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
dona tulit, si qua ipse meis uenatibus auxi
suspendiue tholo aut sacra ad fastigia fixi,
hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.’

MPRV 405 *desinit* **V**

390 Euryale infelix *dubitanter distinxi*; infelix *dist.* **M**^{x}, *schol. Ver.* : Euryale *dist.* **P**^{2}, *Seru.* («*se infelicem dicit qui dolet, non illum propter quem dolet*»); *utramque distinctionem agnoscit Tib.* **391–392** *uerba* rursus – siluae *Niso tribuit Vrbanus ap. Seru.*, *poetae* «*alii*» *ap. Seru.*, *Tib.* **391** resolues **M** (*corr.* **M**^{A}) **393** *post* errat *lenius dist. Kraggerud*, simul et *ut coniunctionem accipiens* **395** cum] tum **Pyγ** (*corr.* **γ**^{1}) **397** noctis *dist. DSeru.* : loci *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, «*quidam*» *ap. DSeru.* (*ita ut sit* noctis … tumultu); *utramque distinctionem agnoscit Haterianus ap. schol. Ver.* **399** quid faciat] heu quid agat *DSeru. ad Aen. 4, 283* **400** enses **Paceruvyγ**, «*quidam*» *ap. DSeru.* : hostes **MRVω**, *DSeru.*, *Tib.* (*cfr. u. 554 et Aen. 2, 511*) **402** torquens *codd.*, *Non. 246, 28*, *Tib.* : torquet *Wagner cl. Aen. 1, 308* **403** altam et lunam *Ribbeck* (*de* et *tertia sede posito cf. Aen. 12, 381*) : altam ad lunam et **Rj** : altam lunam et **MPVωγ**, *Asper ap. schol. Ver.* (*ut uid.*), *Tib.*, *Prisc. 16, 16* : et *del. ed. Veneta an. 1470. Vitiosa in Vergilio putanda sunt epitheta et substantiua pariter cadentia atque iuxta posita, si ultimae eorum syllabae in arsin ueniunt, nisi ubi singularis captatur ex ea re grauitas, ut e.g. Aen. 1, 569 ‘Hesperiám magnám’; 2,251 ‘umbrá magná’; 4, 345 ‘Italiám magnám’; 6, 179 ‘Itur in antiquám siluám’; hic ergo synaliphe ‘alt*(*am*) *et’ oportet intersit* uoce] forte **M**^{A} *in mg.*, *Tib.* (*cf. Aen. 6, 186*) : ore **rγ**^{1}

dixerat et toto conixus corpore ferrum
conicit. hasta uolans noctis diuerberat umbras
et uenit auersi in tergum Sulmonis ibique
frangitur ac fisso transit praecordia ligno.
uoluitur ille uomens calidum de pectore flumen
frigidus et longis singultibus ilia pulsat.
diuersi circumspiciunt. hoc acrior idem
ecce aliud summa telum librabat ab aure.
dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque
stridens traiectoque haesit tepefacta cerebro.
saeuit atrox Volcens nec teli conspicit usquam
auctorem nec quo se ardens immittere possit.
'tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
persolues amborum' inquit; simul ense recluso
ibat in Euryalum. tum uero exterritus, amens,
conclamat Nisus, nec se celare tenebris
amplius aut tantum potuit perferre dolorem:
'me, me! adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
o Rutuli! mea fraus omnis, nihil iste nec ausus
nec potuit: caelum hoc et conscia sidera testor;
tantum infelicem nimium dilexit amicum.'
talia dicta dabat, sed uiribus ensis adactus
transabiit costas et candida pectora rumpit.
uoluitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
it cruor inque umeros ceruix conlapsa recumbit:
purpureus ueluti cum flos succisus aratro

MPR

412 auersi **r**, «*alii*» *ap. Seru. ut uid.* : aduersi **MPRωγ**, *Non. 414, 14, Seru. hic* (*cui* tergum [*i.q. 'tergus'*] *pro scuto ligneo accipiendum esse uidetur*; «*alii re uera in tergum uolunt esse percussum*»: *isti scil.* auersi *legebant*) *et ad Aen. 10, 717, Tib.* **415** pulsant **R** **416** acrius **M**^{2}**P**^{1} (*in ras.*, *ex* acrior, *fide Ribb., Sabb., Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **417** summa telum **MRω**, *Seru., DSeru. ad Aen. 2, 231, Tib.* : telum summa **Pbcfgsvxyγ** uibrabat **dfgt** **418** iit **Prγ** (*corr.* **γ**^{1}) : uolat *Prisc. ter* **420** umquam **M** (*corr.* **M**^{A}) **421** nec] ne **M** (*corr.* **M**^{2}) **428** nec] neque **R** **429** hoc] haec **P** (*corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) **432** transabiit **Raensu** (*cf. Stat. Theb. 2, 9 et 9, 126*; *Sil. 12, 264*) : transadibit **M** : transadigit **M**^{A}**Pdrtwyzγ**, *Non. 243, 31, Tib.* (*cf. Aen. 12, 276 et 508*) : transadiit **bcfghikvx** pectora candida **Rr**, *Tib.* rupit **Rcnrγ** (*corr.* **γ**^{1})

languescit moriens, lassoue papauera collo
demisere caput pluuia cum forte grauantur.
at Nisus ruit in medios solumque per omnis
Volcentem petit, in solo Volcente moratur;
quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
proturbant. instat non setius ac rotat ensem
fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
condidit aduerso et moriens animam abstulit hosti.
tum super exanimum sese proiecit amicum
confossus, placidaque ibi demum morte quieuit.
    Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
nulla dies umquam memori uos eximet aeuo,
dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
accolet imperiumque pater Romanus habebit.
    Victores praeda Rutuli spoliisque potiti
Volcentem exanimum flentes in castra ferebant;
nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
exsangui et primis una tot caede peremptis,
Serranoque Numaque. ingens concursus ad ipsa
corpora seminecisque uiros, tepidaque recentem
caede locum et pleno spumantis sanguine riuos.
agnoscunt spolia inter se galeamque nitentem
Messapi et multo phaleras sudore receptas.
    Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
iam sole infuso, iam rebus luce retectis
Turnus in arma uiros armis circumdatus ipse

MPR

443 hostis **P**^{1}, *Tib.* **444** exanimum **Mωγ**^{1}, *Tib.* : exanimem **PRbγ** **451** exanimum **Mω**, *Tib.* : exanimem **PRcsxγ** (examem **y**) **453** et *om.* **P** (*add.* **P**^{1}) **455** tepidaque **ωγ**^{1}, *Macrob. 6, 6, 3, Seru.*, *Tib.* : tepidumque **M**^{A} (-damque **M**) **PRaγ**, «*multi*» *ap. Seru.* recentem **MPRωγ**^{1}, *Macrob.*, *Seru.*, *Tib.* : recenti **P**^{x}**γ**, «*multi*» *ap. Seru.* (*cf. Aen. 8, 195*) **456** pleno **MP**^{x}**ω** : plenos **PRacdeiktxzγ**, *Tib.* spumantis **MPRbdfghnrwzγ**, *Seru.*, *Tib.* : spumanti **ωγ**^{1}

suscitat aeratasque acies: in proelia cogit
quisque suos, uariisque acuunt rumoribus iras.
quin ipsa arrectis (uisu miserabile) in hastis
praefigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
opposuere aciem (nam dextera cingitur amni)
ingentisque tenent fossas et turribus altis
stant maesti; simul ora uirum praefixa mouebant,
nota nimis miseris atroque fluentia tabo.

Interea pauidam uolitans pinnata per urbem
nuntia Fama ruit matrisque adlabitur auris
Euryali. at subitus miserae calor ossa reliquit,
excussi manibus radii reuolutaque pensa.
euolat infelix et femineo ululatu,
scissa comam, muros amens atque agmina cursu
prima petit, non illa uirum, non illa pericli
telorumque memor, caelum dehinc questibus implet:
‘hunc ego te, Euryale, aspicio? tune ille senectae
sera meae requies, potuisti linquere solam,
crudelis? nec te sub tanta pericula missum
adfari extremum miserae data copia matri?
heu, terra ignota canibus date praeda Latinis

MPR

463 cogit *codd.*, *Seru.*, *Tib.* : cogunt *Cunningham*, *Wagner* *post* acies *distinxi*, *coniungens* uiros … aeratasque acies (*Seruius quoque uidetur idem sensisse:* «*nam plenum est* aeratasque acies»)*; ex consuetudine Vergilianae elocutionis sequitur asyndeton, ita ut appareat quanta alacritate singuli cateruis praepositi mandata Turni perficiant. Certo argumento nisus hoc comprobauit A. Pittà,* «*MD*» *77, 2016, 173–176. Vide Conte, ‘Critical Notes’, 52–54* **464** suos **PRωγ**, *Seru.* («*scilicet ‘comites’*»), *Tib. in lemm.* : suas **Mdrw**, *Tib. in interpr. ut uid.* **465** *u. om.* **P** (*add. manus Carolinae aetatis*) mirabile **M** (*corr.* **M**^{2}), *DSeru. ad Aen. 2, 558* **468** in *om.* **R** **469** dextra **M** (*corr.* **M**^{A}) **Rbrγ** (*corr.* **γ**^{1}), *Prisc. 7, 68* amni **M**^{x}**P**^{x}**Rωγ**, *Seru. hic, ad Aen. 7, 31 et 9, 238, Tib., Prisc.* : amne **M** («amne *debuit dicere*» *Seru.*) : amnis **P** **471** mouebant **MRω**, *Tib.* : uidebant **Pcrstvyγ**; *utrumque agnoscit DSeru. ut uid.* **476** expulsi *Macrob. 4, 1, 5* **481** illa **Rdntv** **484** extremum **P**^{2}**Rωγ**, *Tib.* : extremis **MP** : extrema **dgt**; *item uariant codd. Seru.* **485** date *recc.*, *Bentley* : data *codd.*, *Sen. ep. 92, 34*, *Tib.*

alitibusque iaces! nec te tua funere mater
produxi pressiue oculos aut uulnera laui,
ueste tegens tibi quam noctes festina diesque
urgebam et tela curas solabar anilis.
quo sequar? aut quae nunc artus auulsaque membra
et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
conicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;
aut tu, magne pater diuum, miserere, tuoque
inuisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
quando aliter nequeo crudelem abrumpere uitam.'
hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis
it gemitus: torpent infractae ad proelia uires.
illam incendentem luctus Idaeus et Actor
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
corripiunt interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
increpuit, sequitur clamor caelumque remugit.
accelerant acta pariter testudine Volsci
et fossas implere parant ac uellere uallum;
quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros,
qua rara est acies interlucetque corona
non tam spissa uiris. telorum effundere contra
omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
adsueti longo muros defendere bello.
saxa quoque infesto uoluebant pondere, si qua
possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis

MPR 509 *redit* **F**

486 tua funere *Bembus* : tua funera *codd., Non. 372, 35, Macrob. 6, 2, 21, Seru.* (*qui perperam* funera *quasi 'mulier funerea' explicat*), *Tib.* : ad tua funera *Iulius Sabinus* (= *Pomponius Laetus*), *alii alia* **487** aut] nec *Seru. ad Aen. 4, 683* **495** magne] summe *Seru. ad Aen. 2, 645* **501** *u. om.* **P** (*ima pagina add.* **P**[1]), *ante u. 500 habent* **bcevyγ** (*ord. rest.* **γ**[1]) **502** sub] in **dgtwz** reponunt] reportant **b** (*cf. Aen. 7, 574*) **506** uellere] pellere **M**[2]**R** uallo **M**[2], *e u. 519* **507** aditus **Pγ** **513** cum] num *Ribbeck* (*interrogationis signo post 514* casus *posito*)

ferre iuuat subter densa testudine casus.
nec iam sufficiunt; nam qua globus imminet ingens,
immanem Teucri molem uoluuntque ruuntque,
quae strauit Rutulos late armorumque resoluit
tegmina. nec curant caeco contendere Marte
amplius audaces Rutuli, sed pellere uallo
missilibus certant.
parte alia horrendus uisu quassabat Etruscam
pinum et fumiferos infert Mezentius ignis;
at Messapus equum domitor, Neptunia proles,
rescindit uallum et scalas in moenia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti
quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus
ediderit, quem quisque uirum demiserit Orco,
et mecum ingentis oras euoluite belli.
[et meministis enim, diuae, et memorare potestis]
Turris erat uasto suspectu et pontibus altis,
opportuna loco, summis quam uiribus omnes
expugnare Itali summaque euertere opum ui
certabant, Troes contra defendere saxis
perque cauas densi tela intorquere fenestras.
princeps ardentem coniecit lampada Turnus
et flammam adfixit lateri, quae plurima uento
corripuit tabulas et postibus haesit adesis.
turbati trepidare intus frustraque malorum
uelle fugam; dum se glomerant retroque residunt
in partem quae peste caret, tum pondere turris
procubuit subito et caelum tonat omne fragore.
semineces ad terram immani mole secuta

FMPR 535 *desinit* **F**

514 iuuat **F**^{2}**eksuvyγ**^{1} (iubat **P**^{2}**cγ**, lubat **M**), *Gramm.*; *cf. Aen. 10, 509* (cum tamen *indicatiuo adiungitur*) : libet **FM**^{A}**Rω**, *GLK V, 523, 17*, *Tib.* : iubet **Pr** : iuuet **ir**^{2}**u**^{2}, *Mynors* **516** ruuntque] trahuntque *Tib.* **518** currant **FMγ** (*corr.* **F**^{2}**M**^{x}**γ**^{1}) **524** scalis **P**^{1} *in ras.* (*ex* flammas *fide Sabb. et Geym.*, *corr.* **P**^{2}) in **FMRωγ**^{1} : ad **Pbcxyγ**, *DSeru. ad georg. 1, 264*, *Tib.* **526** tum **FRω**, *Tib.* : tunc **MPcxγ** **529** (= *Aen. 7, 645*) *om.* **FMPωγ**, *non interpr. Seru.* : *habent* **Ra**^{2}**j**, *Tib.* morare **Rj** **533** troes] troes acri **Rj** **539** residunt] recedunt *Schrader*

confixique suis telis et pectora duro
transfossi ligno ueniunt. uix unus Helenor
et Lycus elapsi; quorum primaeuus Helenor,
Maeonio regi quem serua Licymnia furtim
sustulerat uetitisque ad Troiam miserat armis,
ense leuis nudo parmaque inglorius alba.
isque ubi se Turni media inter milia uidit,
hinc acies atque hinc acies adstare Latinas,
ut fera quae densa uenantum saepta corona
contra tela furit seseque haud nescia morti
inicit et saltu supra uenabula fertur,
haud aliter iuuenis medios moriturus in hostis
inruit et qua tela uidet densissima tendit.
at pedibus longe melior Lycus inter et hostis
inter et arma fuga muros tenet, altaque certat
prendere tecta manu sociumque attingere dextras.
quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
increpat his uictor: ‘nostrasne euadere, demens,
sperasti te posse manus?’ simul arripit ipsum
pendentem et magna muri cum parte reuellit:
qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
sustulit alta petens pedibus Iouis armiger uncis,
quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. undique clamor
tollitur: inuadunt et fossas aggere complent,
ardentis taedas alii ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium portae subeuntem ignisque ferentem,
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas,
hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta,
Ortygium Caeneus, uictorem Caenea Turnus,
Turnus Ityn Cloniumque, Dioxippum Promolumque
et Sagarim et summis stantem pro turribus Idan,

MPR

552 furit] ruit **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* furit *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **558** tecta] saxa *Seru.* dextra **Ra** **565** matris **Racjsuγ**^{1} **574** dioxippumque **Ra**

Priuernum Capys. hunc primo leuis hasta Themillae
strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
ad uulnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta
(et laeuo adfixa est lateri manus) abditaque intus
spiramenta animae letali uulnere rupit.
stabat in egregiis Arcentis filius armis,
pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,
insignis facie, genitor quem miserat Arcens
eductum Martis luco Symaethia circum
flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici:
stridentem fundam positis Mezentius hastis
ipse ter adducta circum caput egit habena
et media aduersi liquefacto tempora plumbo
diffidit ac multa porrectum extendit harena.
 Tum primum bello celerem intendisse sagittam
dicitur ante feras solitus terrere fugacis
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum,
cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
germanam nuper thalamo sociatus habebat.
is primam ante aciem digna atque indigna relatu
uociferans tumidusque nouo praecordia regno
ibat et ingentem sese clamore ferebat:
‘non pudet obsidione iterum ualloque teneri,
bis capti Phryges, et morti praetendere muros?

MPR

578 sagitta est **ceruv** (*cf. Aen. 12, 319*) **579** adfixa **Pkxyγ**, *Seru. in lemm.* (*cf. Ou. met. 12, 387*) : infixa **MRω**, *Tib.* lateri manus *codd.*, *Tib.*; *sagitta manum latusque transfodiens epica est* περιπέτεια τῆς μάχης; *de hac ipsa manu uulnerato lateri admota supra* (*577*) *dixerat poeta*; *uerba* et – manus *sunt* διὰ μέσου *interposita*, et *i.q.* ‘*itaque*’ : infixa est alte lateri *Housman ad Manil. uol. I p. LXV* (*nimis ingeniose*; intus *incommode uidetur redundare si* alte *legitur*) : lateri eminus *Gemoll* **580** rumpit **bdfinrtwzγ¹** **583** facie *et* Arcens *dist.* **MˣP²**, *Tib.* (*qui tamen ad u. 581 adnotat:* «*uidetur ostendisse quod Arcens etiam ipse diceretur*») : *post* miserat *dist. Seru. ut uid.* («*ordo est: ‘stabat Arcentis filius Arcens’ … nam non congruit ut huius filii praetermisso nomine bis fiat patris commemoratio*») **584** Martis] matris *Macrob. 5, 19, 15* simoentaque **Ra** **585** paici **Ra** **586** hastis **Mᴬ** (astis **M**) **Pbnryγ**, *Tib.* : armis **Rωγ¹** (*cf. Aen. 10, 52*) **599** morte **M** (*corr.* **Mᴬ**) protendere **M** (*corr.* **Mᴬ**)

en qui nostra sibi bello conubia poscunt!
quis deus Italiam, quae uos dementia adegit?
non hic Atridae nec fandi fictor Vlixes:
durum a stirpe genus natos ad flumina primum
deferimus saeuoque gelu duramus et undis;
uenatu inuigilant pueri siluasque fatigant,
flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
at patiens operum paruoque adsueta iuuentus
aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.
omne aeuum ferro teritur, uersaque iuuencum
terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
debilitat uiris animi mutatque uigorem:
canitiem galea premimus semperque recentis
comportare iuuat praedas et uiuere rapto.
uobis picta croco et fulgenti murice uestis,
desidiae cordi, iuuat indulgere choreis,
et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.
o uere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
tympana uos buxusque uocat Berecyntia Matris
Idaeae: sinite arma uiris et cedite ferro.'
    Talia iactantem dictis ac dira canentem
non tulit Ascanius neruoque obuersus equino
contendit telum diuersaque bracchia ducens
constitit, ante Iouem supplex per uota precatus:
'Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
candentem pariterque caput cum matre ferentem,
iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.'
audiit et caeli genitor de parte serena
intonuit laeuum, sonat una fatifer arcus:

MPR

604 saeuoque] duroque **Pcxyγ** (*corr.* **γ**[1]) **610** tarda] «*in aliis* sera» *teste DSeru.* **619** uocant **bcfg**, *Tib.* berecyntia] berechyntia **M** (-tiae **M**[2]) : berecynthia **P** : uerecynthia **R**; *cf. u. 82* **620** caedite **bγ**, *agnoscit Seru.* **623** intendit **Pyγ** **631** fatifer **MRabnrγ**[1], *Seru., Tib.* (*cf. Aen. 8, 621*) : letifer **Pωγ** (*cf. Aen. 10, 169*)

effugit horrendum stridens adducta sagitta
perque caput Remuli uenit et caua tempora ferro
traicit. ‘i, uerbis uirtutem inlude superbis!
bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt’.
hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur
laetitiaque fremunt animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
desuper Ausonias acies urbemque uidebat
nube sedens, atque his uictorem adfatur Iulum:
‘macte noua uirtute, puer: sic itur ad astra,
dis genite et geniture deos. iure omnia bella
gente sub Assaraci fato uentura resident,
nec te Troia capit.’ simul haec effatus ab alto
aethere se mittit, spirantis dimouet auras
Ascaniumque petit; formam tum uertitur oris
antiquum in Buten. hic Dardanio Anchisae
armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
omnia longaeuo similis uocemque coloremque
et crinis albos et saeua sonoribus arma,
atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
‘sit satis, Aenide, telis impune Numanum
oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
concedit laudem et paribus non inuidet armis:
cetera parce, puer, bello.’ sic orsus Apollo
mortalis medio aspectus sermone reliquit

MPR

632 effugit **Mωγ**, «*melius legitur*» *auctore Seru.*, *Tib.* : et fugit **PRaenruvyγ**^{1}, *Seru. in lemm.* : efugit **c** : ecfugit **b** adducta **MRabefjknru** : adlapsa **Pγ**, *Tib.* (*cf. u. 578 et Aen. 12, 319*) : elapsa **ω** **634** traicit **Mbf**, *Tib. in lemm.* (*cf. Aen. 10, 400 et 11, 685*) : transigit **Pn** : transiit **P**^{x}**γ**, *Tib. in interpr.* : transadigit **Ra** (*cf. Aen. 12, 276 et 508*) : traiecit **ωγ**^{1} i **M**^{A}**Pbcenr** (ii **P**^{1}**γ**), *Arus. 479, 21*, *Tib.* : *om.* **MRωγ**^{1} **640** uictorem] ardentem *Tib.* (*cf. u. 652*) **645** mittit **Mωγ**^{1}, *Tib.* : mittit et **Raeju** : misit **Pcvxyγ** demouet **Raj** **646** formam **Mdfhknr?twγ**^{1}, *Tib.* : forma **PRωγ** (*uide app. crit. ad Aen. 5, 720*) **647** antiqua **M**^{2} hic] qui *Seru. ad Aen. 1, 726* **651** albos **MPbc?fnvxyγ**, *Tib.* : flauos **Rω** (*cf. Aen. 4, 559*) **654** oppetisse **MPRγ** (*corr.* **P**^{1}**γ**^{1}) **657** aspectus **ω**, *Tib.* : aspectu **MPRaγ** : uisus **γ**^{1}, *Diom. 377, 10* (*cf. Aen. 4, 277*)

et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.
agnouere deum proceres diuinaque tela
Dardanidae pharetramque fuga sensere sonantem.
ergo auidum pugnae dictis ac numine Phoebi
Ascanium prohibent, ipsi in certamina rursus
succedunt animasque in aperta pericula mittunt.
it clamor totis per propugnacula muris,
intendunt acris arcus ammentaque torquent.
sternitur omne solum telis, tum scuta cauaeque
dant sonitum flictu galeae, pugna aspera surgit:
quantus ab occasu ueniens pluuialibus Haedis
uerberat imber humum, quam multa grandine nimbi
in uada praecipitant, cum Iuppiter horridus Austris
torquet aquosam hiemem et caelo caua nubila rumpit.
    Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
quos Iouis eduxit luco siluestris Iaera
abietibus iuuenes patriis in montibus aequos,
portam, quae ducis imperio commissa, recludunt,
freti armis, ultroque inuitant moenibus hostem.
ipsi intus dextra ac laeua pro turribus adstant
armati ferro et cristis capita alta corusci:
quales aëriae liquentia flumina circum
siue Padi ripis Athesim seu propter amoenum
consurgunt geminae quercus intonsaque caelo

MPR

661 ac] et **M** **667** flictu **Pωγ¹** (fluctu **γ**), *Seru.* («flictu *pro 'adflictu'*»), *Tib.*; *cf. Auson. ep. 24, 20* : adflictu **Rajnrz** (atfl- **M**) **671** nubila] lumina **M** (*corr.* **Mᴬ**) **674** patriis iuuenes **Pcfxyγ** (*ord. rest.* **γ¹**) in montibus *Bryant* (*bene cl. Hom. Il. 12, 132* ἕστασαν ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι) : et montibus *codd.*, *Tib.*; *si qui fortissimus uir cum abietibus comparatur, haec mihi plane heroica uidetur esse similitudo*; *si cum montibus, necesse est ille tanta mole corporis sit quanta Cyclopes et Laestrygones* (*cf. Hom. Od. 9, 191*; *10, 113*); *si comparatio simul fit et cum abietibus et cum montibus, hoc mihi absurde compositum uidetur* aequos] aequas **P** (*fide Ribb., Sabb. et Geym.*) : aequi **P⁽¹⁾** *in ras.* : aequis **γ** (*corr.* **γ¹**) **676** armis] animis *Bentley* (*cf. Hom. Il. 12, 135*) **678** coruscant **M** : coruscis *Macrob. 5, 11, 26* **679** liquentia **MPRabegjryγ**, *Diom. 464, 7, Macrob.*, *DSeru. et Tib. in lemm.* : liquetia **ωγ¹**, *Seru.* («*proprium est nomen, non epitheton*»), *DSeru. in interpr.* : linquentes *Tib. in interpr. ut uid.*

attollunt capita et sublimi uertice nutant.
inrumpunt aditus Rutuli ut uidere patentis:
continuo Quercens et pulcher Aquiculus armis
et praeceps animi Tmarus et Mauortius Haemon
agminibus totis aut uersi terga dedere
aut ipso portae posuere in limine uitam;
tum magis increscunt animis discordibus irae,
et iam collecti Troes glomerantur eodem
et conferre manum et procurrere longius audent.
  Ductori Turno diuersa in parte furenti
turbantique uiros perfertur nuntius, hostem
feruere caede noua et portas praebere patentis.
deserit inceptum atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos.
et primum Antiphaten (is enim se primus agebat),
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
coniecto sternit iaculo: uolat Itala cornus
aëra per tenerum stomachoque infixa sub altum
pectus abit; reddit specus atri uulneris undam
spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum,
tum Bitian ardentem oculis animisque frementem,
non iaculo (neque enim iaculo uitam ille dedisset),
sed magnum stridens contorta phalarica uenit
fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga
nec duplici squama lorica fidelis et auro
sustinuit: conlapsa ruunt immania membra,
dat tellus gemitum et clipeum super intonat ingens.
talis in Euboico Baiarum litore quondam

MPR

685 marus **Mn** (it marus **γ**^{1}), *Tib.* (*cf. Sil. 6, 74*) **686** aut uersi] aut uerse **M** (*corr.* **M**^{A}) : auersi **P** (*corr.* **P**^{2}) **Raj** : ut auersi **γ** (*corr.* **γ**^{1}) : at uersi *Ribbeck* (*post* totis *fortiter distinguens et post 683* patentis *distinctione sublata*) **689** eodem] in unum **Raeju** (*cf. u. 801*) **690** gradum (*cf. Aen. 6, 488*) et procedere longius audet *Non. 268, 18* **702** aphidnum] aphednu **M** (m *add.* **M**^{A}, e *in* i *corr. alio atramento* **M**^{2}) : afidum **P** : afidnim **P**^{1} : achidnum **Ra** **709** clipeus *Kraggerud* **710** talis **MRan**, *DSeru. ad u. 712*, *Tib.* : qualis **Pωγ**

saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam
prona trahit penitusque uadis inlisa recumbit:
miscent se maria et nigrae attolluntur harenae,
tum sonitu Prochyta alta tremit durumque cubile
Inarime Iouis imperiis imposta Typhoeo.
　Hic Mars armipotens animum uirisque Latinis
addidit et stimulos acris sub pectore uertit
immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
undique conueniunt, quoniam data copia pugnae,
bellatorque animo deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit
et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
portam ui multa conuerso cardine torquet,
obnixus latis umeris, multosque suorum
moenibus exclusos duro in certamine linquit;
ast alios secum includit recipitque ruentis,
demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
uiderit inrumpentem ultroque incluserit urbi,
immanem ueluti pecora inter inertia tigrim.
continuo noua lux oculis effulsit et arma
horrendum sonuere; tremunt in uertice cristae
sanguineae clipeoque micantia fulmina mittit:
agnoscunt faciem inuisam atque immania membra
turbati subito Aeneadae. tum Pandarus ingens
emicat et mortis fraternae feruidus ira
effatur: ‘non haec dotalis regia Amatae,
nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.

MPR

714 tolluntur **bdgikrtwz** (nigra tolluntur harena *Tib.*) **719** timorem] furorem **P** (*corr.* **P**^{2}) **721** animos **Mc** (*corr.* **M**^{x}) **722** cernit **MRω**, *Tib.* : uidit **Pcfvxyγ** **723** qui **Mωγ**^{1}, *Char. 91, 10, Tib.* : quis **PRaγ**; *cf. Aen. 5, 649* **724** multa] magna **M** **725–726** *post 732 scripsit* **M**, *corr.* **M**^{A} (*qui uu. 725–726 ima pagina addiderat*; *hos uersus postea erasit et denuo scripsit man. librario simillima; cf. Aen. 1, 169*) **726** liquit *Seru.* **731** offulsit **Ra**, *Tib.*; *cf. u. 110* **733** clipeique **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) : clipeusque *Heyne* mittit **M**^{1} (-tet **M**) **ωγ**^{1}, *Tib.* : mittunt **PRanγ**, *Macrob. 5, 13, 35*

castra inimica uides, nulla hinc exire potestas.'
olli subridens sedato pectore Turnus:
'incipe, si qua animo uirtus, et consere dextram,
hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.'
dixerat. ille rudem nodis et cortice crudo
intorquet summis adnixus uiribus hastam:
excepere aurae, uulnus Saturnia Iuno
detorsit ueniens, portaeque infigitur hasta.
'at non hoc telum, mea quod ui dextera uersat,
effugies, neque enim is teli nec uulneris auctor':
sic ait et sublatum alte consurgit in ensem
et mediam ferro gemina inter tempora frontem
diuidit impubisque immani uulnere malas.
fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus;
conlapsos artus atque arma cruenta cerebro
sternit humi moriens, atque illi partibus aequis
huc caput atque illuc umero ex utroque pependit.
Diffugiunt uersi trepida formidine Troes,
et si continuo uictorem ea cura subisset,
rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
ultimus ille dies bello gentique fuisset;
sed furor ardentem caedisque insana cupido
egit in auersos.
principio Phalerim et succiso poplite Gygen
excipit, hinc raptas fugientibus ingerit hastas
in tergum (Iuno uiris animumque ministrat);
addit Halyn comitem et confixa Phegea parma,
ignaros deinde in muris Martemque cientis

MPR

741 animi **Raej** **747** uersat] librat **Pckvyγ** (uersat *i.q. 'librat' interpr. DSeru.*) **748** is] es **Pdhjwγ**, *Tib. in interpr.* (?) **752** ingenti] immani **Ra?** (*ex super. uersu*) **753** conlapsus **MPcγ** (*corr.* **P**^{x}**γ**^{1}) **760** insana] infanda **giwz** : inmensa **γ**^{1} **761** auersos *Bentley* : aduersos *codd.*, *Tib.*; *sed cf. supra 756* diffugiunt uersi, *et infra 762* succiso poplite, *763 sq.* fugientibus ... in tergum, *781* quo ... fugam? **762** phalarin **Pγ** : phalarim *Tib.*, *Prisc. 7, 50* **764** tergum **MP**^{2}**ωγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 2, 16, Non. 414, 9* : tergus **PRajkr**, *Char. 71, 25 et 146, 7, DSeru. ad Aen. 1, 211* **765** halym **MR** confixum **M**^{A}**P**^{2}**γ** (*corr.* **γ**^{1})

Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra sociosque uocantem
uibranti gladio conixus ab aggere dexter
occupat: huic uno deiectum comminus ictu
cum galea longe iacuit caput; inde ferarum
uastatorem Amycum, quo non felicior alter
unguere tela manu ferrumque armare ueneno,
et Clytium Aeoliden et amicum Crethea Musis,
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
et citharae cordi numerosque intendere neruis:
semper equos atque arma uirum pugnasque canebat.
    Tandem ductores audita caede suorum
conueniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus,
palantisque uident socios hostemque receptum;
et Mnestheus: ‘quo deinde fugam, quo tenditis?’ inquit,
‘quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?
unus homo et uestris, o ciues, undique saeptus
aggeribus tantas strages impune per urbem
ediderit? iuuenum primos tot miserit Orco?
non infelicis patriae ueterumque deorum
et magni Aeneae, segnes, miseretque pudetque?’
talibus accensi firmantur et agmine denso
consistunt. Turnus paulatim excedere pugnae
et fluuium petere ac partem quae cingitur unda;
acrius hoc Teucri clamore incumbere magno
et glomerare manum, ceu saeuum turba leonem
cum telis premit infensis; at territus ille,

MPR

767 phrytanimque **M** : prytaninque **P** **769** dextra **M** (*corr.* **M**^{1} *uel* **M**^{A}) **cdehkuvwxyz** **770** desectum **γ** (*corr.* **γ**^{1}), *sed cf. Sil. 13, 246 sq.* **772** felicius **jn**, *Seru.* **773** ung(u)ere **MP**$^{(1)}$ (*in ras., ex* tinguere *fide Sabb. et Geym.*) **Rωγ**, *Seru.*, *Tib.*, *Gramm.* (*cf. Hom. Od. 1, 261 sq.* ὄφρα οἱ εἴη / ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας) : urgere *GLK VII, 311, 31* **781** fuga **P** (*corr.* **P**^{1}) **782** quae iam **MRωγ**^{1}, *Tib.* (aut quae iam *Macrob. 5, 9, 14*) : quaeue **Pcekuvxyγ** **786** nonne **M**^{2} **789** pugnae **PRagj** (*cf. Aen. 10, 441*) : pugna **Mωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 5, 380*) **790** unda] amni **abdktwz** (*cf. u. 469*) **793** at **Pωγ** (ad **y**), *Tib.* : ac **MRadeghjuwz**

asper, acerba tuens, retro redit et neque terga
ira dare aut uirtus patitur, nec tendere contra
ille quidem hoc cupiens potis est per tela uirosque.
haud aliter retro dubius uestigia Turnus
improperata refert et mens exaestuat ira.
quin etiam bis tum medios inuaserat hostis,
bis confusa fuga per muros agmina uertit;
sed manus e castris propere coit omnis in unum
nec contra uiris audet Saturnia Iuno
sufficere: aëriam caelo nam Iuppiter Irim
demisit germanae haud mollia iussa ferentem,
ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
ergo nec clipeo iuuenis subsistere tantum
nec dextra ualet, iniectis sic undique telis
obruitur. strepit adsiduo caua tempora circum
tinnitu galea et saxis solida aera fatiscunt
discussaeque iubae capiti, nec sufficit umbo
ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse
fulmineus Mnestheus. tum toto corpore sudor
liquitur et piceum (nec respirare potestas)
flumen agit, fessos quatit aeger anhelitus artus.
tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
in fluuium dedit: ille suo cum gurgite flauo
accepit uenientem ac mollibus extulit undis
et laetum sociis abluta caede remisit.

MPR

795 nec] neque **Ra** **804** dimittit *Seru. ad Aen. 5, 606* : demisit *et* dimisit *codd. Seru. ad Aen. 9, 2* **806** iuuenis clipeo **fx** clipeos **M** (*corr.* **M**^{x}) **807** obiectis *Macrob. 6, 3, 4* **809** galeae **M**, *Pomp. 308, 11* et *om.* **M** (*add.* **M**^{A}) **810** capiti *dist. Seru., Tib.* : iubae *dist. edd. nonnulli, perperam* capiti *cum* sufficit *iungentes* **814** aeger] acer «*quidam*» *ap. DSeru.*; *sed cf. Aen. 5, 432* **816** flauo] uasto (*cf. Aen. 1, 118*; *3, 197 et 6, 741*) **Pcekuyzγ** (*corr.* **γ**^{1}) **817** excepit fugientem **dwz**

LIBER X

Panditur interea domus omnipotentis Olympi
conciliumque uocat diuum pater atque hominum rex
sideream in sedem, terras unde arduus omnis
castraque Dardanidum aspectat populosque Latinos.
considunt tectis bipatentibus, incipit ipse:
'caelicolae magni, quianam sententia uobis
uersa retro tantumque animis certatis iniquis?
abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
quae contra uetitum discordia? quis metus aut hos
aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit?
adueniet iustum pugnae (ne arcessite) tempus,
cum fera Karthago Romanis arcibus olim
exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
nunc sinite et placitum laeti componite foedus.'
    Iuppiter haec paucis; at non Venus aurea contra
pauca refert:
'o pater, o hominum rerumque aeterna potestas
(namque aliud quid sit quod iam implorare queamus?),
cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
per medios insignis equis tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt iam moenia Teucros;
quin intra portas atque ipsis proelia miscent

MPR 1 *redit* **V**

4 spectat **P^{x}γ**, *Seru.* **6** quianam **MPRVab?cgjknvγ**, *Asper ap. schol. Ver., GLK IV, 559, 7, Seru. hic et ad Aen. 5, 13* (*cf. Aen. 5, 13 et Quint. inst. 8, 3, 25*) : quaenam **ω**, *Tib.* **15** laeti placidum **M** : placidum laeti **dfhntyzγ^{1}** **18** rerumque **MPRVabryγ**, *ps. Acro ad Hor. carm. 3, 1, 6* (rerumque hominumque), *Probus 222, 23, DSeru., Tib. in lemm. et ad Aen. 4, 677* (*cf. Aen. 12, 829*) : diuumque **ω**, *Seru., Tib. in interpr.* **20–21** feratur – tumidusque *om.* **M** (*add.* **M^{A}**), *secl. Ribbeck* **22** claustra **M** (*corr.* **M^{x}**)

aggeribus moerorum et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. numquamne leuari
obsidione sines? muris iterum imminet hostis
nascentis Troiae nec non exercitus alter,
atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. equidem credo, mea uulnera restant
et tua progenies mortalia demoror arma.
si sine pace tua atque inuito numine Troes
Italiam petiere, luant peccata neque illos
iuueris auxilio; sin tot responsa secuti
quae superi manesque dabant, cur nunc tua quisquam
uertere iussa potest aut cur noua condere fata?
quid repetam exustas Erycino in litore classes,
quid tempestatum regem uentosque furentis
Aeolia excitos aut actam nubibus Irim?
nunc etiam manis (haec intemptata manebat
sors rerum) mouet et superis immissa repente
Allecto, medias Italum bacchata per urbes.
nil super imperio moueor: sperauimus ista,
dum fortuna fuit; uincant quos uincere mauis.
si nulla est regio Teucris quam det tua coniunx
dura, per euersae, genitor, fumantia Troiae
excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem;
Aeneas sane ignotis iactetur in undis
et quacumque uiam dederit Fortuna sequatur:

MPRV 26 *desinit* **V**

24 moerorum **PV**^{2} (mor- **V**) **ikw**, *Seru.* («moerorum *pro ‘murorum’ antique*»); *cf. Quint. inst. 8, 3, 25* : murorum **MP**$^{2?}$**Rωγ**, *Tib.*; *cf. u. 144 et Aen. 11, 382* fossae **Mω** (*cf. Aen. 11, 382 et Hom. Il. 8, 65* ῥέε δ᾽ αἵματι γαῖα) : fossas **PRVabeikruzγ**, *Seru. ut uid.* («inundant *implent et inundare faciunt*»), *Tib.* **27** nec – alter *om. Tib. in lemm.* (*sed interpretatur*), *secl. Ribbeck* **28** surgit **Rω**, *Seru.*, *Tib.* : surget **MPbrzγ** **35** uertere] flectere **dghitw** iura **Raeu** **36** repetam] memorem *Seru. ad Aen. 1, 39* (*cf. Aen. 6, 123*) **45** dura *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru.* («*hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta ‘dura fumantia excidia’*»), *Tib.* **46** demittere **Pγ** **48** sane] procul **Raer?uv** undis] oris **P**^{1}**yγ** (*corr.* **γ**^{1}) **49** quacumque **Pγ** (*cf. Aen. 2, 387 et 12, 626*) : quamcumque **MRωγ**^{1}, *Tib.*

hunc tegere et dirae ualeam subducere pugnae.
est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cythera
Idaliaeque domus: positis inglorius armis
exigat hic aeuum. magna dicione iubeto
Karthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
obstabit Tyriis. quid pestem euadere belli
iuuit et Argolicos medium fugisse per ignes
totque maris uastaeque exhausta pericula terrae,
dum Latium Teucri recidiuaque Pergama quaerunt?
non satius cineres patriae insedisse supremos
atque solum quo Troia fuit? Xanthum et Simoenta
redde, oro, miseris iterumque reuoluere casus
da, pater, Iliacos Teucris.' tum regia Iuno,
acta furore graui: 'quid me alta silentia cogis
rumpere et obductum uerbis uulgare dolorem?
Aenean hominum quisquam diuumque subegit
bella sequi aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus (esto)
Cassandrae impulsus furiis: num linquere castra
hortati sumus aut uitam committere uentis?
num puero summam belli, num credere muros,
Tyrrhenamque fidem aut gentis agitare quietas?
quis deus in fraudem, quae dura potentia nostra
egit? ubi hic Iuno demissaue nubibus Iris?
indignum est Italos Troiam circumdare flammis
nascentem et patria Turnum consistere terra,
cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater:

MPR 53 *redit* **V**

50 durae **Ra** **51** paphus **MP**$^{(1)}$ (*ex* pophus) **ωγ**, *Tib.* : paphos **Radehiktvw**, *Seru.*, *DSeru.* atque alta cythera (*cf. u. 86 et Aen. 1, 680*) **P**^{2} (*man. Carolinae aetatis*) **Radhtwγ** (*corr.* **γ**^{1}) **53** exigat **MPRabgnrγ** : exiget **Vωγ**^{1}, *Tib.* **58** rediuiuaque **Ra** (*at cf. Aen. 4, 344 et 7, 322*) **59** patriae cineres **Pγ** (*ord. rest.* **γ**^{1}) : c. patrios **Ra?** **67** petiit **M**^{A}**ωγ**^{1} (petitit **Pγ**), *Prisc. 7, 33* : petit **MRVar**, *Tib.* fatis petiit *recc., Heinsius* **71** tyrrhenamque **MPbwγ**, *Don. ad Ter. Andr. 716, Seru., DSeru.* : -ue **RVωγ**^{1}, *Tib.* aut] et **Ra** **72** nostra **M**^{A}**PRVωγ**, *Rufin. 61, 21, Seru., DSeru. ad u. 44, Tib.* : nostri **M** (*cf. Aen. 4, 237 et 8, 514*) **73** hinc **M** (*corr.* **M**^{A})

quid face Troianos atra uim ferre Latinis,
arua aliena iugo premere atque auertere praedas?
quid soceros legere et gremiis abducere pactas,
pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
tu potes Aenean manibus subducere Graium
proque uiro nebulam et uentos obtendere inanis,
et potes in totidem classem conuertere nymphas:
nos aliquid Rutulos contra iuuisse nefandum est?
“Aeneas ignarus abest”: ignarus et absit.
est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
quid grauidam bellis urbem et corda aspera temptas?
nosne tibi fluxas Phrygiae res uertere fundo
conamur? nos, an miseros qui Troas Achiuis
obiecit? quae causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque et foedera soluere furto?
me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter,
aut ego tela dedi fouiue Cupidine bella?
tum decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
haud iustis adsurgis et inrita iurgia iactas.’
    Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
caelicolae adsensu uario, ceu flamina prima
cum deprensa fremunt siluis et caeca uolutant
murmura uenturos nautis prodentia uentos.
tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
infit (eo dicente deum domus alta silescit
et tremefacta solo tellus, silet arduus aether,
tum Zephyri posuere, premit placida aequora pontus):

MPRV 78 *desinit* **V**

77 atram **Pγ** (*corr.* γ^{1}) inferre **b**, *Tib.* **79** *ante u. 78 habent* **dht**; *secl. Günther* («*Hermes*» *124, 1996, 207*) **80** manu **MPωγ**, *Seru. ad Aen. 1, 183, Tib.* : manu et **Racefuv**γ^{1} **83** et] tu *Markland ad Stat. silu. 3, 2, 81, quod mihi minime displicet* classem **PRωγ**, *Seru. hic, Tib.* : classes **Mceuv**, *Seru. ad Aen. 4, 228 et 12, 320* **84** contra Rutulos *Tib., Isid. 2, 30, 13* **86** paphus] paphys **R** : paphos **dfhktw** (*cf. u. 51*) **90** concurrere **euv** **94** tum **Mω**, *Cledon. 67, 8* : tunc **PRacenuvxγ**, *Arus. 493, 2, Rufin. 55, 15, Tib.* **96** Iuno] dictis (*cf. Aen. 6, 124*) **Pγ** (*corr.* γ^{1}) **100** prima **MRaejuv**γ^{1}, *Tib.* : summa **M**^{A}**Pωγ**, *Macrob. 6, 2, 26, Aug. ench. 3, 11*

‘accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.
quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris
haud licitum nec uestra capit discordia finem,
quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusne fuat, nullo discrimine habebo,
seu fatis Italum castra obsidione tenentur
siue errore malo Troiae monitisque sinistris.
nec Rutulos soluo: sua cuique exorsa laborem
fortunamque ferent; rex Iuppiter omnibus idem.
fata uiam inuenient.’ Stygii per flumina fratris,
per pice torrentis atraque uoragine ripas
adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.
hic finis fandi. solio tum Iuppiter aureo
surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
sternere caede uiros et moenia cingere flammis.
at legio Aeneadum uallis obsessa tenetur
nec spes ulla fugae. miseri stant turribus altis
nequiquam et rara muros cinxere corona
Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes
Assaracique duo et senior cum Castore Thymbris,
prima acies; hos germani Sarpedonis ambo
et Clarus et Thaemon Lycia comitantur ab alta;
fert ingens toto conixus corpore saxum,
haud partem exiguam montis, Lyrnesius Acmon,

MPR

105 ausoniis **P**$^{2?}$**γ** (*corr.* **γ**^{1}) teucros **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **106** licitum **MPωγ**, *Tib.* : licitum est **Racegjuv**, *Seru.* **107** *u. om.* **P** (*add. manus Carolinae aetatis*) **108** rutulusue **cdegxzγ**^{1} (-osue **f**) fiat **M** (*corr.* **M**^{A}), *Tib.* : luat **R** *ut uid.* (*corr.* **R**$^{1?}$) **aefjuvxyγ** (*corr.* **γ**^{1}) **108–110** *post* habebo *fortius et post* sinistris *leuius dist. Cunningham* **109–112** *secl. Peerlkamp; 109–110 secl. Ribbeck; cf. Günther, «Hermes» 124, 1996, 205 sqq.* **109** Italum *dist.* **P**^{2}, *Seru.* («castra tenentur *scilicet Troianorum*») **110** monitisue **Pbγ** (*corr.* **γ**^{1}) **111** Rutulos] populos *Non. 390, 40* quisque **M** (*corr.* **M**^{A}) **113** inueniant **cdghijtwγ** (*corr.* **γ**^{1}) **121** miseris **Rabr** **123** iasius **M** (*corr.* **M**^{A}) **ω** (*praeter* **abr**) **γ**^{1}, *Tib.* **124** thybris **MP** (*in ras.*) **ω** (*praeter* **ab**) **γ**, *Seru.*, *Tib.* **126** et thaemon **Pbγ**, *Tib.* : et haemon **MRω** alta] ida **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); *cf. Aen. 12, 412* **128** agmon **Pcefkvxyzγ**, *Tib.*

nec Clytio genitore minor nec fratre Menestheo.
hi iaculis, illi certant defendere saxis
molirique ignem neruoque aptare sagittas.
ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
qualis gemma micat, fuluum quae diuidit aurum,
aut collo decus aut capiti, uel quale per artem
inclusum buxo aut Oricia terebintho
lucet ebur; fusos ceruix cui lactea crinis
accipit et molli subnectens circulus auro.
te quoque magnanimae uiderunt, Ismare, gentes
uulnera derigere et calamos armare ueneno,
Maeonia generose domo, ubi pinguia culta
exercentque uiri Pactolusque inrigat auro.
adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
aggere moerorum sublimem gloria tollit,
et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
    Illi inter sese duri certamina belli
contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
namque ut ab Euandro castris ingressus Etruscis
regem adit et regi memorat nomenque genusque,
quidue petat quidue ipse ferat, Mezentius arma
quae sibi conciliet, uiolentaque pectora Turni
edocet, humanis quae sit fiducia rebus
admonet immiscetque preces; haud fit mora: Tarchon
iungit opes foedusque ferit; tum libera fati

MPR

129 clytio] lycio **P** (*corr.* **P**[2]) menestheo **dehjn**, *probat Seru.* : mnestheo **MPRωγ**, *Macrob. 5, 17, 19, Tib.* (*utrumque codd. Prisc. 7, 14*) **136** orycia **MPikx** : oryci **Ra** : corycia **M**[A]**P**[1]**fgzγ**; oricia *testatur Seru.* **137** ceruix fusos **Pcyγ** **138** subnectit **Mn** **139** magna(a)nime **M** (*in* -mae *corr.* **M**[A]) **γ** **140** dirigere **Mω** (*praeter* **a**) **γ**[1], *Seru., Tib.* **141** ubi] cui *recc.* : tibi *Harrison* («*SO*» *80, 2005, 39 sq.*), *post 140* ueneno *fortius distinguens* **143** pulsi quem *Cunningham* **144** moerorum **Mdhikt**, *Diom. 440, 13* : murorum **P**[2] (meorum **P**) **Rωγ**, *Tib.*; *cf. u. 24* **150** quidue ipse ferat] aut quidue ferat **P**[1] *in ras.* (*ex* quidue ipse ferat *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**[1]) : quidue ferat quidue ipse petat *Char. 280, 21* **154** fatis **n**, *Seru.*

classem conscendit iussis gens Lydia diuum,
externo commissa duci. Aeneia puppis
prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones,
imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
hic magnus sedet Aeneas secumque uolutat
euentus belli uarios, Pallasque sinistro
adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae
noctis iter, iam quae passus terraque marique.
    Pandite nunc Helicona, deae, cantusque mouete,
quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean armetque rates pelagoque uehatur.
    Massicus aerata princeps secat aequora Tigri,
sub quo mille manus iuuenum, qui moenia Clusi
quique urbem liquere Cosas, quis tela sagittae
gorytique leues umeris et letifer arcus.
una toruus Abas: huic totum insignibus armis
agmen et aurato fulgebat Apolline puppis.
sescentos illi dederat Populonia mater
expertos belli iuuenes, ast Ilua trecentos
insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
tertius ille hominum diuumque interpres Asilas,
cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent
et linguae uolucrum et praesagi fulminis ignes,
mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
urbs Etrusca solo. sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et uersicoloribus armis.
ter centum adiciunt (mens omnibus una sequendi)

MPR

163 monete **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$); *cf. Aen. 7, 641* **168** cosam **P** (*corr.* $\mathbf{P}^2$) : cossas **R** : cossa $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **169** corythique **P** : corytique **Ra**, *Non. 556, 22, Seru., Tib.* **173–174** trecentos *dist.* $\mathbf{P}^2$, *Probus ap. DSeru.* («*ut* insula *sequentibus iungatur*»), *Tib.* : insula *dist.* $\mathbf{M}^A$ **178** hastis **MR**$\boldsymbol{\omega\gamma}^1$, *Tib.* : armis **Pcekuvxy**$\boldsymbol{\gamma}$ (*cf. uu. 170 et 181*) **179** alph(a)eae **PR**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Seru.* : alphea **Mbefhijkrt**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Prisc. 2, 45* (alphia *Tib.*) **180** astur **PR**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Seru. ad Aen. 9, 774, DSeru., Tib., Gramm.* : astyr **Mg**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Diom. 445, 9* : astor *Char. 281, 13* **181** astur **P**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Seru. ad Aen. 9, 774, Tib., Gramm.* : astyr **MRa**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Diom.*

qui Caerete domo, qui sunt Minionis in aruis,
et Pyrgi ueteres intempestaeque Grauiscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
transierim, Cunere, et paucis comitate Cupauo,
cuius olorinae surgunt de uertice pinnae,
crimen, Amor, uestrum formaeque insigne paternae.
namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
populeas inter frondes umbramque sororum
dum canit et maestum Musa solatur amorem,
canentem molli pluma duxisse senectam,
linquentem terras et sidera uoce sequentem.
filius aequalis comitatus classe cateruas
ingentem remis Centaurum promouet: ille
instat aquae saxumque undis immane minatur
arduus et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua diues auis, sed non genus omnibus unum:
gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
ipsa caput populis, Tusco de sanguine uires.
hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
quos patre Benaco uelatus harundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
it grauis Aulestes centenaque arbore fluctum
uerberat adsurgens, spumant uada marmore uerso:

MPR 183 *redit* **V** 208 *desinit* **V**

186 cunere *Timpanaro* (*Contrib. di filol. e di stor. della ling. lat., Roma 1978, 309 sq.*), *Ribbeck auctore* : cunare *DSeru.* : cinyrae **M** : cinerae **P**^{1} *in ras.* (*ex* cunerae *fide Sabb. et Geym.*) : cumarre **R** (-are **a**) : cinire **Vωγ**^{1}, *ps. Acro ad Hor. carm. 4, 9, 30* (cinyre **V**^{2}, cynire *Tib.*) : cinere **ceguvγ** **188** crimen – paternae *secl. Heyne;* olorinae ... pinnae *Cycni patris pulchritudinem commemorant et Amorem accusant quippe auctorem culpae* (uestrum *i.q.* *'tuum'*) **194** aequali **M** (*corr.* **M**^{A}) **199** mantos **cenuvγ**^{1} (mantus *ut genetiuum Graecum testantur Seru., Gramm.*) **202** illis **V** populi triplex **Raeuv** (*ord. rest.* **R**^{x}) **203** populi **Ran** **207** fluctum **MPVωγ**, *DSeru.*, *Prisc. 2, 53 et fig. num. 414, 7* : fluctus **Raberuv**, *Tib.*

hunc uehit immanis Triton et caerula concha
exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti
frons hominem praefert, in pristim desinit aluus,
spumea semifero sub pectore murmurat unda.
tot lecti proceres ter denis nauibus ibant
subsidio Troiae et campos salis aere secabant.
    Iamque dies caelo concesserat almaque curru
noctiuago Phoebe medium pulsabat Olympum;
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
ipse sedens clauumque regit uelisque ministrat
⟨. . . . .⟩
atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
occurrit comitum: nymphae, quas alma Cybebe
numen habere maris nymphasque e nauibus esse
iusserat, innabant pariter fluctusque secabant,
quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
agnoscunt longe regem lustrantque choreis;
quarum quae fandi doctissima Cymodocea
pone sequens dextra puppim tenet ipsaque dorso
eminet ac laeua tacitis subremigat undis.
tum sic ignarum adloquitur: ‘uigilasne, deum gens,
Aenea? uigila et uelis immitte rudentis.
nos sumus, Idaeae sacro de uertice pinus,
nunc pelagi nymphae, classis tua. perfidus ut nos
praecipitis ferro Rutulus flammaque premebat,
rupimus inuitae tua uincula teque per aequor
quaerimus; hanc genetrix faciem miserata refecit

MPR

211 pristin **Pγ**   *ante* **219** *lac. statuit Dionisotti* («*BICS*» *50, 2007, 85 n. 32*); *nulla enim mentio fit de Aeneae ipsa naui ad quam referantur uerba* illi (*scil.* ‘*naui*’) *et* suarum … comitum (*i.e.* ‘*nympharum quae olim Troianae naues fuerant*’). *Aliqua periisse puto his similia:* ⟨it nauis uento celeris placida aequora sulcans⟩ **220** cybere **R** : cybele **ω** (*praeter* **ak?rt**)   **221** nomen **Pγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$)   e *om.* **Raeu**   **222** adnabant *Probus 185, 14*   **223** quot $\mathbf{P\omega\gamma}^1$, *Velius 70, 3, Seru.* : quod $\mathbf{M}^A$ (quo **M**) **Raefg**, *Tib.* : quae $\mathbf{P}^2\boldsymbol{\gamma}$ prorae] puppis (*cf. Aen. 8, 497 al.*) **M** (*corr.* $\mathbf{M}^A$) : naues *Velius 70, 3*   **227** ac] at **M** (*corr.* $\mathbf{M}^A$)   **228–229** Aenea *dist. Tib.* : deum gens *dist. Seru. ad Aen. 2, 148*   **233** rumpimus *Non. 382, 23, DSeru.*

et dedit esse deas aeuumque agitare sub undis.
at puer Ascanius muro fossisque tenetur
tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
iam loca iussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques; medias illis opponere turmas,
ne castris iungant, certa est sententia Turno.
surge age et Aurora socios ueniente uocari
primus in arma iube et clipeum cape, quem dedit ipse
inuictum ignipotens atque oras ambiit auro:
crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
ingentis Rutulae spectabit caedis aceruos.'
dixerat et dextra discedens impulit altam
haud ignara modi puppim: fugit illa per undas
ocior et iaculo et uentos aequante sagitta;
inde aliae celerant cursus. stupet inscius ipse
Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit.
tum breuiter supera aspectans conuexa precatur:
'alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi
turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones,
tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
augurium Phrygibusque adsis pede, diua, secundo.'
tantum effatus, et interea reuoluta ruebat
matura iam luce dies noctemque fugarat;
principio sociis edicit signa sequantur
atque animos aptent armis pugnaeque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
stans celsa in puppi, clipeum cum deinde sinistra

MPR 235 *redit* **V** 261 *desinit* **V**

237 *u. om.* **V** horrentis] ardentis **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **238** tenent **MV**, *Seru.* : tenet **PRωγ**, *DSeru.*, *Tib.* (*utrumque codd. Seru. ad Aen. 8, 547*) **242** ipse **MPRV**^{2}**ωγ**, *Tib.* : igni **V**, *Haterianus ap. schol. Ver.* : ingens **cdehituv** (*cf. Aen. 9, 709*) **245** spectabit **Rωγ**^{1}, «*uera lectio*» *iudice Seru.*, *Tib. in interpr.* : spectabis **MPVf?hrγ** (-as **g**), *Don. ad Ter. Hec. 286*, *Longus ap. DSeru.*, «*male quidam*» *ap. Seru.*, *Tib. in lemm.*; *utrumque agnoscit DSeru.* **246** discendens **Ra** **251** supera **M**^{2}**Rωγ**^{1}, *DSeru.*, *Tib.* : super **MPVdhtxzγ**; *cf. Aen. 6, 241 et 750* **256** ruebant **M** (*corr.* **M**^{x}) : rubebat **P**^{1}**γ** (*corr.* **γ**^{1}) **261–262** *post* puppi *fortius*, *post* ardentem *leuius dist. Ribbeck*

extulit ardentem. clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris, spes addita suscitat iras,
tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant
cum sonitu fugiuntque Notos clamore secundo.
at Rutulo regi ducibusque ea mira uideri
Ausoniis, donec uersas ad litora puppes
respiciunt totumque adlabi classibus aequor.
ardet apex capiti tristisque a uertice flamma
funditur et uastos umbo uomit aureus ignis:
non secus ac liquida si quando nocte cometae
sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor
ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris
nascitur et laeuo contristat lumine caelum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
litora praecipere et uenientis pellere terra.
[ultro animos tollit dictis atque increpat ultro:]
'quod uotis optastis adest, perfringere dextra.
in manibus Mars ipse, uiri! nunc coniugis esto
quisque suae tectique memor, nunc magna referto
facta, patrum laudes. ultro occurramus ad undam
dum trepidi egressisque labant uestigia prima.
audentis Fortuna iuuat.'
haec ait et secum uersat quos ducere contra

MPR

263 e *om.* **Rabc** **270** capitis **Ra**, *Macrob. 5, 10, 2* (*sed* capiti *idem 5, 13, 35*) tristisque *Faernus* (*sic etiam codd. Tib. in lemm.*); *animaduerte in congruenti comparatione 273* lugubre *et 275* laeuo contristat lumine (*cf. etiam Aen. 7, 787*) : cristisque *codd.*, *Non. 240, 28 et 313, 10*, *Macrob. 5, 10, 2 et 5, 13, 35*, *DSeru.* a **Mdinu**, *Non.*, *Tib.* : ac **PRωγ**, *Macrob.*, *DSeru.* **271** aereus **M**, *Macrob. 5, 13, 35* (*sed* aureus *idem 5, 10, 2*) **276** at non audaci *Seru. ad u. 270* (*ex Aen. 9, 126*) **278** (= *Aen. 9, 127*) *om.* **MPdfghiknrtγ**, *Seru.*, *Tib.* : *habent* **Rωγ**^{1} **280** uiri **Raev**, *DSeru. ad u. 773* : uiris **MPωγ**, *Tib.*; *acrior est Turni incitatio si uiros ipsos compellat* (*279* optastis; *cf. u. 737*; *Aen. 2, 668*; *9, 158*; *11, 14 et alibi*) **281** referto **MRωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : referte **Pγ** **282** facta *dist.* **M**^{A}**P**^{2}; «facta patrum *alii hic distinguunt … alii distinguunt* referto facta» *Seru.* **283** egressisque **MP** : egressique **M**^{x}**P**^{x}**Rωγ**, *Tib.*; *utrumque agnoscit DSeru. ut uid.* **284** piger ipse sibi obstat *supplet Sen. ep. 94, 28*

uel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
pontibus exponit. multi seruare recursus
languentis pelagi et breuibus se credere saltu,
per remos alii. speculatus litora Tarchon,
qua uada non spirant nec fracta remurmurat unda,
sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu,
aduertit subito proram sociosque precatur:
'nunc, o lecta manus, ualidis incumbite remis;
tollite, ferte rates, inimicam findite rostris
hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
frangere nec tali puppim statione recuso
arrepta tellure semel.' quae talia postquam
effatus Tarchon, socii consurgere tonsis
spumantisque rates aruis inferre Latinis,
donec rostra tenent siccum et sedere carinae
omnes innocuae, sed non puppis tua, Tarchon:
namque inflicta uadis, dorso dum pendet iniquo
anceps sustentata diu fluctusque fatigat,
soluitur atque uiros mediis exponit in undis;
fragmina remorum quos et fluitantia transtra
impediunt retrahitque pedes simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer
totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.
signa canunt. primus turmas inuasit agrestis
Aeneas, omen pugnae, strauitque Latinos
occiso Therone, uirum qui maximus ultro
Aenean petit: huic gladio perque aerea suta,
per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.

MPR

291 spirant **Mbt**, *Seru. ad georg. 1, 327*; *cf. Auson. Mos. 35* (*uada quasi anhelitum frementem ducunt, et dicolon abundans est: nam alterum hemistichium duplicat sensum prioris*) : sperat **PRωγ** (*def.* **d**), *DSeru.*, *Tib.*; *utrumque agnoscit hic Seru.* (*qui* sperat *praefert*) **293** proram **M**$^{A?}$**j** : proras **MPωγ**, *Tib.* : prora **Ra** (*def.* **d**) **297** puppim **Mωγ**^{1}, *Tib.* : puppes **PRaejnvxyγ** (puppis **c**) **302** innocue **Mγ** (*corr.* **M**^{A}) **303** uadis **MP**^{2}**Rωγ**, *GLK V, 573, 6, Tib.* : uadi **P**, *Probus ap. DSeru.* **307** pedem **M**^{A}, *Tib.*

inde Lichan ferit exsectum iam matre perempta
et tibi, Phoebe, sacrum: casus euadere ferri
quo licuit paruo? nec longe Cissea durum
immanemque Gyan sternentis agmina claua
deiecit leto: nihil illos Herculis arma
nec ualidae iuuere manus genitorque Melampus,
Alcidae comes usque grauis dum terra labores
praebuit. ecce Pharo, uoces dum iactat inertis,
intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
tu quoque, flauentem prima lanugine malas
dum sequeris Clytium infelix, noua gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum
qui iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres,
ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci
progenies, septem numero, septenaque tela
coniciunt; partim galea clipeoque resultant
inrita, deflexit partim stringentia corpus
alma Venus. fidum Aeneas adfatur Achaten:
'suggere tela mihi: non ullum dextera frustra
torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
Iliacis campis.' tum magnam corripit hastam
et iacit: illa uolans clipei transuerberat aera
Maeonis et thoraca simul cum pectore rumpit.
huic frater subit Alcanor fratremque ruentem
sustentat dextra: traiecto missa lacerto
protinus hasta fugit seruatque cruenta tenorem,
dexteraque ex umero neruis moribunda pependit.
tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto

MPR

317 quo **P**^{x}**γ** (*cf. Aen. 11, 735 et 12, 879*) : quod **MPωγ**^{1}, *Tib. in lemm.* : cui **Ra**, *Tib. in interpr.*; quod *et* cui *agnoscit DSeru.* **321** dum] cum **M** (*corr.* **M**^{A}) **322** pharo **MP**^{x}**Rωγ**, *Non. 328, 10, Tib. in interpr.* (*pro nominatiuo*) : pharon **M**^{A}**Pikxγ**^{1}, *Tib. in lemm.*; *utrumque agnoscit Seru.* inertis] inanes *Seru. ad Aen. 1, 102* **323** clamanti **Rω**, *Seru.* : clamantis **MPcdhjtxzγ**, *Tib.* **334** steterunt **M**^{A}**PRωγ**, *DSeru., Tib., Cassiod. inst. 2, 3, 15, Isid. 2, 30, 7* : steterint **M** : steterant **cdefghivzγ**^{1} quae **MPcfghxz**, *Seru., Tib., Isid.* : que **M**^{x}**Rωγ**, *Cassiod., agnoscit DSeru.* **337** rupit **Ra**

Aenean petiit; sed non et figere contra
est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus fidens primaeuo corpore Clausus
aduenit et rigida Dryopem ferit eminus hasta
sub mentum grauiter pressa, pariterque loquentis
uocem animamque rapit traiecto gutture; at ille
fronte ferit terram et crassum uomit ore cruorem.
tris quoque Threicios Boreae de gente suprema
et tris quos Idas pater et patria Ismara mittit,
per uarios sternit casus. accurrit Halaesus
Auruncaeque manus, subit et Neptunia proles,
insignis Messapus equis. expellere tendunt
nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniae. magno discordes aethere uenti
proelia ceu tollunt animis et uiribus aequis
(non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit;
anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra):
haud aliter Troianae acies aciesque Latinae
concurrunt, haeret pede pes densusque uiro uir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestris
ut uidit Pallas Latio dare terga sequaci

MPR

343 petiit **ω** : petit **MPRafgnrvγ**, *Tib.* et figere **MPR**[1?] *in ras.* (*ex* effigere *ut uid.*) **ωγ**, *Tib.* : effigere **cefgivxyz** **345** clausus **M**[A] (*correctionem renouauit man. al.*) **bgijx**, *Seru.*, *Tib.* : lausus **M**[1] (laurus **M**) **PRωγ** **349** ferit **MRωγ**[1], *Tib.* : premit **Pefguvxyzγ** **350** tris **MR** : tres **P**, *Gell. 13, 21, 10* (*qui somniare uidetur: «nam et* tres *et* tris *posuit eodem in loco ea iudicii subtilitate ut si aliter dixeris … sentias suauitatem sonitus claudere*») **352** occurrit **ω** (*praeter* **ac**), *Tib.*; *cf. Aen. 5, 36 et 451* **358** cedunt **M** (*corr.* **M**[A]) **359** obnixi *Arus. 496, 9, agnoscit Seru.* **363** impulerat **M** (*cf. Hom. Il. 13, 137 sq.*) : intulerat **PRωγ**, *GLK VII, 351, 23, DSeru.*, *Tib.*

(aspera quis natura loci dimittere quando
suasit equos), unum quod rebus restat egenis,
nunc prece, nunc dictis uirtutem accendit amaris:
‘quo fugitis, socii? per uos et fortia facta,
per ducis Euandri nomen deuictaque bella
spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
fidite ne pedibus: ferro rumpenda per hostis
est uia. qua globus ille uirum densissimus urget,
hac uos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoste
mortales; totidem nobis animaeque manusque.
ecce maris magna claudit nos obice pontus,
deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petamus?’
haec ait et medius densos prorumpit in hostis.
    Obuius huic primum, fatis adductus iniquis,
fit Lagus. hunc, magno uellit dum pondere saxum,
intorto figit telo, discrimina costis
per medium qua spina dabat, hastamque receptat
ossibus haerentem; quem non super occupat Hisbo,
ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem,
dum furit incautus crudeli morte sodalis,
excipit atque ensem tumido in pulmone recondit.
hinc Sthenium petit et Rhoeti de gente uetusta
Anchemolum thalamos ausum incestare nouercae.

MPR

366 quis **MRωγ**^{1}, *Tib.*, *Prisc. 15, 29 et 17, 47* : quos **Pγ** : equos **P**$^{1?}$: aquis *frustra coniecit Madvig*; *incorrupta et expedita currit oratio: nam uersus sententiam causalem enuntiat* (quando) *quae superioribus cohaeret per coniunctionem relatiuam* (quis *i.e. ‘Arcadibus’*), *qua de re uide Hofmann-Szantyr § 308, Kühner-Stegmann II.2, § 197. Vide Conte, ‘Critical Notes’, 51–52; Id., 2017a, «MD» 79, 206–208* demittere **Raj** **377** magna] magno «*quidam*», magni «*nonnulli*» *ap. Seru.* **378** petamus **M**^{A}**PRaekuvxyγ**, *Tib.* : petemus **Mωγ**^{1} **381** magno uellit **Mnr**, *Tib.* : uellit magno **P**^{1} (u. magnu **P**) **Rωγ** **383** dabat **MPbγ** : dedit **Rωγ**^{1}, *Tib.* **384** occubat **M** hisbo **M** : hisbon **PR**, *Tib.* **386** incautus *Bentley* : incautum *codd.*, *Tib.*; *duplicis accusatiui coaceruatio displicet* (ruentem … incautum … excipit) **388** sthenium **MPainγ**^{1} (sten- **γ**), *DSeru.*, *Tib.* : sthenlum **R** : sthelenum **ω** : sthenelum *recc.* (*cf. Aen. 2, 261 et 12, 341*)

uos etiam, gemini, Rutulis cecidistis in aruis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
indiscreta suis gratusque parentibus error;
at nunc dura dedit uobis discrimina Pallas.
nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis;
te decisa suum, Laride, dextera quaerit
semianimesque micant digiti ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu et praeclara tuentis
facta uiri mixtus dolor et pudor armat in hostis.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
traicit. hoc spatium tantumque morae fuit Ilo:
Ilo namque procul ualidam derexerat hastam,
quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
te fugiens fratremque Tyren, curruque uolutus
caedit semianimis Rutulorum calcibus arua.
ac uelut optato uentis aestate coortis
dispersa immittit siluis incendia pastor
(correptis subito mediis extenditur una
horrida per latos acies Volcania campos,
ille sedens uictor flammas despectat ouantis):
non aliter socium uirtus coit omnis in unum
teque iuuat, Palla. sed bellis acer Halaesus
tendit in aduersos seque in sua colligit arma.
hic mactat Ladona Pheretaque Demodocumque,
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
elatam in iugulum, saxo ferit ora Thoantis
ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
fata canens siluis genitor celarat Halaesum;
ut senior leto canentia lumina soluit,
iniecere manum Parcae telisque sacrarunt
Euandri. quem sic Pallas petit ante precatus:

MPR

390 aruis **MRωγ**^{1}, *Tib.* (*cf. u. 404*) : agris **Pnrxyzγ** **398** pudor] furor **R** **401** derexerat **MR** : dir- **M**^{x}**Pωγ**, *Tib.* **405** coortis **degjrtvxy**, *Tib.* : cohortis **MPRωγ** **410** uirtus socium **aeuv** **411** pallas **Pb** (*corr.* **P**^{x}), *Tib.*; *cf. Aen. 11, 97 et 152* **417** canens] canent **Pγ** (*corr.* **P**^{2}**γ**^{1}) : cauens «*alii*» *ap. Seru.*, *Tib.*

'da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
fortunam atque uiam duri per pectus Halaesi.
haec arma exuuiasque uiri tua quercus habebit.'
audiit illa deus: dum texit Imaona Halaesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede uiri tanta perterrita Lausus,
pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.
sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci
et uos, o Grais imperdita corpora, Teucri.
agmina concurrunt ducibusque et uiribus aequis;
extremi addensent acies nec turba moueri
tela manusque sinit. hinc Pallas instat et urget,
hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
egregii forma, sed quis Fortuna negarat
in patriam reditus. ipsos concurrere passus
haud tamen inter se magni regnator Olympi:
mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
Interea soror alma monet succedere Lauso
Turnum, qui uolucri curru medium secat agmen.
ut uidit socios: 'tempus desistere pugnae;
solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.'
haec ait, et socii cesserunt aequore iusso.
at Rutulum abscessu iuuenis tum iussa superba
miratus stupet in Turno corpusque per ingens
lumina uoluit obitque truci procul omnia uisu
talibus et dictis it contra dicta tyranni:

MPR 436–439 *perierunt in* **P**

421 thybre **P¹** *ut uid.* (-bri **P**) **Rj** : tymbre *Prob. 236, 2* **428** interimit **ω** : interemit **MPRbdfgjxzγ**, *Tib.* **432** addensent **Pi**, *Seru.*, *Prisc. 8, 95 et 9, 43* : addensant **MP²Rωγ**, *Tib.*; *cf. Aen. 11, 650 et 12, 264* **439** succurrere **dgt** (*cf. u. 512*) **441** pugna **Ra**, *Tib.* (*cf. Aen. 9, 789*) **444** iusso *codd.*, *Macrob. 6, 6, 3* («*pro eo quod 'iussi cesserunt'*»), *Seru.* («*pro 'ipsi iussi' … satis licenter dictum est*»), *Tib.* (*cf. u. 238, Aen. 3, 547 et georg. 4, 62*) : iussi *ed. Aldina* (*aegre reicio, cf. Aen. 5, 834 et 7, 156*) **445** iussa] dicta **aenuv** **446** miratus **Mhinuγ** : miratur **PRωγ¹**, *Seru. ad Aen. 11, 15*, *Tib.*

‘aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis
aut leto insigni: sorti pater aequus utrique est.
tolle minas.’ fatus medium procedit in aequor;
frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
desiluit Turnus biiugis, pedes apparat ire
comminus; utque leo, specula cum uidit ab alta
stare procul campis meditantem in proelia taurum,
aduolat: haud alia est Turni uenientis imago.
hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
ire prior Pallas, si qua fors adiuuet ausum
uiribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
‘per patris hospitium et mensas, quas aduena adisti,
te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
cernat semineci sibi me rapere arma cruenta
uictoremque ferant morientia lumina Turni.’
audiit Alcides iuuenem magnumque sub imo
corde premit gemitum lacrimasque effundit inanis.
tum genitor natum dictis adfatur amicis:
‘stat sua cuique dies, breue et inreparabile tempus
omnibus est uitae; sed famam extendere factis,
hoc uirtutis opus. Troiae sub moenibus altis
tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies; etiam sua Turnum
fata uocant metasque dati peruenit ad aeui.’
sic ait atque oculos Rutulorum reicit aruis.
    At Pallas magnis emittit uiribus hastam
uaginaque caua fulgentem deripit ensem.
illa uolans umeri surgunt qua tegmina summa
incidit atque uiam clipei molita per oras
tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.

MPR 459 *desinit* **P**, *subditur* **γ**

453 destiluit **P** (*corr.* **P**^{x}) : dissiluit **cdhtz** (disil- **fgx**) **455** in **MRaeruv**, *Non. 434, 16, Tib. in lemm.* (*cf. Sil. 17, 438*) : *om.* **Pωγ**, *Tib. in interpr.* **458** adiuuat **M** (*corr.* **M**^{1} *uel* **M**^{A}); *periit in* **P** ausus *Madvig* (*post* adiuuet *distinguens*) **465** effudit **γcnxyz** **471** etiam] et iam «*multi*» *ap. Seru.* **475** deripit **γRaeikuxyz**, *DSeru.* : diripit **Mγ**^{1}**ω**, *Seru.*, *Tib.* **476** summa] prima **Rb** **477** clipei est **M** (est *exp.* **M**^{x}, *punctis postea erasis*)

hic Turnus ferro praefixum robur acuto
in Pallanta diu librans iacit atque ita fatur:
'aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.'
dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
quem pellis totiens obeat circumdata tauri,
uibranti cuspis medium transuerberat ictu
loricaeque moras et pectus perforat ingens.
ille rapit calidum frustra de uulnere telum:
una eademque uia sanguis animusque sequuntur.
corruit in uulnus (sonitum super arma dedere)
et terram hostilem moriens petit ore cruento.
quem Turnus super adsistens:
'Arcades, haec' inquit 'memores mea dicta referte
Euandro: qualem meruit, Pallanta remitto.
quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
largior. haud illi stabunt Aeneia paruo
hospitia.' et laeuo pressit pede talia fatus
exanimem rapiens immania pondera baltei
impressumque nefas: una sub nocte iugali
caesa manus iuuenum foede thalamique cruenti,
quae Clonus Eurytides multo caelauerat auro;
quo nunc Turnus ouat spolio gaudetque potitus.
nescia mens hominum fati sortisque futurae
et seruare modum rebus sublata secundis!
Turno tempus erit magno cum optauerit emptum
intactum Pallanta et cum spolia ista diemque
oderit. at socii multo gemitu lacrimisque

MγR

481 aspice num] aspices ut **M** (*corr.* **M**[A]) num] nunc *Diom. 441, 33, Seru.* magi sit **R**, *Char. 278, 23* : magis sit **γ**[1] : magis est **a**, *agnoscit Seru.* (*adseueranter a Turno dictum, non percontatiue*) **483** *secl. Ribbeck* quem **Mγ** : cum **M**[A] (*correctio postea erasa*) **Rω**, *DSeru., Tib.* **484** cuspis medium **Mγ**[1]**ω**, *Tib.* : medium cuspis **γRb** **485** perforat *dist.* **M**[x], *Seru.* (*qui* ingens *ad superiora, i.e. ad* cuspis, *referre uult*) **486** uulnere **Mγ**[1]**ω**, *Tib.* (*cf. Sil. 17, 139*) : corpore **γ** (*cf. u. 744*) : pectore **Rb** **490** sic ore profatur *supplet* **R** **492** Euandro *dist.* **M**[x], *Non. 344, 22, Tib.*; «*potest et hic distingui, potest et supra* referte» *Seru.*

impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
o dolor atque decus magnum rediture parenti,
haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
cum tamen ingentis Rutulorum linquis aceruos!
Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
aduolat Aeneae tenui discrimine leti
esse suos, tempus uersis succurrere Teucris.
proxima quaeque metit gladio latumque per agmen
ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum
caede noua quaerens. Pallas, Euander, in ipsis
omnia sunt oculis, mensae quas aduena primas
tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
uiuentis rapit, inferias quos immolet umbris
captiuoque rogi perfundat sanguine flammas.
inde Mago procul infensam contenderat hastam:
ille astu subit, at tremibunda superuolat hasta,
et genua amplectens effatur talia supplex:
'per patrios manis et spes surgentis Iuli
te precor, hanc animam serues gnatoque patrique.
est domus alta, iacent penitus defossa talenta
caelati argenti, sunt auri pondera facti
infectique mihi. non hic uictoria Teucrum
uertitur aut anima una dabit discrimina tanta.'
dixerat; Aeneas contra cui talia reddit:

MγR 509 *redit* **P**

506 scuto] clipeo *Seru. ad u. 841* **510** iam] tam **R** **512** uersis tempus **P**^{1} (ursis t. **P**) **γ**, *Tib. in interpr.* succedere **R** (*cf. u. 439*) **515** Euandrus *Bentley* **516** primum **Ra** : primus **bdfghtxyz**, *Tib. in lemm.* (*sed* primas *in interpr.*) : primis **c** **520** perfundant **M** **521** infensam **Mωγ**^{1}, *Tib.* (*cf. Aen. 9, 793*) : infestam **PRγ**, *Macrob. 5, 2, 16* (*cf. u. 877*) contenderat **M**^{A}**P**$^{(1)}$ (a *in ras., corr. ex* t *fide Sabb. et Geym.*) **ωγ** (-eret **Mizγ**^{1}), *Macrob.*, *DSeru.*, *Tib.* : contorserat **R**; *cf. Aen. 5, 520* **522** at **PRωγ**, *Tib. in interpr.* : in **M** (*quod prius fortasse in* en, *dein in* et, *dein in* at *corr.* **M**^{A}, *addens postremo etiam uariam lect.* ac) : ac **bγ**^{1}, *Tib. in lemm.* **523** et] en **M** (*corr.* **M**^{1} *uel* **M**^{A}) **524** et] per **γ**^{1}, *Don. ad Ter. Ad. 181*, *GLK IV, 535, 19*, *Macrob. 5, 10, 5* (*ex Aen. 6, 364*) surgentis] heredis **P**^{1} *in ras.* (*ex* surgentis *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}); *cf. Aen. 4, 274* **529** aut] haud **cdfghiuxz** (aud **t**)

‘argenti atque auri memoras quae multa talenta
gnatis parce tuis. belli commercia Turnus
sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.
hoc patris Anchisae manes, hoc sentit Iulus.’
sic fatus galeam laeua tenet atque reflexa
ceruice orantis capulo tenus applicat ensem.
nec procul Haemonides, Phoebi Triuiaeque sacerdos,
infula cui sacra redimibat tempora uitta,
totus conlucens ueste atque insignibus albis.
quem congressus agit campo lapsumque superstans
immolat ingentique umbra tegit; arma Serestus
lecta refert umeris tibi, rex Gradiue, tropaeum.
    Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Caeculus et ueniens Marsorum montibus Vmbro.
Dardanides contra furit: Anxuris ense sinistram
et totum clipei terrae deiecerat orbem
(dixerat ille aliquid magnum uimque adfore uerbo
crediderat, caeloque animum fortasse ferebat
canitiemque sibi et longos promiserat annos);
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
siluicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
obuius ardenti sese obtulit. ille reducta
loricam clipeique ingens onus impedit hasta,
tum caput orantis nequiquam et multa parantis
dicere deturbat terrae truncumque tepentem
prouoluens super haec inimico pectore fatur:
‘istic nunc, metuende, iace. non te optima mater

MPR 549 *redit* **V**

531 multa] magna **aeuv**, *Macrob. 5, 10, 5* (*cf. Aen. 9, 265*) **533** illa **M** **536** orantis **MP**$^{2?}$**Rωγ**, *Macrob. 5, 10, 5*, *Tib.* : oranti **Pb** applicat] abdidit *Macrob.*, *Tib.* (*ex Aen. 2, 553*) **539** albis *Probus ap. Seru.* : armis **MP**^{1} *in ras.* (*ex* albis *fide Sabb. et Geym.*) **Rωγ**, *Asper ap. Seru.*, *Tib.* (*cf. uu. 170 et 550*) **543** instaurat **M** (*corr.* **M**^{A}) **544** ex montibus **a**^{2}**cev** (et montibus **ju**) **545** ense] ecce *Axt cl. u. 570, prob. Timpanaro* (*Nuovi contrib. di filol. e storia della lingua lat.*, *Bologna 1994*, *281–290*) **546** terrae *Jasper* (*cf. u. 555* caput … deturbat terrae) : ferro *codd.*, *Tib.* **547** uerbo] bello **R** **548** animam **dt** **555** deturpat **M**^{A}

condet humi patrioque onerabit membra sepulcro:
alitibus linquere feris aut gurgite mersum
unda feret piscesque impasti uulnera lambent.'
protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,
persequitur, fortemque Numam fuluumque Camertem,
magnanimo Volcente satum, ditissimus agri
qui fuit Ausonidum et tacitis regnauit Amyclis.
Aegaeon qualis, centum cui bracchia dicunt
centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
pectoribusque arsisse, Iouis cum fulmina contra
tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis:
sic toto Aeneas desaeuit in aequore uictor,
ut semel intepuit mucro. quin ecce Niphaei
quadriiugis in equos aduersaque pectora tendit.
atque illi longe gradientem et dira frementem
ut uidere, metu uersi retroque ruentes
effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus.
    Interea biiugis infert se Lucagus albis
in medios fraterque Liger; sed frater habenis
flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
haud tulit Aeneas tanto feruore furentis;
inruit aduersaque ingens apparuit hasta.
cui Liger:
'non Diomedis equos nec currum cernis Achilli
aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aeui
his dabitur terris.' uesano talia late
dicta uolant Ligeri. sed non et Troius heros

MPRV 574 *desinit* **V**

558 humo (*cf. Aen. 9, 214*) **M**^{A} (*euanuit in* **V**) patrioque **Mfg** : patrioue **P** (*ut uid. ex orig.*, patrique **P**$^{2?}$) **Rωγ**, *Tib.* (*euanuit in* **V**) **561** antaeum **P** (*in ras.*) **V**, *Tib.* : antheum **M**^{A} (antheus **M**) : anthaeum **P**^{1}**R** lucan **PV** **562** numan **MP**$^{(1)}$ (*in ras., ex* numam *fide Sabb. et Geym.*) **566** igne **M** (*corr.* **M**^{A}, m *renouauit* **M**^{2}) **567** arsisse *dist.* **M**^{x}, *Seru.*, *DSeru.* : Iouis *dist.* **P**^{2}; *utramque distinctionem agnoscunt schol. Ver.* **569** aequore] agmine **aeuv** **572** et] ac **M** (*corr.* **M**^{A}) **574** in litore **dht** (ad litore **γ**, *corr.* **γ**^{1}) currus **MPVωγ**, *Tib.* : currum **Raceruv** **575** bigis **Prγ** (*corr.* **γ**^{1}) **581** currus **cy**, *Tib. in interpr.*

dicta parat contra, iaculum nam torquet in hostis.
Lucagus ut pronus pendens in uerbera telo
admonuit biiugos, proiecto dum pede laeuo
aptat se pugnae, subit oras hasta per imas
fulgentis clipei, tum laeuum perforat inguen:
excussus curru moribundus uoluitur aruis.
quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
'Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
prodidit aut uanae uertere ex hostibus umbrae:
ipse rotis saliens iuga deseris.' haec ita fatus
arripuit biiugos; frater tendebat inertis
infelix palmas curru delapsus eodem:
'per te, per qui te talem genuere parentes,
uir Troiane, sine hanc animam et miserere precantis.'
pluribus oranti Aeneas: 'haud talia dudum
dicta dabas; morere et fratrem ne desere frater.'
tum latebras animae pectus mucrone recludit.
talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae uel turbinis atri
more furens. tandem erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer et nequiquam obsessa iuuentus.
  Iunonem interea compellat Iuppiter ultro:
'o germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes, non uiuida bello
dextra uiris animusque ferox patiensque pericli.'
cui Iuno summissa: 'quid, o pulcherrime coniunx,
sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?
si mihi, quae quondam fuerat quamque esse decebat,
uis in amore foret, non hoc mihi namque negares,
omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum
et Dauno possem incolumem seruare parenti.

MPR

585 hostis **PRω** (-tes **P**$^{1?}$**γ**), *Tib.* : hostem **Mbn** **587** traiecto **M** **588** aptet **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **595** abripuit **dt** inermis **P?** (*corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) **γ**^{1} **602** uictor **cdhiktyγ**^{1} (*cf. Aen. 12, 383*) : doctor **aγ** (*corr.* **γ**^{2}) **604** fremens **R** **612** dicta] iussa **M** (*cf. Aen. 9, 804*) **615** turnum subducere pugnae **aeuv**

nunc pereat Teucrisque pio det sanguine poenas.
ille tamen nostra deducit origine nomen
Pilumnusque illi quartus pater, et tua larga
saepe manu multisque onerauit limina donis.'
cui rex aetherii breuiter sic fatur Olympi:
'si mora praesentis leti tempusque caduco
oratur iuueni meque hoc ita ponere sentis,
tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis:
hactenus indulsisse uacat; sin altior istis
sub precibus uenia ulla latet totumque moueri
mutariue putas bellum, spes pascis inanis.'
et Iuno adlacrimans: 'quid si, quae uoce grauaris,
mente dares atque haec Turno rata uita maneret?
nunc manet insontem grauis exitus, aut ego ueri
uana feror. quod ut o potius formidine falsa
ludar et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!'
    Haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto
misit, agens hiemem nimbo succincta per auras,
Iliacamque aciem et Laurentia castra petiuit.
tum dea nube caua tenuem sine uiribus umbram
in faciem Aeneae (uisu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis clipeumque iubasque
diuini adsimulat capitis, dat inania uerba,
dat sine mente sonum gressusque effingit euntis,
morte obita qualis fama est uolitare figuras
aut quae sopitos deludunt somnia sensus.
at primas laeta ante acies exsultat imago
inritatque uirum telis et uoce lacessit.
instat cui Turnus stridentemque eminus hastam
conicit: illa dato uertit uestigia tergo.
tum uero Aenean auersum ut cedere Turnus
credidit atque animo spem turbidus hausit inanem:

MPR

621 fatur **MPacegnxyγ** : fatus **M**^{1} *uel* **M**^{A}**Rωγ**^{1}, *DSeru.*, *Tib.* **628** et] cui **i**, *recc.* : at *Harrison* inlacrimans **acenuv** quae] qui **b** : quod **ω** (*praeter* **aenruv**) **γ**^{1} **629** rata] data **R** **639** uerba] membra **P** (*corr.* **P**^{1}) **γ**^{1} **640** gressumque **M**, *Tib.* **642** ludunt insomnia **dt** **644** et] aut **dt**

‘quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos;
hac dabitur dextra tellus quaesita per undas.’
talia uociferans sequitur strictumque coruscat
mucronem nec ferre uidet sua gaudia uentos.
    Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
expositis stabat scalis et ponte parato,
qua rex Clusinis aduectus Osinius oris:
huc sese trepida Aeneae fugientis imago
conicit in latebras, nec Turnus segnior instat
exsuperatque moras et pontis transilit altos.
uix proram attigerat, rumpit Saturnia funem
660 auulsamque rapit reuoluta per aequora nauem.
663 tum leuis haud ultra latebras iam quaerit imago,
664 sed sublime uolans nubi se immiscuit atrae.
661 illum autem Aeneas absentem in proelia poscit;
662 obuia multa uirum demittit corpora morti,
665 cum Turnum medio interea fert aequore turbo.
respicit ignarus rerum ingratusque salutis
et duplicis cum uoce manus ad sidera tendit:
‘omnipotens genitor, tanton me crimine dignum
duxisti et talis uoluisti expendere poenas?
quo feror? unde abii? quae me fuga quemue reducit?
Laurentisne iterum muros aut castra uidebo?
quid manus illa uirum, qui me meaque arma secuti?
quosne (nefas) omnis infanda in morte reliqui

MPR

650 tellus dextra **aeuv** **659** rupit **Rdjt**$\boldsymbol{\gamma}^1$ **661–662** *post 664 transp. Brunck. Si u. 665 sequitur uu. 663–664, res inter se diuersae eodem loco geruntur*; *at* interea *a Vergilio frequentius usurpatur ita ut ualeat ‘simul et alio loco’*; *bene ergo si u. 665 sequitur uu. 661–662: nam, dum Aeneas pugnat in acie, per mare Turnus naui abducitur* **661** illum autem aeneas **M**$\boldsymbol{\omega}$, «*melius*» *iudice Seru.*, *Tib.* : ille autem aenean **P** (*alteram* n *del.* **P**^{x}, s *suprascripsit* **P**^{2}) **R**$\boldsymbol{\gamma}$, *Vrbanus ap. Seru.* **662** dimittit $\boldsymbol{\omega}$ (*praeter* **bhn**) **665** interea medio **Rabeuv** **667** tendit] tollit $\boldsymbol{\omega}$ (*praeter* **bfgnrxz**), *Tib. in lemm.* (*cf. Aen. 1, 103*; *2, 222 et 8, 141*) **668** tanto **Pa**$\boldsymbol{\gamma}$ **670** abeo **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* abii *fide Sabb.*, *ex* abis *fide Geym.*) : abi **P**^{x} quemue] quo **M** : quoue **M**^{1} (*corr.* **M**^{A}) reducet **ceiknruvx**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *Tib.* **673** quosne *Asper ap. DSeru.* : quosque **MRe** (quodque **n**) : quosue **M**^{A}**P**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *DSeru.* : quos *Tib. in lemm.* in *om.* **dhijt**, *Tib.* relinqui **P**^{1}, *Tib.*

et nunc palantis uideo, gemitumque cadentum
accipio? quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat
terra mihi? uos o potius miserescite, uenti:
in rupes, in saxa (uolens uos Turnus adoro)
ferte ratem saeuisque uadis immittite syrtis,
quo nec me Rutuli nec conscia fama sequatur.'
haec memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
an sese mucroni ob tantum dedecus amens
induat et crudum per costas exigat ensem,
fluctibus an iaciat mediis et litora nando
curua petat Teucrumque iterum se reddat in arma.
ter conatus utramque uiam, ter maxima Iuno
continuit iuuenemque animi miserata repressit.
labitur alta secans fluctuque aestuque secundo
et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Iouis interea monitis Mezentius ardens
succedit pugnae Teucrosque inuadit ouantis;
concurrunt Tyrrhenae acies atque omnibus uni,
uni odiisque uiro telisque frequentibus instant.
ille, uelut rupes uastum quae prodit in aequor,
obuia uentorum furiis expostaque ponto,
uim cunctam atque minas perfert caelique marisque
ipsa immota manens, prolem Dolichaonis Hebrum
sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem,
sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
occupat os faciemque aduersam, poplite Palmum
succiso uolui segnem sinit, armaque Lauso
donat habere umeris et uertice figere cristas.
nec non Euanthen Phrygium Paridisque Mimanta
aequalem comitemque, una quem nocte Theano

MPR

674 pallentis **M** (*corr.* **M**^{A}) : pallantis **Rbj** **675** aut] et **M** (*corr.* **M**^{A}) dehiscet **Rr**, *Tib.* : dehiscit **n** **681** mucroni **PR** : mucrone **MP**$^{1?}$**ωγ**, *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 18, 268 et 284* **682** inbuat **P** crudum] durum **R** (*cf. Aen. 12, 507*) **683** iactet **R** : iaceat **dit** **686** animo **dt** **692** frequentibus] sequacibus *Tib. in lemm.* (*cf. Aen. 8, 432*) **696** manent **M** : manet **M**^{2}**a**

in lucem genitore Amyco dedit et face praegnas
Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna
occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
ac uelut ille canum morsu de montibus altis
actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
defendit multosue palus Laurentia silua
pascit harundinea, postquam inter retia uentum est,
substitit infremuitque ferox et inhorruit armos,
nec cuiquam irasci propiusque accedere uirtus,
713 sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;
717 ille autem impauidus partis cunctatur in omnis
718 dentibus infrendens et tergo decutit hastas:
714 haud aliter, iustae quibus est Mezentius irae,
715 non ulli est animus stricto concurrere ferro,
716 missilibus longe et uasto clamore lacessunt.
719 Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenaeos:
hunc ubi miscentem longe media agmina uidit,
purpureum pinnis et pactae coniugis ostro,
impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans
(suadet enim uesana fames), si forte fugacem

MPR

704 genitore *Bentley ad Hor. epod. 5, 28* (*cf. Aen. 3, 614*) : genitori *codd.*, *Tib.* et] ut *Heinsius* praegnas **M**^{x}**Pabdfgtγ**, *Seru.*, *DSeru.* : praegnans **MRω**, *Arus. 501, 9*, *Tib.*; *cf. Aen. 7, 320* **705** Paris *Bentley ad Hor. epod. 5, 28* : creat **M**^{x} (crepat **M**) **PRωγ**, *Sac. 478, 20*, *GLK IV, 537, 16*, *Seru. hic* («urbe paterna occubat *subaudis ‘Paris’*»), *ad Aen. 5, 370 et 535*, *DSeru.* («*deest* qui, *ut sit* qui urbe paterna...»), *Tib.*; *cf. u. 751* peditem, pedes; *hoc schema apud Ouidium percrebrescet: cf. e.g. fast. 3, 199 ‘festa parat Conso; Consus tibi cetera dicet’*; *ars 1, 545*; *her. 7, 41* **706** occupat **MR** (*corr.* **M**^{A}) : hic cubat (*seruato u. 705* Parin creat) *Cunningham* **709** multosue **Pγ**, *Tib. in interpr.* («multosque *pro ‘multosue’*» *Seru.*) : multoque **M** **710** pascit (*uel* pauit) *Bentley ad Hor. epod. 5, 28* : pastus (*ab* actus *u. 708 attractum?*) *codd.*, *ps. Acro ad Hor. sat. 2, 4, 42*, *Seru. hic* («*pro ‘pastum’*») *et ad Aen. 2, 471*, *Tib.* (*sed «aluit atque nutriuit» in interpr.*) uentum (*om.* est) **M** (est *add.* **M**^{A}) **712** propiusque **Pbγ** (*cf. Sil. 5, 442 sq.*) : propiusue **MRω**, *Tib.* **713** totisque **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **717–718** *post u. 713 collocat Scaliger in praef. ad Manilium, ordinem prospere restituens* : *714–718 codd.*, *Seru.*, *Tib.* **723** stabula] specula **degktuvy**

conspexit capream aut surgentem in cornua ceruum,
gaudet hians immane comasque arrexit et haeret
uisceribus super incumbens; lauit improba taeter
ora cruor:
sic ruit in densos alacer Mezentius hostis.
sternitur infelix Acron et calcibus atram
tundit humum exspirans infractaque tela cruentat.
atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
sternere nec iacta caecum dare cuspide uulnus;
obuius aduersoque occurrit seque uiro uir
contulit, haud furto melior sed fortibus armis.
tum super abiectum posito pede nixus et hasta:
'pars belli haud temnenda, uiri, iacet altus Orodes.'
conclamant socii laetum paeana secuti;
ille autem exspirans: 'non me, quicumque es, inulto,
uictor, nec longum laetabere; te quoque fata
prospectant paria atque eadem mox arua tenebis.'
ad quem subridens mixta Mezentius ira:
'nunc morere. ast de me diuum pater atque hominum rex
uiderit.' hoc dicens eduxit corpore telum.
olli dura quies oculos et ferreus urget
somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen
Partheniumque Rapo et praedurum uiribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Erichaeten,
illum infrenis equi lapsu tellure iacentem,
hunc peditem. pedes et Lycius processerat Agis,
quem tamen haud expers Valerus uirtutis auitae

MPR 732 *redit* **V**

727 incumbens **Maberuvγ¹**, *Tib.*, *Prisc. 8, 36* (*cf. Aen. 5, 858 et Sil. 2, 686*) : accumbens **PRω** (accubens **iγ**), *Macrob. 5, 10, 7* improbus ater **M^A** (improbat aether **M**) **737** uiris **cdgnt**, *Asper ap. Seru.*; *cf. u. 280* actus **M** **742** ad quem **Rω**, *Tib.* : at quem (*quod idem ualet*) **Mˣ** (*sed non Asterius*) **cj** : atque **Mahrtu** (adque **b**), *Macrob. 5, 12, 10* : at quae **Pˣ** (*ex* atquaec; atque *al. man.*) **γ** : ad quae **Vdi**; *cf. Aen. 6, 509* **749** *u. om.* **V** croniumque **P** **750** lapsu **MˣPωγ** (labsu **V**) : lapsum **MRa**, *Tib.* **751** pedes *dist.* **MˣP²**, *Tib.* agis **Vωγ¹**, *Seru.* : hagis **eiknrxz**, *Tib.* : ages **P²γ** : argis **Mc** (rgis **P**, *fide Sabb. et Geym.*) : hargis **R**

deicit; at Thronium Salius Saliumque Nealces
insignis iaculo et longe fallente sagitta.
Iam grauis aequabat luctus et mutua Mauors
funera: caedebant pariter pariterque ruebant
uictores uictique, neque his fuga nota neque illis.
di Iouis in tectis iram miserantur inanem
amborum et tantos mortalibus esse labores;
hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno.
pallida Tisiphone media inter milia saeuit.
At uero ingentem quatiens Mezentius hastam
turbidus ingreditur campo. quam magnus Orion,
cum pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna uiam scindens, umero supereminet undas,
aut summis referens annosam montibus ornum
ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
talis se uastis infert Mezentius armis.
hunc contra Aeneas speculatus in agmine longo
obuius ire parat. manet imperterritus ille,
hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
atque oculis spatium emensus quantum satis hastae:
‘dextra mihi deus et telum, quod missile libro,
nunc adsint! uoueo praedonis corpore raptis
indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum
Aeneae.’ dixit stridentemque eminus hastam
iecit. at illa uolans clipeo est excussa proculque
egregium Antoren latus inter et ilia figit,

MPRV 758 *desinit* **V**

754 insignis **Mω** : insidiis **M**^{A}**PRVabf?h?nryγ**, *Seru. ad Aen. 5, 68, Tib., edd. nonnulli, qui post* insidiis *distinguunt quasi* iaculo et longe fallente sagitta *explanatio appositiua sit; at Nealces, quamuis et in arcu et in iaculis excellat, necesse est Salium aut iaculo occidat aut sagitta* **756** caedebant **Macfghikxy**, *Tib.* : cedebant **PRVωγ** (-bat **P**^{x}**n**, *sed in* **P** -bant *a* **P**^{2} *restitutum testantur Sabb. et Geym.*); *utrumque agnoscit Seru.* **758** iram] casum *Macrob. 5, 16, 14* **760** spectant **M** (*corr.* **M**^{x}) : aspectat **aeuv** **763** campum **M** **769** hunc **MP**^{2}**h**, *Tib. in interpr.* : huc **P** : huic **Rωγ** : cui *Tib. in lemm.* longo **MPR**$^{1?}$ *in ras.* (*ex* longe, *fide Sabb. et Geym.*) **ωγ**, *Tib in lemm.* : longe *Tib. in interpr.* **770** ille] ipse *Non. 349, 20* **777** inicit **a?γ** (*corr.* **γ**^{1}) at *om.* **Maγ** (*add.* **M**^{A}) **778** antoren] antorem **MPR**, *Seru.*, *Tib.*, *Gramm.* et inter **auv**

Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
haeserat Euandro atque Itala consederat urbe.
sternitur infelix alieno uulnere caelumque
aspicit et dulcis moriens reminiscitur Argos.
tum pius Aeneas hastam iacit: illa per orbem
aere cauum triplici, per linea terga tribusque
transiit intextum tauris opus, imaque sedit
inguine, sed uiris haud pertulit. ocius ensem
Aeneas, uiso Tyrrheni sanguine laetus,
eripit a femine et trepidanti feruidus instat.
ingemuit cari grauiter genitoris amore,
ut uidit, Lausus, lacrimaeque per ora uolutae.
hic mortis durae casum tuaque optima facta,
si qua fidem tanto est operi latura uetustas,
non equidem nec te, iuuenis memorande, silebo.
ille pedem referens et inutilis inque ligatus
cedebat clipeoque inimicum hastile trahebat;
proripuit iuuenis seseque immiscuit armis
iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae subiit mucronem ipsumque morando
sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
dum genitor nati parma protectus abiret,
telaque coniciunt proturbantque eminus hostem
missilibus. furit Aeneas tectusque tenet se.
ac uelut effusa si quando grandine nimbi
praecipitant, omnis campis diffugit arator
omnis et agricola et tuta latet arce uiator
aut amnis ripis aut alti fornice saxi,

MPR

779 antoren **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* antorem *fide Sabb. et Geym.*), *Tib.* : antorem **MR**, *Probus 12, 24*; *cf. u. 778* **785** transiet **M** (*corr.* **M**$^{2?}$) **789** grauiter cari **aeuv** **791** optima **Pωγ**, *Seru.* : optime **M**^{x} (-mae **M**) **Rbr**, «*alii*» *ap. Seru.*, *Tib.* **796** proripuit **Mωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 5, 741*) : prorupit **PRa** : prorumpit *Heinsius*, *Bentley* (*cf. u. 379 et Aen. 7, 32*) **797** dextra **MPbγ** : dextrae **P**^{2}**ωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : dextram **R** **798** subigit **M** (*corr.* **M**$^{A?}$) : subit **R** morantem *Seru. ad Aen. 7, 161* (*sed* morando *hic*) **801** perturbantque **M**^{1} (pertumb- **M**) : proturbant (*om.* -que) **ikxy** **805** arce **egk** : arte **MPRωγ** (ar **r**), *DSeru.*, *Tib.*

dum pluit in terris, ut possint sole reducto
exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,
sustinet et Lausum increpitat Lausoque minatur:
‘quo moriture ruis maioraque uiribus audes?
fallit te incautum pietas tua.’ nec minus ille
exsultat demens, saeuae iamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcae fila legunt: ualidum namque exigit ensem
per medium Aeneas iuuenem totumque recondit;
transiit et parmam mucro, leuia arma minacis,
et tunicam molli mater quam neuerat auro,
impleuitque sinum sanguis; tum uita per auras
concessit maesta ad Manis corpusque reliquit.
At uero ut uultum uidit morientis et ora,
ora modis Anchisiades pallentia miris,
ingemuit grauiter miserans dextramque tetendit,
et mentem patriae subiit pietatis imago.
‘quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Aeneae magni dextra cadis.’ increpat ultro
cunctantis socios et terra subleuat ipsum
sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam

MPR

807 dum] cum **b**, *Tib. in lemm.* terris *dist.* **P**^{2} : pluit *dist.* **M**^{x}, *Seru.*, *Tib.* possit **MRdjt** (*corr.* **M**^{A}**R**^{x}), *Tib. in interpr.* **809** detonet **PRabcnrt**, *Seru.*, *Tib.* : detinet **MP**^{2}**ωγ** omnem *edd. uett.*, *Bentley* **812** fallet te **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) : fallite **R** **813** exultans **M**^{A} **815** fila] lina **Pb?γ**^{1} **817** transiit **MPabhnγ**, *Tib. in interpr.* (*cfr. u. 785 et Sil. 13, 166*) : transit **Rr**, *Tib. in lemm.* : transilit **ω** leuia] media **R** minaci **R** mucro *et* minacis *dist.* **M**^{x}**P**^{2} : mucro minacis («*Aeneae scilicet*») *coniungit Seru.* **819** sinus **M** (*corr.* **M**^{A}) **drtγ**^{1}, *schol. Iuu. 4, 41*, *Tib. in lemm.* (*cf. Aen. 1, 320 et 8, 712*) **823** grauiter miserans **Maekuv** : miserans grauiter **PRωγ**, *Tib.* **824** subiit] strinxit **Mbr** (*cf. Aen. 9, 294*) : subit **R**

uulnera siccabat lymphis corpusque leuabat
arboris acclinis trunco; procul aerea ramis
dependet galea et prato grauia arma quiescunt.
stant lecti circum iuuenes; ipse aeger anhelans
colla fouet fusus propexam in pectora barbam;
multa super Lauso rogitat, multumque remittit
qui reuocent maestique ferant mandata parentis.
at Lausum socii exanimem super arma ferebant
flentes, ingentem atque ingenti uulnere uictum.
agnouit longe gemitum praesaga mali mens:
canitiem multo deformat puluere et ambas
ad caelum tendit palmas et corpore inhaeret.
'tantane me tenuit uiuendi, nate, uoluptas,
ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
quem genui? tuane haec genitor per uulnera seruor
morte tua uiuens? heu, nunc misero mihi demum
exitium infelix, nunc alte uulnus adactum!
idem ego, nate, tuum maculaui crimine nomen,
pulsus ob inuidiam solio sceptrisque paternis.
debueram patriae poenas odiisque meorum:
omnis per mortis animam sontem ipse dedissem!
nunc uiuo neque adhuc homines lucemque relinquo.
sed linquam.' simul hoc dicens attollit in aegrum
se femur et, quamquam uis alto uulnere tardat,
haud deiectus equum duci iubet. hoc decus illi,

MPR

834 leuabat **ωγ**, *Seru.* : lauabat **MPRae**, *Tib. in lemm.* (*sed* leuabat *interpretatur*) **835** ramis] ramo **R**, *Seru. ad buc. 6, 16* **838** pectora **dt** (*cf. Ou. fast. 1, 259*; *Sil. 13, 310*) : pectore **MRω**, *schol. Pers. 1, 15*, *Seru.* («in pectore *pro 'in pectus'*»), *Tib.* : corpore **P**^{1} *in ras.* (*ex* corpora *fide Sabb. et Geym.*) **uγ** **839** rogitans **Paehjγ** (*cf. Aen. 1, 750*) multosque **bjuzγ**^{1} **841** exanimem socii **aeruv** **844** multo] inmundo **M**^{A}, *Tib.* (*cf. Aen. 12, 611*) **846** uoluntas **P** (*corr.* **P**^{1} *in ras.*) **n** **850** exitium **MP**^{1}**Rωγ**^{1}, *Tib.* : exilium **Panγ**, *Seru.*; nunc … nunc … adactum *dicolon abundans est: bis Mezentius adfirmat Lauso perempto se ipsum quoque perisse* (exitium ~ uulnus) **857** quamquam uis] quamuis **P**^{x}**hr** : quamuis dolor *post Peerlkamp Ribbeck* tardat **M**^{1} (ardat **M**) **PR**$^{1?}$ *in ras.* (*ex* tarda est, *fide Sabb. et Geym.*) **artyγ**^{1}, *DSeru.* : tardet **M**^{A}**P**^{2}**ωγ**, *Seru.*, *Tib.* : tarda est *Schaper*; tardat *i.e. 'sero uenit'*

hoc solamen erat, bellis hoc uictor abibat
omnibus. adloquitur maerentem et talibus infit:
‘Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
uiximus. aut hodie uictor spolia illa cruenta
et caput Aeneae referes Lausique dolorum
ultor eris mecum, aut, aperit si nulla uiam uis,
occumbes pariter; neque enim, fortissime, credo,
iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.’
dixit et exceptus tergo consueta locauit
membra manusque ambas iaculis onerauit acutis,
aere caput fulgens cristaque hirsutus equina.
sic cursum in medios rapidus dedit: aestuat ingens
uno in corde pudor mixtoque insania luctu.
atque hic Aenean magna ter uoce uocauit.
Aeneas agnouit enim laetusque precatur:
‘sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo!
incipias conferre manum.’
tantum effatus et infesta subit obuius hasta.
ille autem: ‘quid me erepto, saeuissime, nato
terres? haec uia sola fuit qua perdere posses:
nec mortem horremus nec diuum parcimus ulli.
desine, nam uenio moriturus et haec tibi porto
dona prius.’ dixit telumque intorsit in hostem;
inde aliud super atque aliud figitque uolatque
ingenti gyro, sed sustinet aureus umbo.
ter circum adstantem laeuos equitauit in orbes
tela manu iaciens, ter secum Troius heros
immanem aerato circumfert tegmine siluam.

MPR

860 et talibus infit] ac talia fatur **Raeuv** (*cf. Aen. 3, 485 al.*) **861** ultra est **Ra** **862** cruenta **MP^{1}Rωγ**, *Seru.*, *Tib.* : cruenti **P**, *agnoscit DSeru.*; *uide clausulam apud Homerum frequentissimam* ἔναρα βροτόεντα (*e.g. Il. 6, 480*) **863** dolorem **PRkxyγ** (*corr.* **R^{1}γ^1**) **870** cursu **Ra** : cursus **γ** (*corr.* **γ^1**) redit **Ra** **871** uno] una **γ^1** : imo *recc.* **872** (= *Aen. 12, 668*) *om.* **MPRabnrγ**, *Tib.*, *non interpr. Seru.* : *habent* **ωγ^1** **881** iam *recc.* **883** fugitque **MP** (*corr.* **M^{x}P^1**) **ceh**, *quo accepto post* aliud^2 *dist. Heyne* **884** aureus **Rωγ^1** (auereus **γ**), *Tib.* : aereus **MPb?** (*cf. uu. 271 et 887*)

inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
uellere, et urgetur pugna congressus iniqua,
multa mouens animo iam tandem erumpit et inter
bellatoris equi caua tempora conicit hastam.
tollit se arrectum quadrupes et calcibus auras
uerberat effusumque equitem super ipse secutus
implicat eiectoque incumbit cernuus armo.
clamore incendunt caelum Troesque Latinique.
aduolat Aeneas uaginaque eripit ensem
et super haec: ‘ubi nunc Mezentius acer et illa
effera uis animi?’ contra Tyrrhenus, ut auras
suspiciens hausit caelum mentemque recepit:
‘hostis amare, quid increpitas mortemque minaris?
nullum in caede nefas, nec sic ad proelia ueni,
nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
unum hoc per si qua est uictis uenia hostibus oro:
corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
circumstare odia: hunc, oro, defende furorem
et me consortem nati concede sepulcro.’
haec loquitur iuguloque haud inscius accipit ensem
undantique animam diffundit in arma cruore.

MPR

898 ut **MPR**^{1} (*in ras. ex* et, *fide Sabb. et Geym.*) **ωγ**^{1}, *Tib.* : et **M**^{A}**P**^{1}**dkuγ** **908** anima **P** (*corr.* **P**^{1}), *Tib.* diffundit **Mωγ**^{1}, *Seru.* : defundit **PRainγ** : diffudit *Tib.* cruore **P**^{x} (*sed* m *restitutam a* **P**^{2} *et denuo erasam testantur Sabb. et Geym.*) **Rωγ**, *Seru.* : cruorem **MP**, *Tib.*

LIBER XI

Oceanum interea surgens Aurora reliquit:
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
praecipitant curae turbataque funere mens est,
uota deum primo uictor soluebat Eoo.
ingentem quercum decisis undique ramis
constituit tumulo fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne tropaeum
bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas
telaque trunca uiri et bis sex thoraca petitum
perfossumque locis clipeumque ex aere sinistrae
subligat atque ensem collo suspendit eburnum.
tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
turba ducum) sic incipiens hortatur ouantis:
'maxima res effecta, uiri; timor omnis abesto,
quod superest: haec sunt spolia et de rege superbo
primitiae manibusque meis Mezentius hic est.
nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
arma parate animis et spe praesumite bellum,
ne qua mora ignaros, ubi primum uellere signa
adnuerint superi pubemque educere castris,
impediat segnisue metu sententia tardet.
interea socios inhumataque corpora terrae
mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
ite,' ait 'egregias animas, quae sanguine nobis
hanc patriam peperere suo, decorate supremis
muneribus, maestamque Euandri primus ad urbem
mittatur Pallas, quem non uirtutis egentem

MPR

1 relinquit **aj**, *Diom. 496, 7*; *cf. Aen. 4, 129* **8** roranti **Ra** **18** animis *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Tib.* : *aut* animis *aut* parate (*ita ut sit* animis et spe praesumite bellum) *dist. Seru.*; *dicolon abundans esse credo*, *uerbis* κατὰ χιασμόν *structis* **21** segnisue **MRa** : segnisque **M**^{2}**ωγ** (sign- **Pcgikrxz**, segne- **j**), *Tib.* **23** imo est **M**^{A} (imost **M**) **ωγ**^{1} (*u. om.* **γ**), *Seru.*, *Tib.* : imo **PRa** **24** quae] qui *Macrob. 4, 4, 9*

abstulit atra dies et funere mersit acerbo.'
Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum,
corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
seruabat senior, qui Parrhasio Euandro
armiger ante fuit, sed non felicibus aeque
tum comes auspiciis caro datus ibat alumno;
circum omnis famulumque manus Troianaque turba
et maestum Iliades crinem de more solutae.
ut uero Aeneas foribus sese intulit altis,
ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
pectoribus, maestoque immugit regia luctu.
ipse caput niuei fultum Pallantis et ora
ut uidit leuique patens in pectore uulnus
cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
'tene,' inquit 'miserande puer, cum laeta ueniret,
inuidit Fortuna mihi, ne regna uideres
nostra neque ad sedes uictor ueherere paternas?
non haec Euandro de te promissa parenti
discedens dederam, cum me complexus euntem
mitteret in magnum imperium metuensque moneret
acris esse uiros, cum dura proelia gente.
et nunc ille quidem spe multum captus inani
fors et uota facit cumulatque altaria donis;
nos iuuenem exanimum et nil iam caelestibus ullis
debentem uano maesti comitamur honore.
infelix, nati funus crudele uidebis!
hi nostri reditus exspectatique triumphi?
haec mea magna fides? at non, Euandre, pudendis
uulneribus pulsum aspicies nec sospite dirum
optabis nato funus pater. ei mihi, quantum
praesidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!'

MPR

30 exanime **My** : exanimis **Raceuv** : exanimum *Don. ad Ter. Andr. 234* **41** abortis **ceuvγ** (*corr.* **γ**¹) **51** exanimem **Raceuv** **54** exoptatique **Ra** **57** ei **MPbjknγ**, *Don. ad Ter. Phorm. 178* : et **Ra**, *Tib.* : heu **ω** **58** *post* Ausonia *tantum distinxi; nominatiuum* (Ausonia) *uocatiuus* (Iule) *subsequitur, ut in Aen. 2, 56* : Ausonia *uocatiuum faciunt edd. nonnulli*

Haec ubi defleuit, tolli miserabile corpus
imperat et toto lectos ex agmine mittit
mille uiros qui supremum comitentur honorem
intersintque patris lacrimis, solacia luctus
exigua ingentis, misero sed debita patri;
haud segnes alii cratis et molle feretrum
arbuteis texunt uirgis et uimine querno
exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
hic iuuenem agresti sublimem stramine ponunt:
qualem uirgineo demessum pollice florem
seu mollis uiolae seu languentis hyacinthi,
cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit;
non iam mater alit tellus uirisque ministrat.
tum geminas uestes auroque ostroque rigentis
extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
fecerat et tenui telas discreuerat auro:
harum unam iuueni supremum maestus honorem
induit arsurasque comas obnubit amictu,
multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
aggerat et longo praedam iubet ordine duci;
addit equos et tela quibus spoliauerat hostem.
uinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
inferias, caeso sparsurus sanguine flammas,
indutosque iubet truncos hostilibus armis
ipsos ferre duces inimicaque nomina figi.
ducitur infelix aeuo confectus Acoetes,
pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora,
sternitur et toto proiectus corpore terrae;
ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
post bellator equus positis insignibus Aethon
it lacrimans guttisque umectat grandibus ora.

MPR

60 agmine **Mωγ**, *Seru. hic et ad u. 92, Tib.* : ordine **PRa** (*cf. Aen. 7, 152*) **80** *secl. Ribbeck* **82** sparsuros **ω** (*praeter* **ar**) **γ**[1], *Tib. in interpr.* flammam **Ranγ** **84** figi] figot **M** (*corr.* **M**[A?]) : fingi **Ra** **87** *ante 86 transp. Tib., del. ed. Parmensis an. 1793*; *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck*

hastam alii galeamque ferunt, nam cetera Turnus
uictor habet. tum maesta phalanx Teucrique sequuntur
Tyrrhenique omnes et uersis Arcades armis.
postquam omnis longe comitum praecesserat ordo,
substitit Aeneas gemituque haec addidit alto:
'nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
fata uocant: salue aeternum mihi, maxime Palla,
aeternumque uale.' nec plura effatus ad altos
tendebat muros gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina
uelati ramis oleae ueniamque rogantes:
corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,
redderet ac tumulo sineret succedere terrae;
nullum cum uictis certamen et aethere cassis;
parceret hospitibus quondam socerisque uocatis.
quos bonus Aeneas haud aspernanda precantis
prosequitur uenia et uerbis haec insuper addit:
'quaenam uos tanto fortuna indigna, Latini,
implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
oratis? equidem et uiuis concedere uellem.
nec ueni, nisi fata locum sedemque dedissent,
nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
hospitia et Turni potius se credidit armis.
aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.
si bellum finire manu, si pellere Teucros
apparat, his mecum decuit concurrere telis:
uixet cui uitam deus aut sua dextra dedisset.

MPR

93 omnes **MPωγ**, *Probus 231, 1*, *Tib.* : duces **Rabdeu**, *Seru.* (*cf. uu. 171 et 835*) **94** praecesserat **MPRωγ**, *Tib.* : processerat **γ¹**; *sensus est 'praeterierat': comites omnes feretrum ferentes gressi sunt praeter Aenean qui gradum paulatim erat remoratus* **95** edidit **Raeu** (aedidit **M^A**) **97** pallas **R**; palla *testatur Prisc. 6, 54* (*cf. etiam u. 152*) **101** rogantes **MPωγ**, *DSeru.* : precantes **Raeu**, *Seru. hic et ad Aen. 10, 31*, *Tib.* (*cf. u. 106*) **104** aere **dfhijkxz** **110** pacem me] pacemne **cdeuv** **112** nisi] ni **c**, *Probus 257, 7* **113** relinquit **aeu** **117** decuit mecum **cdfghjnxyz** **118** sua] cui **P** (*in ras. ex* sua, *fide Sabb.*)

nunc ite et miseris supponite ciuibus ignem.’
dixerat Aeneas. illi obstipuere silentes
conuersique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
infensus iuueni Turno sic ore uicissim
orsa refert: ‘o fama ingens, ingentior armis,
uir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem?
iustitiaene prius mirer belline laborum?
nos uero haec patriam grati referemus ad urbem
et te, si qua uiam dederit Fortuna, Latino
iungemus regi: quaerat sibi foedera Turnus.
quin et fatalis murorum attollere moles
saxaque subuectare umeris Troiana iuuabit.’
dixerat haec unoque omnes eadem ore fremebant.
bis senos pepigere dies et pace sequestra
per siluas Teucri mixtique impune Latini
errauere iugis. ferro sonat alta bipenni
fraxinus, euertunt actas ad sidera pinus,
robora nec cuneis et olentem scindere cedrum
nec plaustris cessant uectare gementibus ornos.
Et iam Fama uolans, tanti praenuntia luctus,
Euandrum Euandrique domos et moenia replet,
quae modo uictorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere et de more uetusto
funereas rapuere faces: lucet uia longo
ordine flammarum et late discriminat agros.
contra turba Phrygum ueniens plangentia iungit
agmina. quae postquam matres succedere tectis

MPR

122 tum] hunc **M** : tunc **M**^{A} **126** iustitiaene **Pωγ**, *Seru.*, *agnoscit Prisc. 17, 102* («iustitiaene ... *aptius*») : iustitiane **MRa**, *Prisc. quinquies* : iustitiamne **r**; iustitiaene *et* iustitiane *agnoscit DSeru.* laborem **P** (*fide Sabb. et Geym.*; *corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) **Rakrγ**^{1} **131** subiectare **P** (*corr.* **P**$^{2?}$) : subuectari **cdjxyz** troiane **M**$^{A?}$**gyz** (troiana **P**$^{(1)}$ *in ras. ex* troiane *fide Sabb. et Geym.*); *cf. u. 125* **134** siluam **M** **139** uolans] mali *Tib. hic et ad Aen. 12, 607* (*cf. Aen. 10, 510*) **140** conplet **M**^{A} (*cf. Aen. 7, 395 et 9, 39*) **142** at portis «*multa exemplaria ... habuerunt*» *teste DSeru.* **145** iungit **PRωγ** (iunget **c**) : iungunt **Mbr**, *Tib.*

uiderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
at non Euandrum potis est uis ulla tenere,
sed uenit in medios. feretro Pallanta reposto
procubuit super atque haeret lacrimansque gemensque,
et uia uix tandem uoci laxata dolore est:
‘non haec, o Palla, dederas promissa parenti,
cautius ut saeuo uelles te credere Marti.
haud ignarus eram quantum noua gloria in armis
et praedulce decus primo certamine posset.
primitiae iuuenis miserae bellique propinqui
dura rudimenta et nulli exaudita deorum
uota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
felix morte tua neque in hunc seruata dolorem!
contra ego uiuendo uici mea fata, superstes
restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem
atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
nec uos arguerim, Teucri, nec foedera nec quas
iunximus hospitio dextras: sors ista senectae
debita erat nostrae. quod si immatura manebat
mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante
ducentem in Latium Teucros cecidisse iuuabit.
quin ego non alio digner te funere, Palla,
quam pius Aeneas et quam magni Phryges et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
magna tropaea ferunt quos dat tua dextera leto;

MPR

149 pallanta **M**^{A}**ix**^{2} : pallante **MPRωγ**, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 9, 444; Stat. Theb. 6, 35–36* **150** procumbit **Ra** **151** uoci **M**^{x} (*ex* uoces) **Pω**, *Tib.* : uocis **P**^{1}**Raiγ** : *om. Seru. ad Aen. 12, 47* dolorest **MP** (*corr.* **M**^{A}) : dolori est *Seru. ad Aen. 12, 47*; uocis ... dolori est *Heinsius non male* **152** pallas **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}); palla *testatur Seru. ad buc. 3, 74* (*cf. etiam u. 97*) parenti] petenti «*alii*» *ap. DSeru.* **159** neque] nec **Pbikzγ** (*corr.* **γ**^{1}) **160** fata *dist.* **P**^{2}, *Seru.*, *Tib.* : uici *dist.* **M**^{x}, «*multi*» *ap. Seru.* («*ut* mea fata *per exclamationem dictum sit*») **164** arguerem **Rauγ** (*corr.* **γ**^{1}) **168** iuuabit **Pωγ**^{1} (-bat **γ**), *Seru.* : iuuaret **Mb?r?γ**^{2}, *Tib.* : iuuare **Ra** **169** dignem «*alii*» *ap. DSeru.* **170–171** et^{2} – omnis *deleri maluisset Heyne* **171** Tyrrhenum] equitumque *Bentley* : Tuscumque *Bothe* **172** ferant **PRa?bdinxγ** (*corr.* **γ**^{1}) *hunc u. secl. Brunck*

tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
esset par aetas et idem si robur ab annis,
Turne. sed infelix Teucros quid demoror armis?
uadite et haec memores regi mandata referte:
quod uitam moror inuisam Pallante perempto
dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique
quam debere uides. meritis uacat hic tibi solus
fortunaeque locus. non uitae gaudia quaero,
nec fas, sed gnato manis perferre sub imos.'
Aurora interea miseris mortalibus almam
extulerat lucem, referens opera atque labores:
iam pater Aeneas, iam curuo in litore Tarchon
constituere pyras; huc corpora quisque suorum
more tulere patrum, subiectisque ignibus atris
conditur in tenebras altum caligine caelum.
ter circum accensos cincti fulgentibus armis
decurrere rogos, ter maestum funeris ignem
lustrauere in equis ululatusque ore dedere.
spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma,
it caelo clamorque uirum clangorque tubarum.
hic alii spolia occisis derepta Latinis
coniciunt igni, galeas ensesque decoros
frenaque feruentisque rotas; pars munera nota,
ipsorum clipeos et non felicia tela.
multa boum circa mactantur corpora Morti,
saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
in flammam iugulant pecudes. tum litore toto
ardentis spectant socios semustaque seruant
busta, neque auelli possunt, nox umida donec

MPR

173 armis *codd.*, *Seru.*, *Tib.*, *Prisc. 16, 11* : aruis *Heinsius*, *Bentley*; truncus in armis *i.e. tropaeum ex Turni spoliis constitutum* **175** armis] ultra *Heinsius* **176** audite **P** (*fide Sabb. et Geym.*, *corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*) **Ra** **179–181** meritis – imos *secl. Ribbeck* **181** gnato hoc (*uel* gnato haec) *Heyne* **184** in] et **M** (*corr.* **M**^{2}) **188** cuncti **Ra** **201** neque] nec **Ra**

inuertit caelum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miseri diuersa in parte Latini
innumeras struxere pyras, et corpora partim
multa uirum terrae infodiunt auectaque partim
finitimos tollunt in agros urbique remittunt.
cetera confusaeque ingentem caedis aceruum
nec numero nec honore cremant: tunc undique uasti
certatim crebris conlucent ignibus agri.
tertia lux gelidam caelo dimouerat umbram:
maerentes altum cinerem et confusa ruebant
ossa focis tepidoque onerabant aggere terrae.
iam uero in tectis, praediuitis urbe Latini,
praecipuus fragor et longi pars maxima luctus;
hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum
pectora maerentum puerique parentibus orbi
dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos:
ipsum armis ipsumque iubent decernere ferro,
qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.
ingrauat haec saeuus Drances solumque uocari
testatur, solum posci in certamina Turnum.
multa simul contra uariis sententia dictis
pro Turno, et magnum reginae nomen obumbrat,
multa uirum meritis sustentat fama tropaeis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
ecce super maesti magna Diomedis ab urbe
legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
tantorum impensis operum, nil dona neque aurum
nec magnas ualuisse preces, alia arma Latinis

MPR

202 fulgentibus **Raeu** (*cf. Enn. ann. 29 et 159 Vahl.*^{2} [= *27 et 145 Sk.*] *et Macrob. 6, 1, 9*) : ardentibus **MPωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 4, 482 et 6, 797*; *Enn. ann. 339 Vahl.*^{2} [= *348 Sk.*]) **207** caedis] stragis **Raeu** (*cf. u. 384 et Aen. 6, 504*) **208** nec^2] neque **Pc** **214** longe **ω** (*praeter* **a**), «*melius*» *iudice Seru., Tib.* **220** haec] et **Pγ** **221** certamine **Raeuv** **222–223** *om.* **M** (*ima pagina addiderat* **M**^{A}, *uersus erasit et denuo scripsit man. librario simillima*; *cf. Aen. 1, 169*) **224** uirum] simul (*cf. u. 222*) **M** (*corr.* **M**^{A}) **226** magna] magni *Diom. 413, 26, agnoscit Seru.* (*cf. Aen. 8, 9*) **228** neque] nec **Rω** (*praeter* **cnv**), *Seru., Tib.*

quaerenda aut pacem Troiano ab rege petendum.
deficit ingenti luctu rex ipse Latinus;
fatalem Aenean manifesto numine ferri
admonet ira deum tumulique ante ora recentes.
ergo concilium magnum primosque suorum
imperio accitos alta intra limina cogit.
olli conuenere fluuntque ad regia plenis
tecta uiis. sedet in mediis et maximus aeuo
et primus sceptris haud laeta fronte Latinus;
atque hic legatos Aetola ex urbe remissos
quae referant fari iubet, et responsa reposcit
ordine cuncta suo. tum facta silentia linguis,
et Venulus dicto parens ita farier infit:
 'Vidimus, o ciues, Diomedem Argiuaque castra,
atque iter emensi casus superauimus omnis,
contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.
ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis
uictor Gargani condebat Iapygis agris.
postquam introgressi et coram data copia fandi,
munera praeferimus, nomen patriamque docemus,
qui bellum intulerint, quae causa attraxerit Arpos.
auditis ille haec placido sic reddidit ore:
"o fortunatae gentes, Saturnia regna,
antiqui Ausonii, quae uos fortuna quietos
sollicitat suadetque ignota lacessere bella?
quicumque Iliacos ferro uiolauimus agros

MPR

230 aut] et *DSeru. ad georg. 4, 484* ab] a **R**, *GLK V, 649, 21* petendum **M**^{A}**bhinux**, *Rufin. 57, 22, GLK V, 649, 22, Seru. hic et ad Aen. 10, 628, DSeru. ad georg. 4, 484*; *cf. Sil. 11, 559* : petendam **MPRωγ**, *Tib.* **235** infra **M**^{2} limina] moenia **Raeu** **236** olli] ilico **dfjz** (illi **g**) ruuntque **Mbr** : fuuntque **P** (*corr.* **P**^{1}) **241** tunc **Pcγ** (*corr.* **γ**^{1}) **243** diomedem **ω**, *DSeru.* : diomeden **MPRabevγ**, *Macrob. 5, 17, 19* (*ut uid.*), *Tib.* : diomede **f**; diomedem *uel* diomede *legendum censet Seru.* (*qui* diomede *praefert*) **247** aruis **dfghijvxz**, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 10, 390* **248** congressi **Raeu**, *Tib.* (*cf. u. 631*) **251** rediddit **M** (reddidit **M**^{A} *ut uid.*, *dein* edidit, r *et* d *erasis, nescioquis* : *cf. Aen. 7, 194*) **y** **255** populauimus **Raeu**

(mitto [ea] quae muris bellando exhausta sub altis,
quos Simois premat ille uiros) infanda per orbem
supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
uel Priamo miseranda manus; scit triste Mineruae
sidus et Euboicae cautes ultorque Caphereus.
militia ex illa diuersum ad litus abacti
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
exulat, Aetnaeos uidit Cyclopas Vlixes.
regna Neoptolemi referam uersosque penates
Idomenei? Libycone habitantis litore Locros?
ipse Mycenaeus magnorum ductor Achiuum
coniugis infandae prima inter limina dextra
oppetiit: deuictam Asiam subsedit adulter.
inuidisse deos, patriis ut redditus aris
coniugium optatum et pulchram Calydona uiderem?
nunc etiam horribili uisu portenta sequuntur
et socii amissi petierunt aethera pinnis
fluminibusque uagantur aues (heu, dira meorum
supplicia!) et scopulos lacrimosis uocibus implent.
haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
tempore cum ferro caelestia corpora demens
appetii et Veneris uiolaui uulnere dextram.
ne uero, ne me ad talis impellite pugnas:

MPR

256 ea *secl. Kraggerud* exhausimus **P**$^{(1)}$ (*ex* exhausta sub *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **258** sceleris ... omnis «*alii*» *ap. Seru.* **259** damus **P**^{1} *in ras.* (*ex* manus *fide Sabb. et Geym.*) **γ**, *Tib. in interpr.* **261** adacti **M**^{2}**n**, *Tib.* **263** ex(s)ulat **M**^{2}**PRωγ**^{1}, *Seru.*, *Gramm.* : et solat **M** : exolat **P**^{x}**γ**, *Tib.* : exultat **cv** **267** inter **Pcknrvxzγ**, *Macrob. 4, 3, 12 et 4, 4, 22, Tib.* : intra **MRωγ**^{1}, *Seru.*; *cf. u. 882* **268** deuictam asiam **MPRabryγ**, *Arus. 511, 23, Tib.* : deuicta asia **ωγ**^{1}, *Seru. ad Aen. 5, 498*; *utrumque agnoscit Seru. hic* (*qui tamen* deuicta Asia *praefert*) subsedit **MPωγ**, *Arus.*, *Seru. hic et ad Aen. 5, 498* : possedit **M**^{A}**Raγ**^{1}, *Macrob. 4, 4, 22, Tib.* **269–270** inuidisse deos – uiderem] *pergit Diomedes enumerans Graecorum ductorum et ipsius calamitates* (referam, *u. 264*), *interposita autem per parecbasin de Agamemnone mentione* (*uu. 266–268*); *iniuria ante hos uersus uu. 264–265 transp. Ribbeck, lac. statuit Courtney* («*BICS*» *28, 1981, 20*) **272** amissis **P** (*corr.* **P**^{x}) : admissis «*nonnulli*» *ap. Seru.* **275** adeo] eadem **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) ex illo *om.* **Ra** superanda **Ra**

nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama nec ueterum memini laetorue malorum.
munera quae patriis ad me portatis ab oris
uertite ad Aenean. stetimus tela aspera contra
contulimusque manus: experto credite quantus
in clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
si duo praeterea talis Idaea tulisset
terra uiros, ultro Inachias uenisset ad urbes
Dardanus et uersis lugeret Graecia fatis.
quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu uictoria Graium
haesit et in decimum uestigia rettulit annum;
ambo animis, ambo insignes praestantibus armis,
hic pietate prior. coeant in foedera dextrae,
qua datur; ast armis concurrant arma cauete."
et responsa simul quae sint, rex optime, regis
audisti et quae sit magno sententia bello.'
    Vix ea legati, uariusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor, ceu saxa morantur
cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur
uicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
ut primum placati animi et trepida ora quierunt,
praefatus diuos solio rex infit ab alto:
    'Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
et uellem et fuerat melius, non tempore tali
cogere concilium, cum muros adsidet hostis.
bellum importunum, ciues, cum gente deorum
inuictisque uiris gerimus, quos nulla fatigant
proelia nec uicti possunt absistere ferro.
spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis,
ponite: spes sibi quisque, sed haec quam angusta uidetis.
cetera qua rerum iaceant perculsa ruina,

MPR

279 diruta **Ra** bellum **MPknryzγ**, *Seru.*, *Prisc. 8, 26 et 10, 12* : bellum est **Rω**, *Tib.* **281** portastis **ω** (*praeter* **aknrv**), *Seru.*, *DSeru. ad u. 243* **288** certatum **M**[A] **294** regis] regum **Ra** (*cf. u. 353*) **300** trepida] rabida **Ra** (*cf. Aen. 6, 102*) quierant **Ra** **304** obsidet **Mbjrv** **307** proelia *dist.* **M**[x]

ante oculos interque manus sunt omnia uestras.
nec quemquam incuso: potuit quae plurima uirtus
esse, fuit; toto certatum est corpore regni.
nunc adeo quae sit dubiae sententia menti
expediam et paucis (animos adhibete) docebo.
est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
longus in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt et uomere duros
exercent colles atque horum asperrima pascunt.
haec omnis regio et celsi plaga pinea montis
cedat amicitiae Teucrorum, et foederis aequas
dicamus leges sociosque in regna uocemus:
considant, si tantus amor, et moenia condant.
sin alios finis aliamque capessere gentem
est animus possuntque solo decedere nostro,
bis denas Italo texamus robore nauis,
seu pluris complere ualent (iacet omnis ad undam
materies): ipsi numerumque modumque carinis
praecipiant, nos aera, manus, naualia demus.
praeterea, qui dicta ferant et foedera firment
centum oratores prima de gente Latinos
ire placet pacisque manu praetendere ramos,
munera portantis aurique eborisque talenta
et sellam regni trabeamque insignia nostri.
consulite in medium et rebus succurrite fessis.’
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
obliqua inuidia stimulisque agitabat amaris,
largus opum et lingua melior, sed frigida bello
dextera, consiliis habitus non futtilis auctor,
seditione potens (genus huic materna superbum
nobilitas dabat, incertum de patre ferebat),

MPR

315 et *del.* **P**^{x}, *om.* **γ**   paucis *dist.* **M**^{A}**P**^{2}; «*aut* paucis docebo *aut* animos paucis adhibete» *DSeru.*   **324** aliamque **MRω** : aliamue **Pbceuvyzγ**, *Tib.*   **325** poscuntque *recc.*   **335** fessis] uestris **Pγ** (*corr.* **γ**^{1})   **338** linguae **P** (*corr.* **P**^{x}), *DSeru.* (*cf. Aen. 1, 441 ‘laetissimus umbrae’*)   **341** ferebat **MP**^{x}**ωγ**, *Seru.*, *Tib.* : ferebant **PRackγ**^{1}

surgit et his onerat dictis atque aggerat iras:
‘rem nulli obscuram nostrae nec uocis egentem
consulis, o bone rex: cuncti se scire fatentur
quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
det libertatem fandi flatusque remittat,
cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros
(dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
lumina tot cecidisse ducum totamque uidemus
consedisse urbem luctu, dum Troia temptat
castra fugae fidens et caelum territat armis.
unum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum,
adicias, nec te ullius uiolentia uincat
quin natam egregio genero dignisque hymenaeis
des pater et pacem hanc aeterno foedere iungas.
quod si tantus habet mentes et pectora terror,
ipsum obtestemur ueniamque oremus ab ipso:
cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.
quid miseros totiens in aperta pericula ciues
proicis, o Latio caput horum et causa malorum?
nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inuiolabile pignus.
primus ego, inuisum quem tu tibi fingis (et esse
nil moror), en supplex uenio. miserere tuorum,
pone animos et pulsus abi. sat funera fusi
uidimus ingentis et desolauimus agros.
aut si fama mouet, si tantum pectore robur

MPR

345 ferat **M**^{A}**PRabkrγ**, *Non. 427, 15, Tib., Prisc. 18, 40* : petat **Mωγ**^{1} **351** fuga **Ra** **353** ducique **γ** (*corr.* **γ**^{1}, *sed rursus* ducique **γ**^{2}) **356** iungas **MPωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 8, 56 al.*) : firmes **M**^{A}**Rakr**, *Seru. hic et ad u. 363* (*cf. u. 330*) **359** cedat *dist.* **M**^{x}, *Asper ap. Seru.* («*id est ‘hanc ueniam oremus ut cedat’*» *DSeru.*), *Tib.* : cedat ius *continuat* **P**, *et hanc distinctionem agnoscit DSeru.* **366** funere **P** (*fide Sabb. et Geym., corr.* **P**$^{(1)}$ *in ras.*; *postea rursus* funere **P**^{2}) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) fusi **M**^{x} (*signum correctionis dein erasum?*) **Rωγ**^{1}, *Seru., Tib.* : fusis **M** : fuso **Pγ** **367** designauimus **Pb?γ** (*corr.* **γ**^{1}) **368** rubor **Mγ** (*corr.* **γ**^{1}), *Tib. in interpr.*

concipis et si adeo dotalis regia cordi est,
aude atque aduersum fidens fer pectus in hostem.
scilicet ut Turno contingat regia coniunx,
nos animae uiles, inhumata infletaque turba,
sternamur campis. etiam tu, si qua tibi uis,
si patrii quid Martis habes, illum aspice contra
qui uocat.'
    Talibus exarsit dictis uiolentia Turni;
dat gemitum rumpitque has imo pectore uoces:
'larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi
tum cum bella manus poscunt, patribusque uocatis
primus ades; sed non replenda est curia uerbis,
quae tuto tibi magna uolant, dum distinet hostem
agger moerorum nec inundant sanguine fossae.
proinde tona eloquio (solitum tibi) meque timoris
argue tu, Drance, quando tot stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit passimque tropaeis
insignis agros. possit quid uiuida uirtus
experiare licet, nec longe scilicet hostes
quaerendi nobis; circumstant undique muros.
imus in aduersos: quid cessas? an tibi Mauors
uentosa in lingua pedibusque fugacibus istis
semper erit?
pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim

MPR

369 et] aut **Mn** adeo est **P** (est *del.* **P**^{x}) **372** infleta inomataque **M** (*corr.* **M**^{A}) **373** sternemur **cefghjuvyzγ**^{1}, *Tib.* et iam *non inscite Heinsius* **378** drances (drance **M**^{x}) semper **M** **381** distinet **Pωγ**, *Seru.*, *Tib.* : detinet **Mxz** : destinat **Ra** (distinet *et* detinet *codd. Prisc. 8, 26*) hostes **M**, *Prisc.* **382** agger **iknrxγ**^{1}, *Tib.*, *Prisc.* : aggere **MPRωγ** (*cf. Aen. 10, 144*) moerorum **MPfgix** : murorum **P**^{x}**Rωγ**, *Tib.*, *Prisc.* (*cf. Aen. 10, 24 et 144*) nec] et (*cf. Aen. 10, 24*) **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) fossae *et* fossas *agnoscit Prisc. 8, 26* (*cf. Aen. 10, 24*) **384** stragis] caedis *Quint. 9, 2, 49* (*cf. u. 207 et Aen. 10, 245*) **386** agros] campos *Seru.* **389** *haud inepte nonnulli edd., Heinsium secuti, rhetorico ex more interrogandi notam post* aduersos *posuerunt* quid] qui **Pcγ** (*corr.* **γ**^{1}) **390** *ante 389 habent* **Ra** **391** nequiquam armis terrebimus hostem *add.* **M** (*del.* **M**^{x}) **393** arguit **M** (*corr.* **M**^{2})

sanguine et Euandri totam cum stirpe uidebit
procubuisse domum atque exutos Arcadas armis?
haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens
et quos mille die uictor sub Tartara misi,
inclusus muris hostilique aggere saeptus.
nulla salus bello? capiti cane talia, demens,
Dardanio rebusque tuis. proinde omnia magno
ne cessa turbare metu atque extollere uires
gentis bis uictae, contra premere arma Latini.
nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt,
[nunc et Tydides et Larisaeus Achilles,]
amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
uel cum se pauidum contra mea iurgia fingit,
artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
numquam animam talem dextra hac (absiste moueri)
amittes: habitet tecum et sit pectore in isto.
nunc ad te et tua magna, pater, consulta reuertor.
si nullam nostris ultra spem ponis in armis,
si tam deserti sumus et semel agmine uerso
funditus occidimus neque habet Fortuna regressum,
oremus pacem et dextras tendamus inertis.
quamquam o si solitae quicquam uirtutis adesset!
ille mihi ante alios fortunatusque laborum
egregiusque animi, qui, ne quid tale uideret,
procubuit moriens et humum semel ore momordit.
sin et opes nobis et adhuc intacta iuuentus
auxilioque urbes Italae populique supersunt,
sin et Troianis cum multo gloria uenit

MPR

396 ingens] urguens **M** (*corr.* **M**$^{A?}$) **404** *u. secl. Klouček*; *hic uersus, qui Aen. 2, 197 iterat, etsi uim orationi addere uidetur, re uera otiosam et ineptam affert sententiam: nam quodam modo Achilles, cum primus sit Myrmidonum, in superiore uersu iam significatus est* **406** fingit] iactat *Quint. 9, 3, 14* (*cf. Aen. 10, 95*) **410** magna **PRachγ** (*cf. u. 469*) : magne **Mω**, *Tib.* **412** semel] simul **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **418** semel **M**^{2}**ωγ**, *Seru.* (« *'cito, confestim'* »), *Tib.* : simul **MRa** : semul **P** momordit **MRωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : momordet *ex* memordet **P** (*ut uid. ex orig.*), momordet **γ**

sanguine (sunt illis sua funera, parque per omnis
tempestas), cur indecores in limine primo
deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
multa dies uariique labor mutabilis aeui
rettulit in melius, multos alterna reuisens
lusit et in solido rursus Fortuna locauit.
non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
at Messapus erit felixque Tolumnius et quos
tot populi misere duces, nec parua sequetur
gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
est et Volscorum egregia de gente Camilla
agmen agens equitum et florentis aere cateruas.
quod si me solum Teucri in certamina poscunt
idque placet tantumque bonis communibus obsto,
non adeo has exosa manus Victoria fugit
ut tanta quicquam pro spe temptare recusem.
ibo animis contra, uel magnum praestet Achillem
factaque Volcani manibus paria induat arma
ille licet. uobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli ueterum uirtute secundus,
deuoui. solum Aeneas uocat? et uocet oro;
nec Drances potius, siue est haec ira deorum,
morte luat, siue est uirtus et gloria, tollat.'
    Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
certantes; castra Aeneas aciemque mouebat.
nuntius ingenti per regia tecta tumultu
ecce ruit magnisque urbem terroribus implet:
instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
extemplo turbati animi concussaque uulgi

MPR

422 suntque **Rab**   illi **n**, *agnoscit Seru.* («*legitur et* illi, *et aut Aeneae intellegimus aut aduerbium loci est pro 'illic'*»)   **425** uariusque **M**^{A}**P**^{2}**cegjkruvyγ** (*corr.* **γ**^{1}), *Non. 380, 40, Macrob. 6, 2, 16, Tib.*   **426** multosque **M**^{A} **430** parua] tarda **i**^{2}**x**, *Seru.* (*cf. georg. 2, 52*)   **431** deiectos **bfhjuvyγ**^{1} **439** induit (*cf. u. 6 et Aen. 9, 180*) **Piγ** (*corr.* **γ**^{1})   **449** a *om.* **M** (*add.* **M**^{A})   **451** animo **Raeu** (ani **M**, mi *add.* **M**^{A})

pectora et arrectae stimulis haud mollibus irae.
arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuuentus,
flent maesti mussantque patres; hic undique clamor
dissensu uario magnus se tollit in auras,
haud secus atque alto in luco cum forte cateruae
consedere auium piscosoue amne Padusae
dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
‘immo,’ ait ‘o ciues,’ arrepto tempore Turnus,
‘cogite concilium et pacem laudate sedentes;
illi armis in regna ruunt.’ nec plura locutus
corripuit sese et tectis citus extulit altis.
‘tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis,
duc’ ait ‘et Rutulos. equitem Messapus in armis
et cum fratre Coras latis diffundite campis.
pars aditus urbis firment turrisque capessant;
cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.’
      Ilicet in muros tota discurritur urbe.
concilium ipse pater et magna incepta Latinus
deserit ac tristi turbatus tempore differt
multaque se incusat qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean generumque adsciuerit urbi.
praefodiunt alii portas aut saxa sudesque
subuectant. bello dat signum rauca cruentum
bucina; tum muros uaria cinxere corona
matronae puerique: uocat labor ultimus omnis.
nec non ad templum summasque ad Palladis arces
subuehitur magna matrum regina caterua
dona ferens, iuxtaque comes Lauinia uirgo,

MPR

455 in] ad **M** **457** piscosoque **P^{1}g** : piscosque **γ** (*corr.* **γ^1**) **461** ruant *e recc. Heinsius, Bentley* **462** portis *Tib. in lemm.* (*sed* tectis *in interpr.*) **463** maniplos **Pγ** (*corr.* **γ^1**) **464** equitem **MPbhiknuxy**, *Asper p. 534, 21, Cledon. 44, 15, Seru., Tib.* (*cf. u. 517*) : equites **P^{2}Rωγ** **466** firment **MRωγ^1**, *DSeru. ad u. 473, Tib.* : firmet **M^{x}Pgnγ** capessant **Rωγ^1**, *Tib.* : capessat **MPnγ** **469** consilium **M** (*corr.* **M^2**) **yγ^1** pater ipse **M** (*ord. rest.* **M^x**) **471** qui] quod **P^1** (*ex* qui *fide Sabb. et Geym.*) **γ** ultro] ante *suspic. Mynors cl. Aen. 12, 612* **472** urbi] ultro *suspic. Mynors cl. Aen. 12, 613*

causa mali tanti, oculos deiecta decoros.
succedunt matres et templum ture uaporant
et maestas alto fundunt de limine uoces:
‘armipotens, praeses belli, Tritonia uirgo,
frange manu telum Phrygii praedonis et ipsum
pronum sterne solo portisque effunde sub altis.’
cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
iamque adeo rutilum thoraca indutus aënis
horrebat squamis surasque incluserat auro,
tempora nudus adhuc, laterique accinxerat ensem
fulgebatque alta decurrens aureus arce
exsultatque animis et spe iam praecipit hostem:
qualis ubi abruptis fugit praesepia uinclis
tandem liber equus, campoque potitus aperto
aut ille in pastus armentaque tendit equarum
aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
emicat arrectisque fremit ceruicibus alte
luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.
  Obuia cui Volscorum acie comitante Camilla
occurrit portisque ab equo regina sub ipsis
desiluit, quam tota cohors imitata relictis
ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
‘Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
solaque Tyrrhenos equites ire obuia contra.
me sine prima manu temptare pericula belli,
tu pedes ad muros subsiste et moenia serua.’
Turnus ad haec oculos horrenda in uirgine fixus:

MPR

480 mali tanti **M**^{x}**Pfginrxγ**, *Seru. ad Aen. 12, 66, DSeru.* (*cf. Aen. 6, 93 et 10, 510*) : mali tantis **Mbz** : malis tantis **Rω**; mali tanti *et* malis tantis *agnoscit Tib.* **483** praeses **MPRadirxzγ**^{1}, *Diom. 446, 29, Seru., Tib.* : praesens **M**^{A}**P**^{1}**ωγ**, *Sac. 461, 3, Arus. 502, 15, Macrob. 5, 3, 10*; *utrumque agnoscit DSeru.* **485** altis] ipsis *Macrob. 5, 3, 10* (*cf. u. 499*) **487** rutilum **Rabiknrx**, *Gell. 2, 6, 22, Macrob. 5, 10, 11 et 6, 7, 18, DSeru. ad Aen. 10, 314* : rutulum **MPωγ**, *Tib.* **498** acies **P** (*corr.* **P**^{x}) **503** et *del.* **P**^{x}, *om.* **γ** (*add.* **γ**^{1}) turma **P**^{x} (*ex* tormae) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) : turmis **Ra** **507** fixis **Mc** (*corr.* **M**^{A}) : fixos **γ**^{1}, *Agroec. 121, 2*

‘o decus Italiae uirgo, quas dicere grates
quasue referre parem? sed nunc, est omnia quando
iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
exploratores, equitum leuia improbus arma
praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis
per deserta iugo superans aduentat ad urbem.
furta paro belli conuexo in tramite siluae,
ut biuias armato obsidam milite fauces.
tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe signis;
tecum acer Messapus erit turmaeque Latinae
Tiburtique manus, ducis et tu concipe curam.’
sic ait et paribus Messapum in proelia dictis
hortatur sociosque duces et pergit in hostem.
 Est curuo anfractu ualles, accommoda fraudi
armorumque dolis, quam densis frondibus atrum
urget utrimque latus, tenuis quo semita ducit
angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.
hanc super in speculis summoque in uertice montis
planities ignota iacet tutique receptus,
seu dextra laeuaque uelis occurrere pugnae
siue instare iugis et grandia uoluere saxa:
huc iuuenis nota fertur regione uiarum
arripuitque locum et siluis insedit iniquis.
 Velocem interea superis in sedibus Opim,
unam ex uirginibus sociis sacraque caterua,
compellabat et has tristis Latonia uoces
ore dabat: ‘graditur bellum ad crudele Camilla,
o uirgo, et nostris nequiquam cingitur armis,

MPR

510 supra] superat **M** (*corr.* **M**^{x}) **515** deuexo *Tib.* **519** tiburtique **M**$^{1?}$**P**^{2}**Racekuvyz** : tiburnique **MPω**, *Seru.*, *Tib.*; *cf. Aen. 7, 671* **524** quo] quos **Rac** : «*legitur et* qua» *Seru.* **526** *ante 525 habent* **ceu** in^{1}] e (*cf. Aen. 4, 586 al.*) **Pfγ** (*corr.* **γ**^{1}) : *om.* **Ra** **527** receptus **MPωγ**^{1} (-ptis **γ**), *Seru.*, *Tib.* : recessus **M**^{A}**Raj**, «*male quidam*» *ap. Seru.* **533** sacris sociaque **Rae** **534** tristi **Ra**

cara mihi ante alias. neque enim nouus iste Dianae
uenit amor subitaque animum dulcedine mouit.
pulsus ob inuidiam regno uirisque superbas
Priuerno antiqua Metabus cum excederet urbe,
infantem fugiens media inter proelia belli
sustulit exilio comitem matrisque uocauit
nomine Casmillae mutata parte Camillam.
ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
solorum nemorum: tela undique saeua premebant
et circumfuso uolitabant milite Volsci.
ecce fugae medio summis Amasenus abundans
spumabat ripis: tantus se nubibus imber
ruperat. ille innare parans infantis amore
tardatur caroque oneri timet. omnia secum
uersanti subito uix haec sententia sedit:
telum immane manu ualida quod forte gerebat
bellator, solidum nodis et robore cocto,
huic natam libro et siluestri subere clausam
implicat atque habilem mediae circumligat hastae;
quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
“alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia uirgo,
ipse pater famulam uoueo; tua prima per auras
tela tenens supplex hostem fugit. accipe, testor,
diua tuam, quae nunc dubiis committitur auris.”
dixit, et adducto contortum hastile lacerto
immittit: sonuere undae, rapidum super amnem
infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
at Metabus, magna propius iam urgente caterua,
dat sese fluuio atque hastam cum uirgine uictor
gramineo, donum Triuiae, de caespite uellit.
non illum tectis ullae, non moenibus urbes

MPR

537–584 neque enim – intemerata colit *secundis curis additos esse post Peerlkamp censuit Ribbeck* **538** subitoque **M** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}$) mouet **euv** **551** uersanti *dist.* $\mathbf{M}^{x}\mathbf{P}^{2}$, *Tib.* : subito *dist. Seru.* **552** ferebat $\mathbf{M}^{A}$ **554** huc **R** (*corr.* $\mathbf{R}^{x}$) **561** contortum] contentum **y**, *Tib.* **566** uellit] tollit (*cf. georg. 4, 273*) **Pγ** (*corr.* γ^{1})

accepere (neque ipse manus feritate dedisset),
pastorum et solis exegit montibus aeuum.
hic natam in dumis interque horrentia lustra
armentalis equae mammis et lacte ferino
nutribat teneris immulgens ubera labris.
utque pedum primis infans uestigia plantis
institerat, iaculo palmas armauit acuto
spiculaque ex umero paruae suspendit et arcum;
pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
tigridis exuuiae per dorsum a uertice pendent.
tela manu iam tum tenera puerilia torsit
et fundam tereti circum caput egit habena
Strymoniamque gruem aut album deiecit olorem.
multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
optauere nurum: sola contenta Diana
aeternum telorum et uirginitatis amorem
intemerata colit. uellem haud correpta fuisset
militia tali conata lacessere Teucros:
cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
uerum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
labere, nympha, polo finisque inuise Latinos,
tristis ubi infausto committitur omine pugna.
haec cape et ultricem pharetra deprome sagittam:
hac, quicumque sacrum uiolarit uulnere corpus,
Tros Italusque, mihi pariter det sanguine poenas.
post ego nube caua miserandae corpus et arma
inspoliata feram tumulo patriaeque reponam.'
dixit; at illa leuis caeli delapsa per auras
insonuit nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat

MPR

568 neque] nec **Ra** **569** et] at *Wakefield* **570** hinc **P** (*corr.* **P**[x]) **574** armauit] onerauit **bix**, *Seru.* (*cf. Aen. 10, 868*) **587** acerbis] iniquis **γ**[1], *Tib.* (*cf. Aen. 10, 380 al.*) **592** italusue **bcfghijkry** (*u. om.* **v**), *Seru.* (italusque *et* italusue *Tib. in interpr., om. in lemm.*); *sed cf. Aen. 1, 574* **595** delapsa **Mfkryz** (dil- **g**) : demissa **PRωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 10, 73 et 12, 635*) : dimissa **bdix**

Etruscique duces equitumque exercitus omnis
compositi numero in turmas. fremit aequore toto
insultans sonipes et pressis pugnat habenis
huc conuersus et huc; tum late ferreus hastis
horret ager campique armis sublimibus ardent.
nec non Messapus contra celeresque Latini
et cum fratre Coras et uirginis ala Camillae
aduersi campo apparent, hastasque reductis
protendunt longe dextris et spicula uibrant,
aduentusque uirum fremitusque ardescit equorum.
iamque intra iactum teli progressus uterque
substiterat: subito erumpunt clamore furentisque
exhortantur equos; fundunt simul undique tela
crebra niuis ritu caelumque obtexitur umbra.
continuo aduersis Tyrrhenus et acer Aconteus
conixi incurrunt hastis primique ruinam
dant sonitu ingenti perfractaque quadrupedantum
pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus
fulminis in morem aut tormento ponderis acti
praecipitat longe et uitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies, uersique Latini
reiciunt parmas et equos ad moenia uertunt;
Troes agunt, princeps turmas inducit Asilas.
iamque propinquabant portis rursusque Latini
clamorem tollunt et mollia colla reflectunt;
hi fugiunt penitusque datis referuntur habenis.

MPR

598 etrurique **P** (*fide Sabb., corr. in ras.* **P**$^{(1)}$) **dr** (-riique **f**), «*quidam*» *ap. DSeru., Tib. in lemm.* (Tyrrhenique *in interpr.*) **601** conuersus **MPγγ** : obuersus **Rωγ**^{1}, *Tib.* **602** armis] hastis **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}), *e u. 601* **605** reductas **M** (*corr.* **M**^{x}) **606** praetendunt **M** (*corr.* **M**$^{A?}$) **gz** **607** *u. secl. Ribbeck* (*cf. u. 911*) **609** substiterat **M**^{A}**Pωγ**, *Tib.* (-rant **bdgr**) : constiterant **M** : substituerant **Ra** **612** aduersis **Pω**, *DSeru., Tib.* (*cf. Aen. 10, 579*) : aduersi **MP**^{x}**Raγ** **613** ruina **P**^{x}**n** **614** sonitu **Rωγ**^{1}, *Tib.* : sonitum **MPuγ** (*cf. Aen. 9, 667 al.*) ingenti **MRωγ**^{1}, *Tib.* : ingentem **Pγ** **616** actus **P**^{1} *in ras.* (*ex* acti *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **619** uertunt] tendunt **b** (*cf. u. 871*)

qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
nunc ruit ad terram scopulosque superiacit unda
spumeus extremamque sinu perfundit harenam,
nunc rapidus retro atque aestu reuoluta resorbens
saxa fugit litusque uado labente relinquit:
bis Tusci Rutulos egere ad moenia uersos,
bis reiecti armis respectant terga tegentes.
tertia sed postquam congressi in proelia totas
implicuere inter se acies legitque uirum uir,
tum uero et gemitus morientum et sanguine in alto
armaque corporaque et permixti caede uirorum
semianimes uoluuntur equi, pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
hastam intorsit equo ferrumque sub aure reliquit;
quo sonipes ictu furit arduus altaque iactat
uulneris impatiens arrecto pectore crura:
uoluitur ille excussus humi. Catillus Iollan
ingentemque animis, ingentem corpore et armis
deicit Herminium, nudo cui uertice fulua
caesaries nudique umeri nec uulnera terrent:
tantus in arma patet. latos huic hasta per armos
acta tremit duplicatque uirum transfixa dolore.
funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
certantes pulchramque petunt per uulnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla,

MPR 644 *desinit* **P**, *subditur* **γ**

624 procurrens **MP**^{1} (*in ras., ex* procumbens *fide Sabb. et Geym.*) **bixγ**, *Tib.* : procumbens **Rω** (*cf. georg. 3, 240*) **625** terras **M** superiacit **Mωγ**^{1}, *Seru.* (superiacet **fgz**, *Tib.*) : superlicit **Pγ** : suberigit **Ra** (*cf. Sil. 15, 155*) unda **MPRabfghkryγ**, *Tib.* : undam **ωγ**^{1}, *Seru.* **627** resoluta **P**^{x} (reusoluta **P**) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) : inuoluta **b?** **628–630** *del.* **P**^{x}, *om.* **γ** (*add.* **γ**^{1}) **629** tusci] teucri **M** (*corr.* **M**^{A}) **631** totasque **gikxz** **633** in alto] largo **b** (*cf. Aen. 12, 721*) **637** relinquit **aeruv** **638** ferit **M** (*corr.* **M**^{x}, *correctionem renouauit al. man.*) **Ra** **640** catillus **chiju** : catthyllus **M** : catthillus **Pr** : cathillus **Rωγ**, *Tib.* : cathyllus **b** (*cf. Aen. 7, 672*) iollan **P**^{x}**ωγ** : iollant **MP** : iollam **M**^{A}**Raeknxz**, *Tib.* : ollam **v** **644** tantum **Ra** **645** fremit **γ** (*corr.* **γ**^{1}) : premit **b**

et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
nunc ualidam dextra rapit indefessa bipennem;
aureus ex umero sonat arcus et arma Dianae.
illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
spicula conuerso fugientia derigit arcu.
at circum lectae comites, Larinaque uirgo
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim,
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla
delegit pacisque bonas bellique ministras:
quales Threiciae cum flumina Thermodontis
pulsant et pictis bellantur Amazones armis,
seu circum Hippolyten seu cum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera uirgo,
deicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunaeum Clytio primum patre, cuius apertum
aduersi longa transuerberat abiete pectus:
sanguinis ille uomens riuos cadit atque cruentam
mandit humum moriensque suo se in uulnere uersat.
tum Lirim Pagasumque super, quorum alter habenas
suffosso reuolutus equo dum colligit, alter
dum subit ac dextram labenti tendit inermem:
praecipites pariterque ruunt. his addit Amastrum

MγR

650 denset **M**$^{A?}$**bdgkx**, *DSeru.* : densat **MγRω**, *Tib.*; *cf. Aen. 10, 432 et 12, 264* **652** umeris **Rae**, *Tib.* **653** in tergum si quando **b**, *Tib.*; *sic Ribbeck, non absurde* in tergum *cum 654* derigit *coniungens; sed* in tergum pulsa *'incursu hostium retroacta' ualet* **654** fulgentia **Race** derigit **MγRa** (degerit **b**, adegerit **d**) : dirigit **γ**^{1}**ω**, *Tib.* **655** at] et **γb** **656** securim **Mγ**^{1}**Rω**, *Tib.* : securem **γy**, *Prisc. 7, 53*; *cf. u. 696* **657** dia **M**^{x} (diua *iterum al. man., ut uid.*) **γdijnvxy**, *schol. Pers. 1, 31, Seru. hic et ad Aen. 12, 83, Tib., Gramm.* : diua **Mγ**^{1}**ω** : dura **Rac?** **658** bonas **Mγr**, *Arus. 494, 9, Tib.* : bonae **γ**^{1}**Rω**, *Seru.* **659** thermodontis **Mbfgiyz**, *Seru.* : thermodoontis **γ**^{1} (termo- **γ**) **Rω**, *Tib.* **660** pictae **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **666** euneum **c**, *Seru.* **669** uulnere] sanguine *Macrob. 4, 6, 14* **671** suffosso **Mbinr**, «*alii*» *ap. Seru.* (*cf. Caes. Gall. 4, 12, 2*; *Tac. ann. 1, 65, 6 et 2, 11, 3*) : suffuso **M**^{A}**Rω** (subfuso **γ**), *Seru.*, *Tib.* **672** inermem **MRanr**, *Tib.* : inertem **γω**; *utrumque agnoscit DSeru. ut uid.*

Hippotaden, sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque Harpalycumque et Demophoonta Chromimque;
quotque emissa manu contorsit spicula uirgo,
tot Phrygii cecidere uiri. procul Ornytus armis
ignotis et equo uenator Iapyge fertur,
cui pellis latos umeros erepta iuuenco
pugnatori operit, caput ingens oris hiatus
et malae texere lupi cum dentibus albis,
agrestisque manus armat sparus; ipse cateruis
uertitur in mediis et toto uertice supra est.
hunc illa exceptum (neque enim labor agmine uerso)
traicit et super haec inimico pectore fatur:
'siluis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
aduenit qui uestra dies muliebribus armis
uerba redargueret. nomen tamen haud leue patrum
manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.'
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
corpora, sed Buten auersum cuspide fixit
loricam galeamque inter, qua colla sedentis
lucent et laeuo dependet parma lacerto,
Orsilochum fugiens magnumque agitata per orbem
eludit gyro interior sequiturque sequentem;
tum ualidam perque arma uiro perque ossa securim
altior exsurgens oranti et multa precanti
congeminat: uulnus calido rigat ora cerebro.
incidit huic subitoque aspectu territus haesit
Appenninicolae bellator filius Auni,
haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
isque ubi se nullo iam cursu euadere pugnae
posse neque instantem reginam auertere cernit,
consilio uersare dolos ingressus et astu

MγR 691 *redit* **P**

674 sequitur quem **ceuv** **684** hunc] nunc **M** (*corr.* **M**²) **688** redargueret **MγRω**, *Tib.* : redarguerat **c** : redarguerit *Prisc. 10, 10* **691** aduersum **ω** (*praeter* **afgknrx**) figit **fg**, *Tib.* **696** securim **MRωγ**¹, *Tib.* : securem **Pγ**; *cf. u. 656* **698** congeminat *dist.* **M**ˣ, *Seru.*; uulnus *dist.* **P**² **703** aduertere **M** (*corr.* **M**ˣ) : uertere **Rab**

incipit haec: 'quid tam egregium si femina forti
fidis equo? dimitte fugam et te comminus aequo
mecum crede solo pugnaeque accinge pedestri:
iam nosces uentosa ferat cui gloria fraudem.'
dixit; at illa furens acrique accensa dolore
tradit equum comiti paribusque resistit in armis
ense pedes nudo puraque interrita parma.
at iuuenis uicisse dolo ratus auolat ipse
(haud mora) conuersisque fugax aufertur habenis
quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
'uane Ligus frustraque animis elate superbis,
nequiquam patrias temptasti lubricus artis,
nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.'
haec fatur uirgo et pernicibus ignea plantis
transit equum cursu frenisque aduersa prehensis
congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:
quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
consequitur pinnis sublimem in nube columbam
comprensamque tenet pedibusque euiscerat uncis;
tum cruor et uulsae labuntur ab aethere plumae.
At non haec nullis hominum sator atque deorum
obseruans oculis summo sedet altus Olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeua
suscitat et stimulis haud mollibus inicit iras.
ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon
fertur equo uariisque instigat uocibus alas
nomine quemque uocans, reficitque in proelia pulsos.
'quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignauia uenit?
femina palantis agit atque haec agmina uertit!
quo ferrum quidue haec gerimus tela inrita dextris?

MPR

707 pugnaque **bd** **708** fraudem **MRai**, «*uera et antiqua lectio*» *iudice Seru.* : laudem **M**$^{\mathbf{A}}$**P**$^{\mathbf{1}}$ (l *in ras., ex* fr *fide Sabb. et Geym.*) **ωγ**, *agnoscit Seru., Tib.* **720** ex] a **ω** (*praeter* **abfgknrxz**); *cf. Aen. 12, 949* **728** inicit **Rω** : incitat **MPbfgrxyzγ**, *Tib.* : incutit *Heinsius* **730** alas] iras **Pγ** (*ex u. 728*) **731** in] ad *Macrob. 6, 1, 34* **735** geritis **ω** (*praeter* **abdf**), *Tib.*

at non in Venerem segnes nocturnaque bella,
aut ubi curua choros indixit tibia Bacchi:
exspectate dapes et plenae pocula mensae
(hic amor, hoc studium) dum sacra secundus haruspex
nuntiet ac lucos uocet hostia pinguis in altos!’
haec effatus equum in medios moriturus et ipse
concitat et Venulo aduersum se turbidus infert
dereptumque ab equo dextra complectitur hostem
et gremium ante suum multa ui concitus aufert.
tollitur in caelum clamor cunctique Latini
conuertere oculos. uolat igneus aequore Tarchon
arma uirumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
defringit ferrum et partis rimatur apertas,
qua uulnus letale ferat; contra ille repugnans
sustinet a iugulo dextram et uim uiribus exit.
utque uolans alte raptum cum fulua draconem
fert aquila implicuitque pedes atque unguibus haesit,
saucius at serpens sinuosa uolumina uersat
arrectisque horret squamis et sibilat ore
arduus insurgens, illa haud minus urget obunco
luctantem rostro, simul aethera uerberat alis:
haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
portat ouans; ducis exemplum euentumque secuti
Maeonidae incurrunt. tum fatis debitus Arruns
uelocem iaculo et multa prior arte Camillam
circuit et quae sit fortuna facillima temptat.
qua se cumque furens medio tulit agmine uirgo,
hac Arruns subit et tacitus uestigia lustrat;

MPR 736 *desinit* **P**, *subditur* **γ** 756 *desinit* **R**, *subditur* **a**

737 induxit *Tib.* *post* Bacchi *dist.* **M**ˣ, *Tib.*, *fortiter dist. Klouček* **738** exspectare *recc.*; «exspectate *pro ‘exspectatis’*» *Seru.*; *imperatiuo modo inest mordacitas* mensae] dextrae **γ** (*corr.* **γ**¹) **739** «hic – studium *per parenthesin dictum est*» *DSeru.* **741** et ipse] in hostis **γ** (*cf. Aen. 2, 511 et 9, 554*) **742** turbidus] feruidus *Tib.* infert **Mω**, *Seru. ad u. 814* : offert **γRa**, *Tib.* **750** a] e **γ** (*corr.* **γ**¹) **755** obunco **Mγω** : adunco **Raruvz** : abunco **bdeh** (*item uariant codd. Macrob. 5, 13, 28*); *cf. Aen. 6, 597* **757** Tarchon] raptam *Seru. ad Aen. 8, 9* **759** fatis tum **aev** (fatis tantum **u**)

qua uictrix redit illa pedemque ex hoste reportat,
hac iuuenis furtim celeris detorquet habenas;
hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat
undique circuitum et certam quatit improbus hastam.
    Forte sacer Cybelo Chloreus olimque sacerdos
insignis longe Phrygiis fulgebat in armis
spumantemque agitabat equum, quem pellis aënis
in plumam squamis auro conserta tegebat.
ipse peregrina ferrugine clarus et ostro
spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
aureus ex umeris erat arcus et aurea uati
cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
carbaseos fuluo in nodum collegerat auro,
pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.
hunc uirgo, siue ut templis praefigeret arma
Troia, captiuo siue ut se ferret in auro
uenatrix, unum ex omni certamine pugnae
caeca sequebatur totumque incauta per agmen
femineo praedae et spoliorum ardebat amore,
telum ex insidiis cum tandem tempore capto
concitat et superos Arruns sic uoce precatur:
'summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
pascitur, et medium freti pietate per ignem
cultores multa premimus uestigia pruna,
da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
omnipotens. non exuuias pulsaeue tropaeum
uirginis aut spolia ulla peto (mihi cetera laudem
facta ferent): haec dira meo dum uulnere pestis
pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.'

Mγa 783 *redit* **P** 793 *redit* **R**

766 iamque] atque **γ** **768** cybelo **Maω**, *Seru.* (« *montem pro numine quod in eo colitur posuit* »), *Tib.* : cybele **γyz** : cybeli **n** : cybelae *Macrob. 5, 1, 12*; *cf. Aen. 3, 111* choreus **M**, *Macrob.* **774** umero **γ** (*cf. u. 652*) erat] sonat **γa**^{2}**cdfghijxz** (*cf. u. 652*) **781** incauta] incensa **dhij** (*cf. Aen. 4, 300*) **784** conicit **a**^{2}**cdfghijxz** (*cf. Aen. 9, 411 et 10, 646*) **786** primis **P** (*corr.* **P**^{x}) : primum *recc.* **789** aboleri **M**^{x}**Pωγ**, *Seru. ad u. 592*, *Tib.* : abolere **Macefuv** **792** ferant **duz**

Audiit et uoti Phoebus succedere partem
mente dedit, partem uolucris dispersit in auras:
sterneret ut subita turbatam morte Camillam
adnuit oranti; reducem ut patria alta uideret
non dedit, inque Notos uocem uertere procellae.
ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
conuertere animos acris oculosque tulere
cuncti ad reginam Volsci. nihil ipsa nec aurae
nec sonitus memor aut uenientis ab aethere teli,
hasta sub exsertam donec perlata papillam
haesit uirgineumque alte bibit acta cruorem.
concurrunt trepidae comites dominamque ruentem
suscipiunt. fugit ante omnis exterritus Arruns
laetitia mixtoque metu, nec iam amplius hastae
credere nec telis occurrere uirginis audet.
ac uelut ille, prius quam tela inimica sequantur,
continuo in montis sese auius abdidit altos
occiso pastore lupus magnoue iuuenco,
conscius audacis facti, caudamque remulcens
subiecit pauitantem utero siluasque petiuit:
haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns
contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
illa manu moriens telum trahit, ossa sed inter
ferreus ad costas alto stat uulnere mucro.
labitur exsanguis, labuntur frigida leto
lumina, purpureus quondam color ora reliquit.
tum sic exspirans Accam ex aequalibus unam
adloquitur, fida ante alias quae sola Camillae

MPR

794 uotis **j**, *Macrob. 5, 3, 7, Tib.* partim **c**, *Tib.* **795** partim *Tib.* (patrim **c**) **799** ut] ubi **M** (*corr.* **M**^{2}); *cf. Aen. 4, 474* **801** nec] neque **cdfghikxz**, *Seru.* aurae **MPRωγ**, *Tib.* : auras (*cf. uu. 795 et 799*) **di**, «*antiqua lectio*» *teste Seru.* (*qui* auras *ut genetiuum singularem intellegit*) **818** leto] telo «*alii*» *ap. Seru.*; *cf. Aen. 12, 916* **819** relinquit **c** **821** fida **MRωγ**^{1}, *DSeru. ad Aen. 3, 321* : fidam **M**$^{A?}$**Pγ** (fidem **b**), *Tib.*

quicum partiri curas, atque haec ita fatur:
'hactenus, Acca soror, potui: nunc uulnus acerbum
conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
effuge et haec Turno mandata nouissima perfer:
succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
iamque uale.' simul his dictis linquebat habenas
ad terram non sponte fluens. tum frigida toto
paulatim exsoluit se corpore lentaque colla
et captum leto posuit caput: arma relinquunt,
uitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
tum uero immensus surgens ferit aurea clamor
sidera: deiecta crudescit pugna Camilla;
incurrunt densi simul omnis copia Teucrum
Tyrrhenique duces Euandrique Arcades alae.
At Triuiae custos iamdudum in montibus Opis
alta sedet summis spectatque interrita pugnas.
utque procul medio iuuenum in clamore furentum
prospexit tristi multatam morte Camillam,
ingemuitque deditque has imo pectore uoces:
'heu nimium, uirgo, nimium crudele luisti
supplicium, Teucros conata lacessere bello!
nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam

MPR

822 quicum **MRabdi**$\boldsymbol{\gamma}^1$, *schol. Bemb. ad Ter. Ad. 477, DSeru. ad Aen. 1, 37, Tib., Gramm.* : quacum $\mathbf{P}^{(1)}$ (a *in ras., ex* m *fide Sabb. et Geym.*) **ω** (quamcum **γ**) partiri *ut infin. hist. intelligendum, cf. Aen. 4, 422* atque haec] solet atque *recc.* (haec *om. Arus. 504, 26*) **826** urbe $\mathbf{MP}^2\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Tib.* : urbi **PRa** **830** relinquunt *Probus et «alii» ap. DSeru.* (*«Probus hypallagen uult esse uel contrarium, ut ipsa relinquat; alii* arma relinquunt *cum laude dictum accipiunt, id est illa decidebant e manibus Camillae exanimis»*), *Tib.* : relinquit **M** : reliquit **P** (*ut uid.*) **Ra** : relinquens $\mathbf{M}^2\mathbf{P}^2$ (reliquens $\mathbf{P}^1$, n *in ras.*) **ωγ**, *DSeru.*; *haud aliter 'relinquunt' uim absolutam habere mihi uidetur in Aen. 6, 444 'curae non ipsa in morte relinquunt'* **834** concurrunt **Rae** **835** tyrrhenumque **M** (*cf. u. 171*) **838** iuenem (iuenum $\mathbf{P}^2$) medio **P** : iuuenum medio **γ** (iuuenem medio $\boldsymbol{\gamma}^1$) : medio iuuenem **b** furentem $\mathbf{M}^A$ (furente **M**) $\mathbf{b}\boldsymbol{\gamma}^1$, *Tib. in interpr.* **839** multatam $\boldsymbol{\omega\gamma}^1$ (*Camilla dicitur nimis crudeliter punita esse pro feminea leuitate*; *cf. u. 841* luisti) : mulcatam **MPRa?bdrγ**, *DSeru.* (mulcata *Tib.*); *cf. et Apul. met. 3, 26 'morte multata Photide'*

profuit aut nostras umero gessisse pharetras.
non tamen indecorem tua te regina reliquit
extrema iam in morte, neque hoc sine nomine letum
per gentis erit aut famam patieris inultae.
nam quicumque tuum uiolauit uulnere corpus
morte luet merita.’ fuit ingens monte sub alto
regis Dercenni terreno ex aggere bustum
antiqui Laurentis opacaque ilice tectum:
hic dea se primum rapido pulcherrima nisu
sistit et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
ut uidit laetantem animis ac uana tumentem:
‘cur’ inquit ‘diuersus abis? huc derige gressum,
huc periture ueni, capias ut digna Camillae
praemia. tune etiam telis moriere Dianae?’
dixit et aurata uolucrem Threissa sagittam
deprompsit pharetra cornuque infensa tetendit
et duxit longe, donec curuata coirent
inter se capita et manibus iam tangeret aequis,
laeua aciem ferri, dextra neruoque papillam.
extemplo teli stridorem aurasque sonantis
audiit una Arruns haesitque in corpore ferrum.
illum exspirantem socii atque extrema gementem
obliti ignoto camporum in puluere linquunt;
Opis ad aetherium pinnis aufertur Olympum.
    Prima fugit domina amissa leuis ala Camillae,
turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
disiectique duces desolatique manipli
tuta petunt et equis auersi ad moenia tendunt.
nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
sustentare ualet telis aut sistere contra,

MPR 858 *redit* **F**

844 pharetras **PRωγ** : sagittas **Mchiknrxyz** **845** reliquit **MRafgin**, *Prisc. 6, 47* : relinquet **Pωγ** : relinquit **r**, *Tib.* **846** neque] nec **Ran** numine **efhj** (lum-z) **852** dea] ea **M** (*corr.* **M**^{A}) **854** laetantem animis **M** : fulgentem armis **M**^{A}**PRωγ**, *Tib.* (*cf. u. 769*) **855** dirige **cfgiknxzγ**^{1}, *Tib.* **856** camilla **Ra** **860** et duxit] eduxit **bn** : adduxit *Macrob. 5, 3, 2* **861** tenderet **bd** **870** disiectique] defectique **M** (*corr.* **M**^{A}) **871** equos **Pfgγ** aduersi **cegv**

sed laxos referunt umeris languentibus arcus,
quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
uoluitur ad muros caligine turbidus atra
puluis, et e speculis percussae pectora matres
femineum clamorem ad caeli sidera tollunt.
qui cursu portas primi inrupere patentis,
hos inimica super mixto premit agmine turba;
nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
moenibus in patriis atque inter tuta domorum
confixi exspirant animas. pars claudere portas,
nec sociis aperire uiam nec moenibus audent
accipere orantis, oriturque miserrima caedes
defendentum armis aditus inque arma ruentum.
exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
pars in praecipitis fossas urgente ruina
uoluitur, immissis pars caeca et concita frenis
arietat in portas et duros obice postis.
ipsae de muris summo certamine matres
(monstrat amor uerus patriae), ut uidere Camillam,
tela manu trepidae iaciunt ac robore duro
stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.
　Interea Turnum in siluis saeuissimus implet
nuntius et iuueni ingentem fert Acca tumultum:
deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
ingruere infensos hostis et Marte secundo
omnia corripuisse, metum iam ad moenia ferri.
ille furens (et saeua Iouis sic numina poscunt)
deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
uix e conspectu exierat campumque tenebat,

FMPR 895 *desinit* **F**

875 quadrupedumque **Mfgixz** (quadrip- **M**^{2}**Pωγ**) : quadripedoque **FRanr**, *Tib.* : quadripedemque **F**^{2} **877** e *om.* **FMbr** (*add.* **F**^{2}**M**$^{A?}$) speculis] muris **cdfgijkxz** **882** inter **FPωγ**, *Macrob. 4, 3, 12*, *Tib.* : intra **MRaeuvz** **892** uersus **Ra** ut – Camillam *secl. Brunck* **895** audent **M**^{2}**ω** (*praeter* **anr**) **γ**^{1}, *Seru.* (*cf. u. 884*) **900** metum *dist.* **P**^{2} **901** poscunt **MPωγ**, *Seru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 4, 614 et 8, 512*) : pellunt **Ra** **903** camposque **M** (*corr.* **M**^{A})

cum pater Aeneas saltus ingressus apertos
exsuperatque iugum siluaque euadit opaca.
sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
agmine nec longis inter se passibus absunt;
ac simul Aeneas fumantis puluere campos
prospexit longe Laurentiaque agmina uidit,
et saeuum Aenean agnouit Turnus in armis
aduentumque pedum flatusque audiuit equorum.
continuoque ineant pugnas et proelia temptent,
ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero
tingat equos noctemque die labente reducat.
considunt castris ante urbem et moenia uallant.

MPR

908 ac simul] tum pater **PRaeuvγ** (*corr.* **γ**^{1}); *cf. u. 904* **909** conspexit **b** **910** agnouit] conspexit **Pγ** **911** aduentusque **Mjr**, *Tib.* (*cf. u. 607*) pedum] uirum *Tib.* flatumque **Raev** **912** ineunt **Mb** (*corr.* **M**^{A}) temptant **cgγ**

LIBER XII

Turnus ut infractos aduerso Marte Latinos
defecisse uidet, sua nunc promissa reposci,
se signari oculis, ultro implacabilis ardet
attollitque animos. Poenorum qualis in aruis
saucius ille graui uenantum uulnere pectus
tum demum mouet arma leo gaudetque comantis
excutiens ceruice toros fixumque latronis
impauidus frangit telum et fremit ore cruento:
haud secus accenso gliscit uiolentia Turno.
tum sic adfatur regem atque ita turbidus infit:
'nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
ignaui Aeneadae, nec quae pepigere recusent:
congredior. fer sacra, pater, et concipe foedus.
aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
desertorem Asiae (sedeant spectentque Latini),
et solus ferro crimen commune refellam,
aut habeat uictos, cedat Lauinia coniunx.'
Olli sedato respondit corde Latinus:
'o praestans animi iuuenis, quantum ipse feroci
uirtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
consulere atque omnis metuentem expendere casus.
sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
multa manu, nec non aurumque animusque Latino est;
sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus aruis
nec genus indecores. sine me haec haud mollia fatu
sublatis aperire dolis, simul hoc animo hauri:
me natam nulli ueterum sociare procorum

MPR

2 nunc] iam *Diom. 495, 11 et 497, 17* **16** crimen ferro **Raceuv** **17** uictor **c?f?** **21** causas *Macrob. 6, 2, 17* **22–23** multa capta *DSeru. ad Aen. 11, 224*, *Tib.* **24** aruis **M**, *Seru.* (*cf. Sil. 13, 60*) : agris **PRωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 11, 431*) **25** haud haec **cdfghjkxz**, *Non. 319, 28* (*aliter 385, 22*) fata **M** (*corr.* **M**[1]) : fatis **fgku?xyz** **26** simul – hauri *post Peerlkamp secl. Goold*

fas erat idque omnes diuique hominesque canebant.
uictus amore tui, cognato sanguine uictus
coniugis et maestae lacrimis, uincla omnia rupi:
promissam eripui genero, arma impia sumpsi.
ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
bella, uides, quantos primus patiare labores.
bis magna uicti pugna, uix urbe tuemur
spes Italas; recalent nostro Thybrina fluenta
sanguine adhuc campique ingentes ossibus albent.
quo referor totiens? quae mentem insania mutat?
si Turno exstincto socios sum adscire paratus,
cur non incolumi potius certamina tollo?
quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te (fors dicta refutet!)
prodiderim, natam et conubia nostra petentem?
respice res bello uarias; miserere parentis
longaeui, quem nunc maestum patria Ardea longe
diuidit.' haudquaquam dictis uiolentia Turni
flectitur: exsuperat magis aegrescitque medendo.
ut primum fari potuit, sic institit ore:
'quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
deponas letumque sinas pro laude pacisci.
et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
spargimus, et nostro sequitur de uulnere sanguis;
longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
feminea tegat et uanis sese occulat umbris.'

MPR 46 *desinit* **P***, subditur* **γ**

33 patiare **M**^{A}**Pωγ**, *Tib.* : patiere **MRaeuvz** **35** thybrina **MPRanrγ**, *Seru. ad Aen. 6, 87* : thyberina (thib-, tyb-) **ωγ**^{1} : tiberina **gi**, *Char. 269, 26*, *Tib.* **40** dicit **Ra** **46** ardescitque tuendo (*cf. Aen. 1, 713*) **M** (aegrescitq⟨ue⟩ *mutilum in mg.* **M**^{A}) **47** institit] incipit **Mγ**^{1}**n**, *Don. ad Ter. Hec. 745* (*cf. u. 692*) **53** et] ut *Schrader*; *at uu. 52–53 dicolon abundans efficiunt quod uidelicet unum et eundem sensum bis profert, subiecto tamen per anacoluthon uariato* (*i.e. 'Venus tegat fugacem nube et Aeneas sese occulat umbris'*); *ex* illi (*u. 52*) *supple 'ille': nam hemistichium* uanis sese occulat umbris *non nisi ad Aenean spectat, quem ut fraudolento auxilio matris egentem Turnus spernit superbe*; *cf. Aen. 5, 810 'nube caua rapui'* (*de Aenea ope diuina seruato*). *Vide Conte, 'Critical Notes', 55–58*

At regina noua pugnae conterrita sorte
flebat et ardentem generum moritura tenebat:
'Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
tangit honos animum – spes tu nunc una, senectae
tu requies miserae, decus imperiumque Latini
te penes, in te omnis domus inclinata recumbit –
unum oro: desiste manum committere Teucris.
qui te cumque manent isto certamine casus
et me, Turne, manent; simul haec inuisa relinquam
lumina nec generum Aenean captiua uidebo.'
accepit uocem lacrimis Lauinia matris
flagrantis perfusa genas, cui plurimus ignem
subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo ueluti uiolauerit ostro
si quis ebur aut mixta rubent ubi lilia multa
alba rosa, talis uirgo dabat ore colores.
illum turbat amor figitque in uirgine uultus;
ardet in arma magis paucisque adfatur Amatam:
'ne, quaeso, ne me lacrimis neue omine tanto
prosequere in duri certamina Martis euntem,
o mater; neque enim Turno mora libera mortis.
nuntius haec, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno
haud placitura refer: cum primum crastina caelo
puniceis inuecta rotis Aurora rubebit,
non Teucros agat in Rutulos, Teucrum arma quiescant
et Rutuli; nostro dirimamus sanguine bellum,
illo quaeratur coniunx Lauinia campo.'
Haec ubi dicta dedit rapidusque in tecta recessit,
poscit equos gaudetque tuens ante ora frementis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
qui candore niues anteirent, cursibus auras.
circumstant properi aurigae manibusque lacessunt

MγR

55 monitura *Ribbeck* **76** refer **Mγ¹Rackruvy**, *Mar. Vict. 15, 26* : refert **γω**, *Tib.* **79** rutulum **γijz** **81** rapidusque] rapidus *Cunningham, Brunck* **84** niues *dist.* **Mˣ** **85** properi **Mγ¹ω**, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 9, 488*, *Tib.* (*cf. Sil. 12, 170*) : propere **γRab?**

pectora plausa cauis et colla comantia pectunt.
ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
circumdat loricam umeris, simul aptat habendo
ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae,
ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
fecerat et Stygia candentem tinxerat unda.
exim quae mediis ingenti adnixa columnae
aedibus adstabat, ualidam ui corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem
uociferans: ‘nunc, o numquam frustrata uocatus
hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
te Turni nunc dextra gerit; da sternere corpus
loricamque manu ualida lacerare reuulsam
semiuiri Phrygis et foedare in puluere crinis
uibratos calido ferro murraque madentis.’
his agitur furiis, totoque ardentis ab ore
scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis:
mugitus ueluti cum prima in proelia taurus
terrificos ciet aut irasci in cornua temptat
arboris obnixus trunco, uentosque lacessit
ictibus aut sparsa ad pugnam proludit harena.
    Nec minus interea maternis saeuus in armis
Aeneas acuit Martem et se suscitat ira,
oblato gaudens componi foedere bellum.
tum socios maestique metum solatur Iuli,
fata docens, regique iubet responsa Latino
certa referre uiros et pacis dicere leges.
    Postera uix summos spargebat lumine montis

MγR 93 *redit* **P**

86 plausa] pulsa **γj** : clausa **dn** petunt **Ra** **92** columna **γbfghkrxyz**, *Arus. 455, 19*, *Tib.* **96** auctor **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **100** cadentis **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **101** ardentis] loquentis **P** (*fide Sabb. et Geym.*, *corr.* **P**^{1} *in ras.*), *Macrob. 4, 1, 2*, *Tib.* (*cf. Aen. 7, 118*) **102** absistunt **MP**^{1} *in ras.* (*ex* existunt, *fide Sabb. et Geym.*) **ωγ**, *Macrob.*, *Seru. ad u. 95*, *Tib.* : exsistunt **Ra** **103** prima **M**$^{A?}$**Pωγ** : primam **M** : primum **Raf**, *Tib.* : primus **g** **104** aut **M**^{A}**PRabfknryγ**, *Tib.* : atque **Mωγ**^{1} (*cf. georg. 3, 232*) **113** summos **PRacdeuvγ**, *Tib.* : summo **Mω**, *Diom. 449, 28*, *DSeru.* lumina **P** (*corr.* **P**$^{1?}$) montis] terras **b**, *Diom.* (*cf. Aen. 4, 584 et 9, 459*)

orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi lucemque elatis naribus efflant:
campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
dimensi Rutulique uiri Teucrique parabant
in medioque focos et dis communibus aras
gramineas; alii fontemque ignemque ferebant
uelati limo et uerbena tempora uincti.
procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
agmina se fundunt portis. hinc Troius omnis
Tyrrhenusque ruit uariis exercitus armis,
haud secus instructi ferro quam si aspera Martis
pugna uocet. nec non mediis in milibus ipsi
ductores auro uolitant ostroque superbi,
et genus Assaraci Mnestheus et fortis Asilas
et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
defigunt tellure hastas et scuta reclinant.
tum studio effusae matres et uulgus inermum
inualidique senes turris ac tecta domorum
obsedere, alii portis sublimibus adstant.
At Iuno e summo (qui nunc Albanus habetur;
tum neque nomen erat neque honos aut gloria monti)
prospiciens tumulo campum aspectabat et ambas
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
extemplo Turni sic est adfata sororem
diua deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
praesidet (hunc illi rex aetheris altus honorem
Iuppiter erepta pro uirginitate sacrauit):

MPR

117 demensi **Mcehjvyγ** (*corr.* **γ**^{1}) **120** limo **z**, *Caper et Hyginus ap. Seru.* (« *limus … est uestis qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum* ») : lino *cett.*, *DSeru. ad u. 169*, *Tib.* **122** hic **Ra** **124** ferro] bello **M** **126** superbi **M** : decori **PRωγ**, *Tib.* (*cf. Aen. 5, 133*) **130** tellure **MPωγ**, *Arus. 467, 11*, *DSeru. ad u. 121* (*cf. Aen. 6, 652*) : telluri **Racefjkruv**, *Seru. ad u. 563*, *Tib.* (*cf. georg. 2, 290*) **132** ac **PRabevγ** (hac **u**), *Tib. in interpr.* : et **Mω**, *Tib. in lemm.* **133** instant **Ra** **134** e **MP**^{x}**γ**, *Tib. in interpr.* : ex **PRω**, *Tib. in lemm.* **135** neque^2] nec **Mfgr?z** montis **cn** **136** spectabat **dijknxy**

‘nympha, decus fluuiorum, animo gratissima nostro,
scis ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile,
praetulerim caelique libens in parte locarim:
disce tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem.
qua uisa est Fortuna pati Parcaeque sinebant
cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi;
nunc iuuenem imparibus uideo concurrere fatis,
Parcarumque dies et uis inimica propinquat.
non pugnam aspicere hanc oculis, non foedera possum.
tu pro germano si quid praesentius audes,
perge: decet. forsan miseros meliora sequentur.’
uix ea, cum lacrimas oculis Iuturna profudit
terque quaterque manu pectus percussit honestum.
‘non lacrimis hoc tempus’ ait Saturnia Iuno:
‘accelera et fratrem, si quis modus, eripe morti:
aut tu bella cie conceptumque excute foedus:
auctor ego audendi.’ sic exhortata reliquit
incertam et tristi turbatam uulnere mentis.
    Interea reges, ingenti mole Latinus
quadriiugo uehitur curru (cui tempora circum
aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis aui specimen), bigis it Turnus in albis,
bina manu lato crispans hastilia ferro;
hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis
et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
procedunt castris, puraque in ueste sacerdos

MPR

142 gratissima **Mω**, *Seru.*, *Tib.* : carissima **PRabγ** **143** latinis **P**^{1} *in ras.* (*ex* latinae, *fide Sabb. et Geym.*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **146** ne] nec **Raeuv** **147** qua] quoad *Arus. 505, 1, «quidam» ap. DSeru.* **149** fatis] telis **fgγ**^{1}, *Tib.* (*cf. georg. 1, 489*) **150** uis] lux *Macrob. 5, 13, 39* (*cf. Aen. 9, 355*) **152** praestantius *Tib. in lemm.*; *cf. u. 245* **154** profudit **M**^{x}**Pωγ**, *DSeru.*, *Tib.* (*cf. Aen. 2, 692–694 et 6, 190–192*) : profundit **Mj** : profugit **Ra** **161** interea] continuo *Gramm.* (*praeter Sac. 456, 9*) rex ingenti de mole **M** (*corr.* **M**^{2}) **162** quadrigo **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **166** hinc] tum *Char. 280, 6, Diom. 443, 26* **168** magna **γ**, *Char.*, *Diom.*, «*male quidam*» *ap. Seru.*

saetigeri fetum suis intonsamque bidentem
attulit admouitque pecus flagrantibus aris.
illi ad surgentem conuersi lumina solem
dant fruges manibus salsas et tempora ferro
summa notant pecudum paterisque altaria libant.
    Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
'esto nunc Sol testis et haec mihi terra uocanti,
quam propter tantos potui perferre labores,
et pater omnipotens et tu Saturnia coniunx
(iam melior, iam, diua, precor), tuque inclute Mauors,
cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
fontisque fluuiosque uoco quaeque aetheris alti
religio et quae caeruleo sunt numina ponto:
cesserit Ausonio si fors uictoria Turno,
conuenit Euandri uictos discedere ad urbem,
cedet Iulus agris, nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent ferroue haec regna lacessent.
sin nostrum adnuerit nobis uictoria Martem
(ut potius reor et potius di numine firment),
non ego nec Teucris Italos parere iubebo
nec mihi regna peto: paribus se legibus ambae
inuictae gentes aeterna in foedera mittant.
sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,
imperium sollemne socer; mihi moenia Teucri
constituent urbique dabit Lauinia nomen.'
    Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus
suspiciens caelum tenditque ad sidera dextram:
'haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, iuro
Latonaeque genus duplex Ianumque bifrontem
uimque deum infernam et duri sacraria Ditis;

MPR

176 uocanti **PRωγ** : precanti **M**^{x} (praec- **M**) **ch?ikzγ**^{1}, *Seru.*, *DSeru.*, *Tib.* **178** coniunx **PRabfgjxγ**, *Tib.* : Iuno **Mωγ**^{1}, *Seru. ad u. 176* (*cf. u. 156*) **184** decedere **M** (descedere **M**^{A}) : descendere **j** (discendere **g**) **185** cedat **Raeuv** **186** ferroque **bγ** **187** si **Raegjn**, *DSeru. ad u. 176*, *Tib.* **188** et] ut **M** (*corr.* **M**^{A}) potius^{2}] propius **Ra** (*cf. Aen. 8, 78*) numina **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* numine, *fide Sabb. et Geym.*) **Raγ** **191** mittent **g**, *Tib.*

audiat haec genitor qui foedera fulmine sancit.
tango aras, medios ignis et numina testor:
nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet,
quo res cumque cadent; nec me uis ulla uolentem
auertet, non, si tellurem effundat in undas
diluuio miscens caelumque in Tartara soluat,
ut sceptrum hoc' (dextra sceptrum nam forte gerebat)
'numquam fronde leui fundet uirgulta nec umbras,
cum semel in siluis imo de stirpe recisum
matre caret posuitque comas et bracchia ferro,
olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
inclusit patribusque dedit gestare Latinis.'
talibus inter se firmabant foedera dictis
conspectu in medio procerum. tum rite sacratas
in flammam iugulant pecudes et uiscera uiuis
eripiunt cumulantque oneratis lancibus aras.
    At uero Rutulis impar ea pugna uideri
iamdudum et uario misceri pectora motu,
tum magis ut propius cernunt [non uiribus aequis].
adiuuat incessu tacito progressus et aram
suppliciter uenerans demisso lumine Turnus
pubentesque genae et iuuenali in corpore pallor.
quem simul ac Iuturna soror crebrescere uidit
sermonem et uulgi uariare labantia corda,
in medias acies formam adsimulata Camerti
(cui genus a proauis ingens clarumque paternae

MPR

202 rumpit **P** : rumpat **P**$^{1}\boldsymbol{\gamma}$ **203** cadet **Ran** **204** in] et **M** (*corr.* **M**^{A}) **205** caelumue **bdfghijkxy** **207** fundit **P** (*corr.* **P**^{2}) nec] neque **bnz**, *Macrob. 5, 3, 14* **213** prospectu **M**, *Tib.* in *om.* **MPbn** (*add.* **M**^{A}**P**^{1}); *cf. Aen. 2, 67* **218** *uerba* non uiribus aequis *interpolata esse* (*ex Aen. 5, 809*; *10, 357 et 431*; *cf. etiam u. 230*) *ad tibicinem explendum recte statuit Brunck*; *quae clausula non solum male accommodata uidetur, sed etiam inutiliter iterat u. 216* (impar … pugna) aequis] aequos *Schrader* *post hunc uersum lac. statuit Ribbeck* **219–230** *om.* $\boldsymbol{\gamma}$ (*add.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **219** ingressu **dh**$\boldsymbol{\gamma}^{1}$, *Tib.* et] ad **bdnz** **221** tabentesque **a**^{2}**chkxy**, *Tib.* **222** ac] ut **ω** (*praeter* **abdinz**) $\boldsymbol{\gamma}^{2}$ **223** labentia **Rω** (*praeter* **bdgikx**), *Tib. in lemm.* **224** camertae **f**, *Macrob. 5, 15, 11*, *Prisc. 8, 24 et 28*

nomen erat uirtutis, et ipse acerrimus armis),
in medias dat sese acies haud nescia rerum
rumoresque serit uarios ac talia fatur:
'non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
obiectare animam? numerone an uiribus aequi
non sumus? en, omnes et Troes et Arcades hi sunt,
fatalisque manus, infensa Etruria Turno:
uix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
ille quidem ad superos, quorum se deuouet aris,
succedet fama uiuusque per ora feretur;
nos patria amissa dominis parere superbis
cogemur, qui nunc lenti consedimus aruis.'
Talibus incensa est iuuenum sententia dictis
iam magis atque magis, serpitque per agmina murmur:
ipsi Laurentes mutati ipsique Latini.
qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem
sperabant, nunc arma uolunt foedusque precantur
infectum et Turni sortem miserantur iniquam.
his aliud maius Iuturna adiungit et alto
dat signum caelo, quo non praesentius ullum
turbauit mentes Italas monstroque fefellit;
namque uolans rubra fuluus Iouis ales in aethra
litoreas agitabat aues turbamque sonantem
agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
arrexere animos Itali, cunctaeque uolucres
conuertunt clamore fugam (mirabile uisu),

MPR

229 cunctis pro *Cunningham* **230** ac **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* an, *fide Sabb. et Geym.*) aequis **Phjγ**^{1} (*corr.* **γ**^{2}, *u. om.* **γ**); *cf. u. 218* **231** hi] hinc **Ra** : hic **n** **232** fatalisque **Pωγ**, *Seru.* : fatalesque **MP**^{2}**Rab**, *Tib.* **237** lentis **γ** (*corr.* **γ**^{1}) armis **Mγ** (*corr.* **M**^{A}**γ**^{1}) **238** accensa **k**, *Tib.* **239** iam] tum **Pγ** (*cf. u. 218*) **240** ipsi^{1}] ipsi et **P** (et *del.* **P**^{x}) **245** praesentius **MPbnzγ**, *Seru.*, *Tib. in interpr.* (*cf. u. 152 et georg. 2, 127*) : praestantius **Rω**, *Tib. in lemm.* **247** fuluus rubra **M** (*ord. rest.* **M**^{x}, *correctio postea erasa*) Iouis] acer **P**^{1} *in ras.* (*ex* iouis, *fide Sabb. et Geym.*) **γ**, *unde* sacer (fuluussacer) *susp. Sabbadini cl. Aen. 11, 721* **250** improbus] armiger *Tib.* (*ex Aen. 9, 564*)

aetheraque obscurant pinnis hostemque per auras
facta nube premunt, donec ui uictus et ipso
pondere defecit praedamque ex unguibus ales
proiecit fluuio penitusque in nubila fugit.
  Tum uero augurium Rutuli clamore salutant
expediuntque manus, primusque Tolumnius augur:
'hoc erat, hoc uotis' inquit 'quod saepe petiui.
accipio agnoscoque deos; me, me duce ferrum
corripite, o miseri, quos improbus aduena bello
territat inualidas ut aues, et litora uestra
ui populat. petet ille fugam penitusque profundo
uela dabit; uos unanimi densete cateruas
et regem uobis pugna defendite raptum.'
dixit et aduersos telum contorsit in hostis
procurrens: sonitum dat stridula cornus et auras
certa secat. simul hoc, simul ingens clamor et omnes
turbati cunei calefactaque corda tumultu.
hasta uolans, ut forte nouem pulcherrima fratrum
corpora constiterant contra, quos fida crearat
una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,
horum unum ad medium, teritur qua sutilis aluo
balteus et laterum iuncturas fibula mordet,
egregium forma iuuenem et fulgentibus armis,
transadigit costas fuluaque effundit harena.
at fratres, animosa phalanx accensaque luctu,
pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
corripiunt caecique ruunt. quos agmina contra
procurrunt Laurentum, hinc densi rursus inundant
Troes Agyllinique et pictis Arcades armis:

MPR

254 ipso] ipse **d?fgjz** **261** miseri] rutuli **bcdfghijyz**$\boldsymbol{\gamma}^1$ **264** unanimis **M** (-mes **i**, *DSeru. ad Aen. 11, 650*) : unaanime **Pγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) densete **Rω**, *GLK V, 482, 21*, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 11, 650*, *Tib. ex corr.* : densate **MPdzγ**, *Tib. ante corr.*; *cf. Aen. 10, 432 et 11, 650* **273** mediam **Mi** (*corr.* $\mathbf{M}^{A}$) aluo $\mathbf{P}^{x}$**Rωγ** (aluos **c**, aluum **i**), *Seru.*, *Tib.* : alueo **P** : auro **M** **274** lateri $\mathbf{P}^{(1)}$ (i *in ras.*, *ex* u *fide Sabb. et Geym.*; *sequitur* m *deleta*) **γ** **276** effundit] extendit **fgxyz**$\boldsymbol{\gamma}^1$ (*cf. Aen. 5, 374 et 9, 589*) : effudit *Tib.* **280** hinc] hic **ghj**

sic omnis amor unus habet decernere ferro.
diripuere aras (it toto turbida caelo
tempestas telorum ac ferreus ingruit imber)
craterasque focosque ferunt. fugit ipse Latinus
pulsatos referens infecto foedere diuos.
infrenant alii currus aut corpora saltu
subiciunt in equos et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, auidus confundere foedus,
aduerso proterret equo: ruit ille recedens
et miser oppositis a tergo inuoluitur aris
in caput inque umeros. at feruidus aduolat hasta
Messapus teloque orantem multa trabali
desuper altus equo grauiter ferit atque ita fatur:
‘hoc habet, haec melior magnis data uictima diuis.’
concurrunt Itali spoliantque calentia membra.
obuius ambustum torrem Corynaeus ab ara
corripit et uenienti Ebyso plagamque ferenti
occupat os flammis: olli ingens barba reluxit
nidoremque ambusta dedit. super ipse secutus
caesariem laeua turbati corripit hostis
impressoque genu nitens terrae applicat ipsum;
sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
pastorem primaque acie per tela ruentem
ense sequens nudo superimminet; ille securi
aduersi frontem mediam mentumque reducta
dissicit et sparso late rigat arma cruore.
olli dura quies oculos et ferreus urget
somnus, in aeternam conduntur lumina noctem.

MPR

283 deripuere **euv** it] id **M** (*corr.* **M**^{x}) : et **P**$\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* **P**$^{x}\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **287** aut] et **M**, *Seru. ad georg. 1, 202* **288** et] aut $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) adstant **M**^{A} **290** «*legitur et* auidum, *sed melius* auidus» *Seru.* **291** auerso **M** **297** cadentia **dhj** **299** ebuso **P**, *Macrob. 5, 15, 10, Tib.* **300** olli **M** : illi **PR**$\boldsymbol{\omega\gamma}$, *Tib.* **304** feret **M** (*corr.* **M**^{A}) $\boldsymbol{\gamma}^{2}$: pedit **P** : periit $\boldsymbol{\gamma}$ (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^{1}$) **308** dissicit **M**$^{2}\boldsymbol{\omega}$ (-cet **hi**), *Tib.* : disicit **MP**^{x} (disiicit **P**) $\boldsymbol{\gamma}$: discidit **Ra** cruore] cerebro **b?c** (*cf. Aen. 11, 698*) **310** conduntur **P**, *Tib.* : clauduntur **MR**$\boldsymbol{\omega\gamma}$ (*ex Aen. 10, 746*)

At pius Aeneas dextram tendebat inermem
nudato capite atque suos clamore uocabat:
'quo ruitis? quaeue ista repens discordia surgit?
o cohibete iras! ictum iam foedus et omnes
compositae leges; mihi ius concurrere soli:
me sinite atque auferte metus. ego foedera faxo
firma manu; Turnum debent haec iam mihi sacra.'
has inter uoces, media inter talia uerba
ecce uiro stridens alis adlapsa sagitta est,
incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta,
quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,
attulerit; pressa est insignis gloria facti,
nec sese Aeneae iactauit uulnere quisquam.
Turnus ut Aenean cedentem ex agmine uidit
turbatosque duces, subita spe feruidus ardet:
poscit equos atque arma simul saltuque superbus
emicat in currum et manibus molitur habenas.
multa uirum uolitans dat fortia corpora leto.
semineces uoluit multos: aut agmina curru
proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas.
qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
sanguineus Mauors clipeo increpat atque furentis
bella mouens immittit equos (illi aequore aperto
ante Notos Zephyrumque uolant, gemit ultima pulsu
Thraca pedum circumque atrae Formidinis ora
Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur):
talis equos alacer media inter proelia Turnus
fumantis sudore quatit, miserabile caesis
hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
sanguineos mixtaque cruor calcatur harena.
iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrumque Pholumque,

MPR

311 inertem **M** (*corr.* **M**^{A}); *cf. Aen. 11, 414 et 672* **313** quaeue] quoue **Racenuv** **320** abacta **bd** **321** casusue deusue **M** (*cf. Aen. 9, 211*) **330** aut] et **Ra**, *Diom. 418, 32* **332** increpat **Pωγ**, *Seru.*, *Tib.* (*cf. Sil. 12, 685*) : intonat **MRaeuv**; *cf. Aen. 6, 607*; *8, 527 et 9, 709* furentis] prementi **M** (*corr.* **M**^{A}) : furenti **Ra**

hunc congressus et hunc, illum eminus; eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
nutrierat Lycia, paribusque ornauerat armis,
uel conferre manum uel equo praeuertere uentos.
  Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
antiqui proles bello praeclara Dolonis,
nomine auum referens, animo manibusque parentem,
qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
ausus Pelidae pretium sibi poscere currus;
illum Tydides alio pro talibus ausis
adfecit pretio nec equis adspirat Achillis.
hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
ante leui iaculo longum per inane secutus
sistit equos biiugis et curru desilit atque
semianimi lapsoque superuenit et pede collo
impresso dextrae mucronem extorquet et alto
fulgentem tingit iugulo atque haec insuper addit:
'en agros et, quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens: haec praemia, qui me
ferro ausi temptare, ferunt, sic moenia condunt.'
huic comitem Asbyten coniecta cuspide mittit
Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersilochumque
et sternacis equi lapsum ceruice Thymoeten.
ac uelut Edoni Boreae cum spiritus alto
insonat Aegaeo sequiturque ad litora fluctus,
qua uenti incubuere, fugam dant nubila caelo:

MPR

342 eminus *bis* **M**^{A}**ckvxzγ**^{1} : *semel* **MPRωγ**, *Tib.* ambos **cjkzγ**^{1} **343** embrasidas **P**^{x}**Raeiuvγ** (*corr.* **γ**^{1}) embrasus **P**^{x}**Raeuvγ** **345** uentos] gentes **c?hkxy** **346** eumenides **Raceuv** **352** nec] neque **cdhikxyz**, *Tib.* achillis **PRωγ**, *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 1, 30*, *Tib.* : achilles **Mgh** : achilli **i** (achillei *Heinsius*) **353** conspexit **ω** (*praeter* **aeuv**) **356** lapsoque **MRacefguvγ** (labsoque **P**^{x}), *Tib.* : elapsoque **ω** (elabsoque **P**), *DSeru.* («*pro 'lapso'*») **357** expresso **M** (*corr.* **M**^{A}) dextrae **MPωγ**^{1}, *Seru.*, *Tib.* : dextra **Racenuvγ** **359** petistis **c** : petebas *Pomp. 312, 3* **361** condant **P**$^{(1)}$ *in ras.* (*ex* condunt, *fide Sabb. et Geym.*) **362** asbuten **R**, *Tib.* : asbutem **P** **363** chloreamque **P** (*corr.* **P**^{x}) : chloremque **efgkuvxyz** **365** edonea **M** : edonii **M**$^{2?}$**beγ**^{1} (udonii **γ**), *Donatus ap. Seru.*, *Tib.*, *respuit Seru.*

sic Turno, quacumque uiam secat, agmina cedunt
conuersaeque ruunt acies; fert impetus ipsum
et cristam aduerso curru quatit aura uolantem.
non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
obiecit sese ad currum et spumantia frenis
ora citatorum dextra detorsit equorum.
dum trahitur pendetque iugis, hunc lata retectum
lancea consequitur rumpitque infixa bilicem
loricam et summum degustat uulnere corpus.
ille tamen clipeo obiecto conuersus in hostem
ibat et auxilium ducto mucrone petebat,
cum rota praecipitem et procursu concitus axis
impulit effunditque solo; Turnusque secutus
imam inter galeam summi thoracis et oras
abstulit ense caput truncumque reliquit harenae.
Atque ea dum campis uictor dat funera Turnus,
interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
alternos longa nitentem cuspide gressus.
saeuit et infracta luctatur harundine telum
eripere auxilioque uiam, quae proxima, poscit:
ense secent lato uulnus telique latebram
rescindant penitus seseque in bella remittant.
iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx
Iasides, acri quondam cui captus amore
ipse suas artes, sua munera, laetus Apollo
augurium citharamque dabat celerisque sagittas.
ille, ut depositi proferret fata parentis,
scire potestates herbarum usumque medendi

MPR

371 *post* Phegeus *dist. edd. aliquot*, animisque frementem *ad 372* sese *referentes* **374** hunc **Mω**, *Tib.* : huic **Pγ** : hic **Rafg** : hinc **d** **378** ducto] ducto a **Rae** : stricto *Tib.* **379** cum] quem **cdjγ¹** **380** effuditque **Racegjvzγ** **382** harenae **MP**, *Seru. ad Aen. 11, 87*, *Tib.* : harena **Rωγ** **385** comes **MPωγ** : puer **Raejv**, *Tib.* (*cf. Aen. 2, 598 al.*) **389** latebram **PRωγ**, *Tib.* : latebras **Mb?d** (*cf. Aen. 10, 601*) **394** dedit **M** (dedi **γ**, *corr.* **γ¹**), *ps. Acro ad Hor. carm. saec. 61*, *Seru. ad georg. 2, 486*, *respuit Seru. hic*

maluit et mutas agitare inglorius artes.
stabat acerba fremens ingentem nixus in hastam
Aeneas magno iuuenum et maerentis Iuli
concursu, lacrimis immobilis. ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu
multa manu medica Phoebique potentibus herbis
nequiquam trepidat, nequiquam spicula dextra
sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.
nulla uiam Fortuna regit, nihil auctor Apollo
subuenit; et saeuus campis magis ac magis horror
crebrescit propiusque malum est. iam puluere caelum
stare uident: subeunt equites et spicula castris
densa cadunt mediis. it tristis ad aethera clamor
bellantum iuuenum et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus indigno nati concussa dolore
dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
puberibus caulem foliis et flore comantem
purpureo (non illa feris incognita capris
gramina, cum tergo uolucres haesere sagittae).
hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo
detulit, hoc fusum labris splendentibus amnem
inficit occulte medicans spargitque salubris
ambrosiae sucos et odoriferam panaceam.
fouit ea uulnus lympha longaeuus Iapyx
ignorans, subitoque omnis de corpore fugit
quippe dolor, omnis stetit imo uulnere sanguis;
iamque secuta manum nullo cogente sagitta
excidit, atque nouae rediere in pristina uires.

MPR

397 multas **P** (*corr.* **P**^{x}) **cgjknxy** **398** fixus **M** (*corr.* **M**^{A}) **400** lacrimisque **Radhj**, *DSeru.* **401** paeonium **Rωγ**, *Seru.*, *Tib.* : paeonidum **M** : paeonum **P** **406** et] it **P** (*corr.* **P**^{1}) **408** subeunt *om.* **M** (*add.* **M**^{2}) : subeuntque **Rabcejv** **412** ipsa manu genetrix dictaea *Tib. in interpr.* (*sed* dictamnum genetrix cretaea *in lemm.*) carpsit **Raeny** (sumpsit **v**) **417** plendentibus **P** (*corr.* **P**^{1}) : pendentibus **Raz** **421** fugit] cessit *Tib. in lemm.* **422** imo **MPbfgny** : imo in **P**^{2}**Rωγ**^{1} (*u. om.* **γ**), *Tib.* **423** manum **M**^{A}**Rω**, *DSeru.* : manus **Pγ**^{1} (*u. om.* **γ**) : manu **MP**^{x}**γ**^{2}, *Tib.*

‘arma citi properate uiro! quid statis?’ Iapyx
conclamat primusque animos accendit in hostem.
‘non haec humanis opibus, non arte magistra
proueniunt, neque te, Aenea, mea dextera seruat:
maior agit deus atque opera ad maiora remittit.’
ille auidus pugnae suras incluserat auro
hinc atque hinc oditque moras hastamque coruscat.
postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis
summaque per galeam delibans oscula fatur:
‘disce, puer, uirtutem ex me uerumque laborem,
fortunam ex aliis. nunc te mea dextera bello
defensum dabit et magna inter praemia ducet.
tu facito, mox cum matura adoleuerit aetas,
sis memor et te animo repetentem exempla tuorum
et pater Aeneas et auunculus excitet Hector.’
Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens
telum immane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt, omnisque relictis
turba fluit castris: tum caeco puluere campus
miscetur pulsuque pedum tremit excita tellus.
uidit ab aduerso uenientis aggere Turnus,
uidere Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
ossa tremor; prima ante omnis Iuturna Latinos
audiit agnouitque sonum et tremefacta refugit.
ille uolat campoque atrum rapit agmen aperto.
qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
it mare per medium (miseris, heu, praescia longe
horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
arboribus stragemque satis, ruet omnia late),
ante uolant sonitumque ferunt ad litora uenti:

MPR

425 uiro] uiri **bd** **428** te aenea] aenean **M** (*alt.* n *del.* **M**^{x}, te *add.* **M**^{2}) **435** uerumque] ueterumque **j?xy** **444** fluit] ruit **P** **446** agmine **Raj** **448** omnis] alios *Tib.* **449** a(d)gnouitque **MRωγ**, *Probus 238, 4, Tib.* : adgnoscitque **Pi** **454** ruet **PRωγ**, *Seru.* : ruit **Mbdfhy**, *Diom. 441, 24, Tib. in lemm.* (*sed «prosternet» in interpr.*) **455** uolant **PRωγ**^{1}, *Tib.* : uolans **MP**^{2}**bγ**

talis in aduersos ductor Rhoeteius hostis
agmen agit, densi cuneis se quisque coactis
adglomerant. ferit ense grauem Thymbraeus Osirim,
Arcetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates
Vfentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
primus in aduersos telum qui torserat hostis.
tollitur in caelum clamor, uersique uicissim
puluerulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
ipse neque auersos dignatur sternere morti
nec pede congressos aequo nec tela ferentis
insequitur: solum densa in caligine Turnum
uestigat lustrans, solum in certamina poscit.

Hoc concussa metu mentem Iuturna uirago
aurigam Turni media inter lora Metiscum
excutit et longe lapsum temone reliquit;
ipsa subit manibusque undantis flectit habenas
cuncta gerens, uocemque et corpus et arma Metisci.
nigra uelut magnas domini cum diuitis aedes
peruolat et pinnis alta atria lustrat hirundo,
pabula parua legens nidisque loquacibus escas,
et nunc porticibus uacuis, nunc umida circum
stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis
fertur equis rapidoque uolans obit omnia curru,
iamque hic germanum iamque hic ostentat ouantem
nec conferre manum patitur, uolat auia longe.
haud minus Aeneas tortos legit obuius orbes
uestigatque uirum et disiecta per agmina magna
uoce uocat. quotiens oculos coniecit in hostem
alipedumque fugam cursu temptauit equorum,
auersos totiens currus Iuturna retorsit.

MPR 456 *redit* **V**

457 densis **n**, *Tib.* coacti **M**^{x} **459** archetium **M** **461** auersos **Ra**; *cf. u. 464* torserat] torsit in **Rav** (*cf. u. 266*) **464** neque] nec **Pb**, *Tib.* auersos **RVa** : aduersos **MPωγ**, *Tib.* **470** reliquit **MPRωγ**, *Tib.* : relinquit **M**$^{A?}$**V** **479** ostentat **M**$^{A?}$**γRVav** : ostendit **Mω**, *Tib.* (*periit in* **P**) **481** totos **V** (*periit in* **P**) **482** magna] longa **dk** **485** auersos **MRVω**, *DSeru.*, *Tib.* : aduersos **M**$^{A?}$**Pcfghinγ** currus totiens *Tib.*

heu, quid agat? uario nequiquam fluctuat aestu,
diuersaeque uocant animum in contraria curae.
huic Messapus, uti laeua duo forte gerebat
lenta, leuis cursu, praefixa hastilia ferro,
horum unum certo contorquens derigit ictu.
substitit Aeneas et se collegit in arma
poplite subsidens; apicem tamen incita summum
hasta tulit summasque excussit uertice cristas.
tum uero adsurgunt irae; insidiisque subactus,
diuersos ubi sensit equos currumque referri,
multa Iouem et laesi testatus foederis aras
iam tandem inuadit medios et Marte secundo
terribilis saeuam nullo discrimine caedem
suscitat irarumque omnis effundit habenas.
    Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes
diuersas obitumque ducum, quos aequore toto
inque uicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
expediat? tanton placuit concurrere motu,
Iuppiter, aeterna gentis in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentis
pugna loco statuit Teucros) haud multa morantem
excipit in latus et, qua fata celerrima, crudum
transadigit costas et cratis pectoris ensem.
Turnus equo deiectum Amycum fratremque Dioren,
congressus pedes, hunc uenientem cuspide longa,
hunc mucrone ferit, curruque abscisa duorum
suspendit capita et rorantia sanguine portat.

MPRV 508 *desinit* **V**

489 leui **nγ** **490** dirigit **ω** (*praeter* **a**) **γ**, *Tib.* **494** subactis **ω** (*praeter* **an**; -ctas **j**) **495** sentit **Mn**, *Tib.* **496** testatus **MVωγ**, *Tib.* (*cf. Sil. 17, 87*) : testatur **PRan** **497** tamen **P** **498** terribilis *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Tib.*; «*potest et* Marte secundo *distingui … potest et iungi, ut sit* Marte secundo terribilis» *DSeru.* **499–500** *om.* **M** (*ima pagina add.* **M**^{A}) **503** *u. om.* **V** expediet *Tib.* tanto **Raxzγ** (*corr.* **γ**^{1}, *periit in* **P**) **505** furentis **V** **506** morantis **V** : moratus **n**, *Seru. ad u. 507* : moratum *DSeru.* (*cf. Aen. 3, 610*) **511** abscisa **P**^{2} (-se **P**) **ωγ**^{1} (absci **γ**), *Seru. ad georg. 1, 208 et ad Aen. 1, 156*, *Tib.* : abscissa **MRaby**

ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
tris uno congressu, et maestum mittit Oniten,
nomen Echionium matrisque genus Peridiae;
hic fratres Lycia missos et Apollinis agris
et iuuenem exosum nequiquam bella Menoeten,
Arcada, piscosae cui circum flumina Lernae
ars fuerat pauperque domus nec nota potentum
munera, conductaque pater tellure serebat.
ac uelut immissi diuersis partibus ignes
arentem in siluam et uirgulta sonantia lauro,
aut ubi decursu rapido de montibus altis
dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt
quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
fluctuat ira intus, rumpuntur nescia uinci
pectora, nunc totis in uulnera uiribus itur.
Murranum hic, atauos et auorum antiqua sonantem
nomina per regesque actum genus omne Latinos,
praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
excutit effunditque solo; hunc lora et iuga subter
prouoluere rotae, crebro super ungula pulsu
incita nec domini memorum proculcat equorum.
ille ruenti Hyllo animisque immane frementi
occurrit telumque aurata ad tempora torquet:

MPR

513 thalon **M** tanaimque **M**[x] (-namque **M**) : tanainque **R**, *Tib.* : talaimque **P** **515** *hunc uersum post 516 transp. Peerlkamp et Ribbeck* nomen echionium **ωγ**[1], *Seru. hic, ad Aen. 2, 89 et 6, 758* : nomine echionium **MP** : nomine chionium **Rabfgnγ**, «*male quidam*» *ap. Seru.*, *Tib.* **520** munera **PRωγ**, *Seru. hic et ad Aen. 3, 539*, *Tib.* : limina **M**; «munera *et quae 'munia' dicimus*» *DSeru.*; *totum tricolon* (*uu. 518–520*) *ad paupertatem spectat Menoetis, qui tam humilis erat ut non teneretur officiis militiae* (munera), *aliter quam qui essent agrorum possessores* (potentum); potentum limina *obsequium clientis significat* (*cf. Hor. epod. 2, 8*), *id quod ab hoc loco alienum uidetur* sedebat **M** (*corr.* **M**[A?]) **522** ardentem **My** (*corr.* **M**[x]) **526** per] in **k**, *Tib.* **532** excutit] excipit **M** (*cf. u. 507*) effuditque **b** **533** super] snotant **M** (*corr.* **M**[A]), *quae lectio orta uidetur ex glossa grammaticorum locum difficilem notantium* (*u. 534* nec domini memorum *i.e. 'domini immemorum'*) **536** aerata *Schrader*

olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
dextera nec tua te, Graium fortissime Cretheu,
eripuit Turno; nec di texere Cupencum
Aenea ueniente sui: dedit obuia ferro
pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
te quoque Laurentes uiderunt, Aeole, campi
oppetere et late terram consternere tergo:
occidis, Argiuae quem non potuere phalanges
sternere nec Priami regnorum euersor Achilles;
hic tibi mortis erant metae, domus alta sub Ida,
Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
totae adeo conuersae acies omnesque Latini,
omnes Dardanidae, Mnestheus acerque Serestus
et Messapus equum domitor et fortis Asilas
Tuscorumque phalanx Euandrique Arcades alae,
pro se quisque uiri summa nituntur opum ui;
nec mora nec requies, uasto certamine tendunt.
Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit
iret ut ad muros urbique aduerteret agmen
ocius et subita turbaret clade Latinos.
ille ut uestigans diuersa per agmina Turnum
huc atque huc acies circumtulit, aspicit urbem
immunem tanti belli atque impune quietam.
continuo pugnae accendit maioris imago:
Mnesthea Sergestumque uocat fortemque Serestum
ductores tumulumque capit quo cetera Teucrum
concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
deponunt. celso medius stans aggere fatur:
'ne qua meis esto dictis mora (Iuppiter hac stat),
neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
ni frenum accipere et uicti parere fatentur,

MPR

541 aerei **g**^{2}, *ed. Aldina an. 1501* (*cf. Aen. 7, 609*) : aeris *codd.*, *Tib.*; aerei *bisyllabum per synizesin, quod qui non intellexit in* aeris *mutauit* **558** aciem **dfgy** **559** quietem **Ragyγ** (*corr.* **γ**^{1}) **568** uicti] dicto **iγ** (*corr.* **γ**^{1}), *Char. 99, 1* (*cf. Aen. 7, 433*) fatetur **M** (*corr.* **M**$^{A?}$)

eruam et aequa solo fumantia culmina ponam.
scilicet exspectem libeat dum proelia Turno
nostra pati rursusque uelit concurrere uictus?
hoc caput, o ciues, haec belli summa nefandi.
ferte faces propere foedusque reposcite flammis.'
dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
dant cuneum densaque ad muros mole feruntur;
scalae improuiso subitusque apparuit ignis.
discurrunt alii ad portas primosque trucidant,
ferrum alii torquent et obumbrant aethera telis.
ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas magnaque incusat uoce Latinum
testaturque deos iterum se ad proelia cogi,
bis iam Italos hostis, haec altera foedera rumpi.
exoritur trepidos inter discordia ciuis:
urbem alii reserare iubent et pandere portas
Dardanidis ipsumque trahunt in moenia regem;
arma ferunt alii et pergunt defendere muros:
inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
uestigauit apes fumoque impleuit amaro;
illae intus trepidae rerum per cerea castra
discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras;
uoluitur ater odor tectis, tum murmure caeco
intus saxa sonant, uacuas it fumus ad auras.
Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
quae totam luctu concussit funditus urbem.
regina ut tectis uenientem prospicit hostem,
incessi muros, ignis ad tecta uolare,
nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni,
infelix pugnae iuuenem in certamine credit
exstinctum et subito mentem turbata dolore

MPR

573 properi **d** **577** trucidant] fatigant **d** **582** haec] haec iam **M**^{2} **587** ut cum] ueluti **M** (*cf. u. 749*) **588** et fumoque **Pγ** (et *del.* **P**^{x}) **596** incessi **M**^{A}**Pdiknvx**, *Arus. 488, 2, GLK V, 482, 27, Seru. hic et ad georg. 4, 68, Tib.* : incedi **M** : incensi **Ra** : incendi **ωγ** ignesque **Racev** ad in **P** (in *del.* **P**^{x}) **598** in *om.* **bγ** (*add.* **γ**^{1}) : a **Ra** certamina **Pγ** (*corr.* **γ**^{1})

se causam clamat crimenque caputque malorum,
multaque per maestum demens effata furorem
purpureos moritura manu discindit amictus
et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
quam cladem miserae postquam accepere Latinae,
filia prima manu floros Lauinia crinis
et roseas laniata genas, tum cetera circum
turba furit: resonant late plangoribus aedes.
hinc totam infelix uulgatur fama per urbem.
demittunt mentes, it scissa ueste Latinus
coniugis attonitus fatis urbisque ruina,
canitiem immundo perfusam puluere turpans.
Interea extremo bellator in aequore Turnus
palantis sequitur paucos iam segnior atque
iam minus atque minus successu laetus equorum.
attulit hunc illi caecis terroribus aura
commixtum clamorem, arrectasque impulit auris
confusae sonus urbis et inlaetabile murmur.
'ei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
quisue ruit tantus diuersa clamor ab urbe?'
sic ait adductisque amens subsistit habenis.
atque huic, in faciem soror ut conuersa Metisci
aurigae currumque et equos et lora regebat,
talibus occurrit dictis: 'hac, Turne, sequamur
Troiugenas, qua prima uiam uictoria pandit;
sunt alii qui tecta manu defendere possint.
ingruit Aeneas Italis et proelia miscet,
et nos saeua manu mittamus funera Teucris.

MPR

605 floros «*antiqua lectio*» *ap. Seru.* («*id est 'florulentos, pulchros'; et est sermo Ennianus*»), *Probus teste DSeru.* : flauos *codd.*, *Tib.* **607** latae **M** (*corr.* **M**^{x}) **Racn** : magnae *Tib. in lemm.* clangoribus **chz**, *Tib. in lemm.* **612–613** (= *Aen. 11, 471–472 substitutis uerbis* ante, ultro *pro* ultro, urbi) *om.* **MPRabhnγ**, *Tib.*, *non interpr. Seru.* : *habent* **ω** **617** hunc] huc *recc.*, *Madvig; at* huc illi *moleste redundat* caecis illi **Raev** (*ord. rest.* **R**^{x}) **624** gerebat **Pγ** (*corr.* **γ**^{1}) **627** possint **MRabfgny**, *Seru. ad u. 661* : possunt **Pωγ** : possent **d** **628** Italis] armis *Seru. ad Aen. 11, 899* (*sed* Italis *ad Aen. 2, 301*)

nec numero inferior pugnae nec honore recedes.'
Turnus ad haec:
'o soror, et dudum agnoui, cum prima per artem
foedera turbasti teque haec in bella dedisti,
et nunc nequiquam fallis dea. sed quis Olympo
demissam tantos uoluit te ferre labores?
an fratris miseri letum ut crudele uideres?
nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna salutem?
uidi oculos ante ipse meos me uoce uocantem
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
oppetere ingentem atque ingenti uulnere uictum.
occidit infelix nostrum ne dedecus Vfens
aspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
exscindine domos (id rebus defuit unum)
perpetiar, dextra nec Drancis dicta refellam?
terga dabo et Turnum fugientem haec terra uidebit?
usque adeone mori miserum est? uos o mihi, Manes,
este boni, quoniam superis auersa uoluntas.
sancta ad uos anima atque istius inscia culpae
descendam magnorum haud umquam indignus auorum.'
    Vix ea fatus erat: medios uolat ecce per hostis
uectus equo spumante Saces, aduersa sagitta
saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
'Turne, in te suprema salus, miserere tuorum.
fulminat Aeneas armis summasque minatur
deiecturum arces Italum excidioque daturum,

MPR 650 *desinit* **R**, *subditur* **a**

630 nec^{2} **MRωγ**, *Seru.* : neque **Phi** **635** te ferre] te perferre **Rfg** : perferre **a?bz** (*cf. u. 177*) **636** miseri fratris *Macrob. 4, 2, 10* **639** superat] fuerat **Mdjγ** (*corr.* **M**^{A}**γ**^{1}) **641** nostrum ne **P** : ne nostrum **MRωγ**, *Seru.*; *uide A. Traina, «BStudLat» 26, 1996, 504–508* **647** aduersa **M** (*corr.* **M**^{x}) **bfgkzγ** **648** inscia **MPRωγ**^{1} (inscius **γ**), *Macrob. 3, 3, 6, Seru.* : nescia *recc., ad metrum sanandum*; *ex mora ante caesuram pathetice interiecta hiatus et syllabae productio* (anima atque) *excusari possunt*; sancta atque istius ad uos anima inscia culpae *Housman* (*Class. Pap. III, 1124 sq.*); sancta ad uos anima, en, atque istius inscia culpae *dubitanter temptaui cl. e.g. Sil. 2, 678 sq. 'tibi ego haec … / ad Manes, en, ipsa fero'* (*ubi Tiburna, sicut Turnus, morti occurrens Manes precatur*) **655** italum arces **cdhjk**

iamque faces ad tecta uolant. in te ora Latini,
in te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus
quos generos uocet aut quae sese ad foedera flectat.
praeterea regina, tui fidissima, dextra
occidit ipsa sua lucemque exterrita fugit.
soli pro portis Messapus et acer Atinas
sustentant aciem; circum hos utrimque phalanges
stant densae strictisque seges mucronibus horret
ferrea; tu currum deserto in gramine uersas.'
obstipuit uaria confusus imagine rerum
Turnus et obtutu tacito stetit: aestuat ingens
uno in corde pudor mixtoque insania luctu
et furiis agitatus amor et conscia uirtus.
ut primum discussae umbrae et lux reddita menti,
ardentis oculorum orbes ad moenia torsit
turbidus eque rotis magnam respexit ad urbem.
    Ecce autem flammis inter tabulata uolutus
ad caelum undabat uertex turrimque tenebat,
turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse
subdideratque rotas pontisque instrauerat altos.
'iam iam fata, soror, superant, absiste morari;
quo deus et quo dura uocat Fortuna sequamur.
stat conferre manum Aeneae, stat quidquid acerbi est
morte pati; neque me indecorem, germana, uidebis
amplius: hunc, oro, sine me furere ante furorem.'
dixit et e curru saltum dedit ocius aruis
perque hostis, per tela ruit maestamque sororem
deserit ac rapido cursu media agmina rumpit.
ac ueluti montis saxum de uertice praeceps
cum ruit auulsum uento, seu turbidus imber
proluit aut annis soluit sublapsa uetustas;
fertur in abruptum magno mons improbus actu

MPa 667 *redit* **V** 687 *redit* **R**

662 aciem **Pω**, *Diom. 414, 17, Dosith. 416, 29* : acies **Maevzγ**, *DSeru.* **667** uno] imo *Tib.* **677** quo^{2}] qua **P** **678** acerbum est *Seru. hic et ad Aen. 2, 750* (*periit in* **V**) **679** uidebis *dist.* **P**^{2} (amplius *sequentibus coniungens*) **687** ictu **hjkx**

exsultatque solo, siluas armenta uirosque
inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus
sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
sanguine terra madet striduntque hastilibus aurae,
significatque manu et magno simul incipit ore:
'parcite iam, Rutuli, et uos tela inhibete, Latini.
quaecumque est fortuna, mea est: me uerius unum
pro uobis foedus luere et decernere ferro.'
discessere omnes medii spatiumque dedere.
At pater Aeneas audito nomine Turni
deserit et muros et summas deserit arces
praecipitatque moras omnis, opera omnia rumpit
laetitia exsultans horrendumque intonat armis:
quantus Athos aut quantus Eryx aut ipse coruscis
cum fremit ilicibus quantus gaudetque niuali
uertice se attollens pater Appenninus ad auras.
iam uero et Rutuli certatim et Troes et omnes
conuertere oculos Itali, quique alta tenebant
moenia quique imos pulsabant ariete muros,
armaque deposuere umeris. stupet ipse Latinus
ingentis, genitos diuersis partibus orbis,
inter se coiisse uiros et cernere ferro.
atque illi, ut uacuo patuerunt aequore campi,
procursu rapido, coniectis eminus hastis,
inuadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus

MPRV

699 *ante 698 habet* **V** **701** athon **bcdi**, «*uera lectio*» *iudice Seru.*, *DSeru.* **708** orbes **PV** **709** coiisse **M**^{x} (colisse **M**) **V**^{2}**ωγ**^{1}, *Prisc. 1, 40* : coisse **P**^{2} (coise **P**) **RVafgjzγ** (cogisse **y**), *Sen. ep. 58, 3, Seru. hic, ad georg. 2, 256 et ad Aen. 2, 508* et *om.* **cx** : uirosque **y**, *Prisc.* cernere **Py**, *Sen. ep. 58, 3* (*ut simplex pro composito 'decernere' explicans*), «*uera et antiqua lectio*» *iudice Seru.* : decernere **MP**^{2}**RVωγ**, *Seru. ad georg. 2, 256 et ad Aen. 2, 508* (*cf. Aen. 11, 218*; *12, 282 et 695*) : discernere **bx**, *Prisc.* **711** conlectis **M**$^{A?}$ (colectiques **M**) **R** (*euanuit in* **V**) **712** *post* Martem *dist. quidam ap. schol. Ver.*, clipeis – sonoro *ad inferiora referens* **713** crebris **Mγ** (*corr.* **M**$^{A?}$**γ**^{1}); *euanuit in* **V**

congeminant, fors et uirtus miscentur in unum.
ac uelut ingenti Sila summoue Taburno
cum duo conuersis inimica in proelia tauri
frontibus incurrunt – pauidi cessere magistri,
stat pecus omne metu mutum mussantque iuuencae,
quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
illi inter sese multa ui uulnera miscent
cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
colla armosque lauant, gemitu nemus omne remugit:
non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
concurrunt clipeis, ingens fragor aethera complet.
Iuppiter ipse duas aequato examine lances
sustinet et fata imponit diuersa duorum,
quem damnet labor et quo uergat pondere letum.
    Emicat hic impune putans et corpore toto
alte sublatum consurgit Turnus in ensem
et ferit: exclamant Troes trepidique Latini,
arrectaeque amborum acies. at perfidus ensis
frangitur in medioque ardentem deserit ictu,
ni fuga subsidio subeat. fugit ocior Euro,
ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
fama est praecipitem, cum prima in proelia iunctos
conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;
idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
suffecit; postquam arma dei ad Volcania uentum est,

MPRV 718 *desinit* **V**

714 miscentur **MPRωγ**, *Seru.* : miscetur **V** **715** sila **MPωγ**^{1}, *Asper p. 538, 17, Seru. hic et ad georg. 3, 219* : silua **Rafgkzγ**, «*pessime quidam*» *ap. Seru.* : *om.* **V** **719** nemori] pecori **dghijkxyzγ**^{1} imperet et **Rω** (*praeter* **bfi**; imperet, *om.* et, **j**) **γ**^{1} quem] quae **M** (*corr.* **M**^{A}) **720** uulnera] proelia (*cf. georg. 3, 220*) **γ** (*corr.* **γ**^{1}) **724** *ante 723 habent* **Ra** **727** et] aut **bgyz**, *Non. 277, 7, Agroec. 120, 11, Prisc. 8, 27* **732** ictum **M**^{2} (*ut uid.*) **Ra** *post* ictu *lac. statuit Ribbeck*; *sed protasis per ellipsin efficaciter subauditur, quasi sit 'deserit et hosti obnoxium relinquat'* **735** prima **Mω** : primum **PRaγ** in] ad **P**, in ad **γ** (ad *del.* **γ**^{1}) **739** sufficit **P** (*corr.* **P**^{2}) **Rafghz** uentum **M** (est *add.* **M**^{A}) : uentumst **P** (uentum est **P**^{2})

mortalis mucro glacies ceu futtilis ictu
dissiluit: fulua resplendent fragmina harena.
ergo amens diuersa fuga petit aequora Turnus
et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes;
undique enim densa Teucri inclusere corona
atque hinc uasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
interdum genua impediunt cursumque recusant,
insequitur trepidique pedem pede feruidus urget:
inclusum ueluti si quando flumine nactus
ceruum aut puniceae saeptum formidine pinnae
uenator cursu canis et latratibus instat;
ille autem insidiis et ripa territus alta
mille fugit refugitque uias, at uiuidus Vmber
haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
increpuit malis morsuque elusus inani est;
tum uero exoritur clamor ripaeque lacusque
responsant circa et caelum tonat omne tumultu.
ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis
nomine quemque uocans notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra praesensque minatur
exitium, si quisquam adeat, terretque trementis
excisurum urbem minitans et saucius instat.
quinque orbis explent cursu totidemque retexunt
huc illuc; neque enim leuia aut ludicra petuntur
praemia, sed Turni de uita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
hic steterat, nautis olim uenerabile lignum,
seruati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti diuo et uotas suspendere uestes;
sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum

MPR 758 *desinit* **R**, *subditur* **a**

741 resplendent fragmina **MPωγ** : resplendet fragmen **M²Ra** : resplendet fragmina **ev** (-dit **c**, -deat **y**) **744** teucri densa **M** **746** tardante **M^A^d** **749** in flumine **cdhjkvx** **753** ac **Mbd** (*corr.* **M¹** *uel* **M^A^**) : ad **Ra** **754** tenet] tenens **Racev** **757** intonat **hkz** tumultu] fragore **a²dijkx** (*om.* **h**), *Tib.* (*cf. Aen. 9, 541*) **764** neque] nec **aevγ** (*corr.* **γ¹**)

sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
hic hasta Aeneae stabat, huc impetus illam
detulerat fixam et lenta radice tenebat.
incubuit uoluitque manu conuellere ferrum
Dardanides teloque sequi quem prendere cursu
non poterat. tum uero amens formidine Turnus:
‘Faune, precor, miserere’ inquit ‘tuque optima ferrum
Terra tene, colui uestros si semper honores,
quos contra Aeneadae bello fecere profanos.’
dixit opemque dei non cassa in uota uocauit.
namque diu luctans lentoque in stirpe moratus
uiribus haud ullis ualuit discludere morsus
roboris Aeneas. dum nititur acer et instat,
rursus in aurigae faciem mutata Metisci
procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit.
quod Venus audaci nymphae indignata licere
accessit telumque alta ab radice reuellit.
olli sublimes, armis animisque refecti,
hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
adsistunt contra certamine Martis anheli.
Iunonem interea rex omnipotentis Olympi
adloquitur fulua pugnas de nube tuentem:
‘quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
indigetem Aenean scis ipsa et scire fateris
deberi caelo fatisque ad sidera tolli.
quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?

MPa

773 et *del.* **M**^{x}, *om.* **abfhixz**, *Tib.*; «fixam et lenta radice tenebat *plenum est*» *Seru.* radice **Maωγ**, *Seru.*, *Tib.* : ab radice **M**^{A}**P**^{2} (baradice **P**) **b?** (*cf. u. 787*) **779** bello] ferro **γ**^{1} **782** discludere **M**^{A}**Pa**^{2}**ωγ**^{2}, *Tib.* : discurrere **Mγ**^{1} : conuellere **acvγ** (*cf. u. 774*) **784** mutata **Maωγ**^{1} (-tam **γ**), *Seru.*, *Tib.* : conuersa **M**^{A}**Piγ**^{2} (*ex u. 623*) **788** armis *dist.* **P**^{2} animumque **P** (*corr.* **P**^{2}) **790** certamine **b**, «*alii*» *ap. Seru.* : certamina **MPaωγ**, *Seru.*; contra *aduerbialiter positum* (*cf. e.g. u. 271 ‘constiterant contra’*), *ut colon fiat* adsistunt contra *per caesuram seiunctum*; certamine Martis *iunctura est plena et absoluta, nullam adiectionem desiderans* (*cf. Hom. Il. 5, 861 et 14, 149* ἔριδα … Ἄρηος; *Il. 11, 734* ἔργον Ἄρηος), *ita ut* anheli *nominatiuus pluralis sit* **795** fatis caeloque **Pi**

mortalin decuit uiolari uulnere diuum?
aut ensem (quid enim sine te Iuturna ualeret?)
ereptum reddi Turno et uim crescere uictis?
desine iam tandem precibusque inflectere nostris,
ne te tantus edit tacitam dolor et mihi curae
saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
uentum ad supremum est. terris agitare uel undis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
deformare domum et luctu miscere hymenaeos:
ulterius temptare ueto.' sic Iuppiter orsus;
sic dea summisso contra Saturnia uultu:
'ista quidem quia nota mihi tua, magne, uoluntas,
Iuppiter, et Turnum et terras inuita reliqui;
nec tu me aëria solam nunc sede uideres
digna indigna pati, sed flammis cincta sub ipsa
starem acie traheremque inimica in proelia Teucros.
Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
suasi et pro uita maiora audere probaui,
non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:
adiuro Stygii caput implacabile fontis,
una superstitio superis quae reddita diuis.
et nunc cedo equidem pugnasque exosa relinquo.
illud te, nulla fati quod lege tenetur,
pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
cum iam conubiis pacem felicibus (esto)
component, cum iam leges et foedera iungent,
ne uetus indigenas nomen mutare Latinos
neu Troas fieri iubeas Teucrosque uocari

MPa

797 mortali **agγ** (*corr.* $\mathbf{a}^2\boldsymbol{\gamma}^1$) **801–802** *post 832 transp. Ribbeck* **801** ne $\mathbf{MP}^2\mathbf{abij}\boldsymbol{\gamma}$, *Diom. 362, 24* : ni **P** : nec $\mathbf{a}^2\boldsymbol{\omega}$, *ps. Acro ad Hor. epod. 3, 3, Seru.* edit **Pγ**, *ps. Acro, Diom.* : edat $\mathbf{MP}^2\mathbf{a}\boldsymbol{\omega\gamma}^1$, *Seru.* **802** recusent **Mcx** (*corr.* $\mathbf{M}^{A?}$) **808** magna **cf** **809** relinquo $\mathbf{P}^2\mathbf{x}$ (*cf. u. 818*) **811–812** ipsam … aciem **Mjz** **812** stare **Mzγ** (*corr.* $\boldsymbol{\gamma}^1$) **813** fateor misero *Macrob. 6, 6, 11* **815** contenderet] ostenderet «*alii*» *ap. DSeru.* **819** fati nulla **av** **824** teucrosue **P** *ut uid.* (*corr.* $\mathbf{P}^1$, *fide Sabb. et Geym.*) **fgγ** (*def.* **b**)

aut uocem mutare uiros aut uertere uestem.
sit Latium, sint Albani per saecula reges,
sit Romana potens Itala uirtute propago:
occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.'
olli subridens hominum rerumque repertor:
'es germana Iouis Saturnique altera proles:
irarum tantos uoluis sub pectore fluctus!
uerum age et inceptum frustra summitte furorem:
do quod uis, et me uictusque uolensque remitto.
sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,
utque est nomen erit; commixti corpore tantum
subsident Teucri. morem ritusque sacrorum
adiciam faciamque omnis uno ore Latinos;
hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,
supra homines, supra ire deos pietate uidebis,
nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.'
adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit;
interea excedit caelo nubemque relinquit.
His actis aliud genitor secum ipse uolutat
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram
uno eodemque tulit partu paribusque reuinxit
serpentum spiris uentosasque addidit alas.
hae Iouis ad solium saeuique in limine regis
apparent acuuntque metum mortalibus aegris,
si quando letum horrificum morbosque deum rex
molitur, meritas aut bello territat urbes;
harum unam celerem demisit ab aethere summo
Iuppiter inque omen Iuturnae occurrere iussit:
illa uolat celerique ad terram turbine fertur.
non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta,

MPa 831 *redit* **R**

825 uestem **M** : uestes **Pωγ** (*def.* **b**) **830** es] est **fgjv** : et *cum edd. uett. Bentley* **835** commixto **hkz** corpore **MPωγ**, *DSeru. ad Aen. 1, 248* : sanguine **Racv** (*cf. u. 838 et Aen. 6, 762*) tanto **Rdjy** **842** caelum **P** (-om **P**[x]) reliquit **fgj** **853** dimisit **dhxy** : demittit *Tib.*

armatam saeui Parthus quam felle ueneni,
Parthus siue Cydon, telum immedicabile, torsit,
stridens et celeris incognita transilit umbras:
talis se sata Nocte tulit terrasque petiuit.
postquam acies uidet Iliacas atque agmina Turni,
alitis in paruae subitam collecta figuram,
quae quondam in bustis aut culminibus desertis
nocte sedens serum canit importuna per umbras,
hanc uersa in faciem Turni se pestis ob ora
fertque refertque sonans clipeumque euerberat alis.
illi membra nouus soluit formidine torpor,
arrectaeque horrore comae et uox faucibus haesit.
    At procul ut Dirae stridorem agnouit et alas,
infelix crinis scindit Iuturna solutos
unguibus ora soror foedans et pectora pugnis:
'quid nunc te tua, Turne, potest germana iuuare?
aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem
arte morer? talin possum me opponere monstro?
iam iam linquo acies. ne me terrete timentem,
obscenae uolucres: alarum uerbera nosco
letalemque sonum, nec fallunt iussa superba
magnanimi Iouis. haec pro uirginitate reponit?
quo uitam dedit aeternam? cur mortis adempta est
condicio? possem tantos finire dolores
nunc certe et misero fratri comes ire per umbras!
immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum

MPR

859 umbras] auras «*male quidam*» *ap. Seru.* **862** subitam **MRωγ**^{1}, *Tib.* : subito **Pbikzγ**, *DSeru. ad Aen. 3, 246* collecta **Rωγ**^{1} (-tam **a**), *Seru.*, *DSeru. ad Aen. 3, 246* : conuersa **Mkz** (*cf. u. 623*) : coniecta **Pb?γ**, *Tib.* **865** uersam **M**^{A}**dy** ob **Rb**, *Arus. 496, 21*, *Seru. ad Aen. 1, 233*, *Tib.* (*cf. Sil. 17, 476*) : in ob **M**, in **M**^{x} : ad **Pωγ** **870** scindit crinis **Rcv** **873** durae] miserae **γ**^{1} : curae *Thilo cl. georg. 3, 286* superest **bf** **874** possim **Rv** **878** reponit] reporto *Tib.* **880** possim **M** **882–884** *in uersuum 879–881 uicem compositos esse suspicatur Ribbeck; oratio re uera redundat, sed pathetica talis amplificatio tragico sermonis tumori congruere uidetur* **882** iam mortalis **ω** (*praeter* **bj**) aut] haud **chijkvxzγ**^{1}, *Tib. in lemm.*

te sine, frater, erit? o quae satis ima dehiscat
terra mihi Manisque deam demittat ad imos?'
tantum effata caput glauco contexit amictu
multa gemens et se fluuio dea condidit alto.
  Aeneas instat contra telumque coruscat
ingens arboreum et saeuo sic pectore fatur:
'quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?
non cursu, saeuis certandum est comminus armis.
uerte omnis tete in facies et contrahe quidquid
siue animis siue arte uales; opta ardua pinnis
astra sequi clausumue caua te condere terra.'
ille caput quassans: 'non me tua feruida terrent
dicta, ferox: di me terrent et Iuppiter hostis.'
nec plura effatus saxum circumspicit ingens,
saxum antiquum ingens, campo quod forte iacebat,
limes agro positus litem ut discerneret aruis.
uix illud lecti bis sex ceruice subirent,
qualia nunc hominum producit corpora tellus;
ille manu raptum trepida torquebat in hostem
altior insurgens et cursu concitus heros.
sed neque currentem se nec cognoscit euntem
tollentemue manu saxumue immane mouentem;
genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.
tum lapis ipse uiri uacuum per inane uolutus

MPR

883 quae] quam **Pγ** (*corr.* **γ**[1]) ima] iam **P** (*corr.* **P**[2]) : alta **cdfghjkyz** (*cf. Aen. 4, 24 et 10, 675*) dehiscet **P** (*corr.* **P**[2]) **884** demittit **P** (*corr.* **P**[2]) : dimittat **cdfg**, *Tib.* **893** clausumue **P** : clausumque **MRωγ**, *Tib.* **896** ingens] amens *Wagner*; *sed iteratio* ingens … ingens *eleganti rhythmi uariatione confirmatur* **897** quod **M**[A?]**PRωγ**, *Seru. in lemm.*, *Tib.* : que **M** : qui *Seru. in interpr. ut uid., et recc. aliquot* **898** arui **kxyz** **899** illud **PRωγ** : illum **Mbcg**, *Aug. ciu. 15, 9, Tib.* («illum, *non dixit* illud; *limiti enim, non saxo respondit*»); *saxum per parecbasin describitur, quapropter, sicut haec orationis conformatio postulat, demonstratiuum pronomen necesse est definite nomini rei descriptae respondeat* **904** tollentemue **PRbdfgγ**[1] : tollentemque **Mωγ**, *Tib.*, *Isid. 1, 36, 15* manu **Pωγ**[1], *Tib. in interpr.*, *Isid.* : manus **MRhγ**, *Tib. in lemm.* : manum **gz** saxumque **cdhjyzγ**, *Isid.*

nec spatium euasit totum neque pertulit ictum.
ac uelut in somnis, oculos ubi languida pressit
nocte quies, nequiquam auidos extendere cursus
uelle uidemur et in mediis conatibus aegri
succidimus (non lingua ualet, non corpore notae
sufficiunt uires nec uox aut uerba sequuntur):
sic Turno, quacumque uiam uirtute petiuit,
successum dea dira negat. tum pectore sensus
uertuntur uarii: Rutulos aspectat et urbem
cunctaturque metu letumque instare tremescit,
nec quo se eripiat, nec qua ui tendat in hostem,
nec currus usquam uidet aurigamue sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
sortitus fortunam oculis, et corpore toto
eminus intorquet. murali concita numquam
tormento sic saxa fremunt nec fulmine tanti
dissultant crepitus. uolat atri turbinis instar
exitium dirum hasta ferens orasque recludit
loricae et clipei extremos septemplicis orbes;
per medium stridens transit femur: incidit ictus
ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
consurgunt gemitu Rutuli totusque remugit
mons circum et uocem late nemora alta remittunt.
ille humilis supplex oculos dextramque precantem
protendens ‘equidem merui nec deprecor’ inquit:
‘utere sorte tua. miseri te si qua parentis
tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor), Dauni miserere senectae

MPR

907 totum *dist.* **P**^{2}, *Tib.* : euasit *dist.* **M**^{x}, *Seru.* neque] nec **Rbfgvγ**^{1} **913** quamcumque **Pdixy** (*corr.* **P**^{x}) **916** letumque **P**, *Rufin. 58, 6* : telumque **MRωγ** (*def.* **b**), *Auson. cento 92*, *Tib. in lemm.* : teloque *Tib. in interpr.* **917** quo] qua **γ**^{1} (quos **γ**) **918** aurigamue **MPchikxz** : aurigamque **Rbdfgjvyγ**, *Tib.* **922** tanto **Pz** **926** per] et **cdijky** **929** late uocem **Rv** **930** supplex **PRhγ**^{1} : supplexque **Mωγ**, *Tib.*; *de bimembri asyndeto adiectiuorum fuse disputauit Sabbadini ad loc.* **934** Anchises *et* genitor *dist.* **M**^{x}**P**^{2}, *Seru.* (genitor *tamquam uocatiuum male interpretati*)

et me, seu corpus spoliatum lumine mauis,
redde meis. uicisti et uictum tendere palmas
Ausonii uidere; tua est Lauinia coniunx:
ulterius ne tende odiis.' stetit acer in armis
Aeneas uoluens oculos dextramque repressit;
et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
coeperat, infelix umero cum apparuit alto
balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, uictum quem uulnere Turnus
strauerat atque umeris inimicum insigne gerebat.
ille, oculis postquam saeui monumenta doloris
exuuiasque hausit, furiis accensus et ira
terribilis: 'tune hinc spoliis indute meorum
eripiare mihi? Pallas te hoc uulnere, Pallas
immolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.'
hoc dicens ferrum aduerso sub pectore condit
feruidus; ast illi soluuntur frigore membra
uitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

MPR 938 *desinit* **R**

946 incensus **c** **950** sub pectore condit] sumpto recondit **M** (*corr.* **M**^{A})

INDEX NOMINVM